HYPOMNEMA,

DE FIDE, OBSERVANTIA, AC BENEVOLENTIA Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, collectum ex ueris atq; fidelibus historiarum monumentis, à S. S. S.

FRIDERICVS II. IN LIB. I. Epistolarum, Epist. XXXI.

Reuera Imperialis fœlicitas, papali semper impugnatur inuidia.

hic autor Lutheranus fide in plerisq; indignus est

BASILEAE, PER Ioannem Oporinum.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi ac Domino, D. GEORGIO Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ, &c. Domino suo clementi;

S. P.

Memini, Illustrißime Princeps, me ante biennium ad Celsitudinē tuã, ab Illustrissimo Principe D. VVOLFGANGO, *Comite palatino Rheni, &c. agnato Cels. T. ac Domino meo gratiosißimo, misso, Cels. Tuam de alijs rebus quamplurimis mecum benignißimè colloquentem, in hunc quoq; sermonem uenire, ut diceret, optandum esse, hunc laborem à quopiam suscipi, ut ex ueris atq; fidelibus histo rijs ostēderet, quàm perfidè, iniquè, superbè atq; tyrannicè Pontifices Romani cum Imperatorib. Germanicis egissent. hoc etenim, non saltem in-*

ferioris fortunæ homines, à filio isto perditionis alienari: sed & uiros principes, his salubribus exemplis ad diffidendũ homini peccati commoueri. In quo non potui non Celsitudinis tuæ prudentiam, cũ singulari pietate coniunctam, probare. quis etenim, uarijs præstantißimorũ Imperatorum nostrorum casibus, quibus pontificum perfidia ac scelere exagitati fuere, perpensis, de his fugiendis cogitaturus, eosq́ ut teterrimas omniũ malorum faces execraturus non esset? Etsi uerò Celsitudinis tuæ oratio cum aliorum piorum sententia atq; iudicio congruens, tunc temporis mihi pergrata esset: non tamen quicquam de eius argumenti tractatione statuere audebam, quòd eas mihi subinde occupationes obijci cernerẽ, quæ eius peramplæ materiæ tractationem minimè ferrent: & quòd pontificiam perfidiam, insolentiam atq; tyran-

tyrannidem tantam esse scirem, ut neq; uerbis exprimi, neq; ratione ulla ostendi poßit. Verumenimuero, dum à tua Celsitudine absui, & hinc inde in uarijs locis multorum bonorum iudicia in eadem sententia cum Celsitudine tua esse cognoui, ita mens mea confirmata est, ut paululum ocij nactus, cùm ex Celsitudinis tuæ, tum aliorum sententia, Hypomnema de perfidia ac tyrannidè Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, quàm succinctißimè pertexere aggrederer: hoc obseruato, ut Lectorem ad autores, unde uberior rerum commemoratio petenda est, quasi manu deducerem: nec iustißimo dolori, qui ex indignitate tantorum scelerum naceretur, nimium indulgerem. Quis etenim, nisi natus sit è scopulis, ac nutritus lacte ferino, non doleat, imò toto pectore cohorrescat, legens, pontifices, pie

tate Imperatorum ex latibulis, cryptis, ac ſpecubus, in quibus perſecutionum tempore latuerunt, eductos, ac liberalitate eorundem ditatos, Christi ac Apoſtolorum doctrina neglecta, eò uecordiæ, inſolentiæ, perfidiæ, impietatis atque tyrannidis progredi potuiſſe, ut, Imperatores ac Reges, ſuos domines, patronos, ac magiſtratus poſt Deum in terris maximè honorandos, conuicijs nefandis proſcindere, bellis pluſquam parricidialibus proſequi, eos omni ſcelerum genere, inſidijs, ueneno, & proditionibus impugnare, omnibus diris deuotos Imperio priuare, deniq; ipſis in triſtiſſimam ſeruitutem lecticariorum atq; mulionum redactis, ſpurciſſimos pedes oſculandos porrigere, eorumq; uenerandas ceruices ungulis urſinis ſuperbiſſimè conculcare atq; obterere minimè erubuerint. Sanè cum neminem ita crudelem, ita

ab omni in patriam amore alienum, uel à magistratus debita reuerentia auersum esse censerem, qui lectione talium uel paulisper ad succurrendũ afflictis rebus Ecclesiæ & Reipub. extimulari non posset: Hypomnematis huius de perfidia atq; tyrannide Pontificum in Imperatores Germanicos concinnandi laborem alacriter suscepi. In quo si quibusdam iustò uehementior atque asperior fuisse uidebor, hi sciant, non id linguæ petulantia, aut naturæ morbo, sed rerum ipsarum ratione factum. Nam cum hæ malæ fuerint, quomodo oratio quæ ex rebus nascitur, naturam earum mutare poterit? Quod apud gentes ualuit, hic quoque ualere necesse est: nimirum quòd

De peruersis factis oratio bona esse non poßit,

iuxta Sophoclem. Deinde hoc ingenuè fateri non erubesco, me in ea gen-

te natum, quæ ueritati ac simplicitati assueta, non auribus hominum, maximé Pontificiorum, seruire, uitia eorum fouere, uel mollitie uerborum palliare consueuerit: sed quæ suis quamque rem terminis circumscribens, scapham scapham, ficum ficum (ut rex Macedoniæ Philippus dixit) appellet. Ac si hæc ad ueritatis scriptionem mihi non sufficiunt, cogitent, Italicis scriptoribus nullam irreuerentiam contra optimos Imperatores & Cæsares nostros satis esse potuisse. Si itaque propudium ac dedecus deæ Italorum magnæ, rursus ab Imperij regniq; Christi studiosis, ipsis ostendatur, neutiquam eis iniuriam factam posse uideri: maximè cum scri-

Esaiæ 43. *ptum sit, Deum reuelaturum propudium ac dedecus effrontis istius mulieris, & ostensurum gentibus nuditatem, ac regnis ignominiam eius: Nahum 3.*

Et præceperit ad hæc, reddi ei, ſicuti & ipſa reddidit alijs: Apocalypſis 17. Hoc uerò qualecunque Hypomnema, Illuſtriſsime Princeps, Celſitudinis tuæ inſcribere uolui, quòd argumentum eius, oratione Celſitudinis tuæ mihi ſit quaſi ſubminiſtratum: & quòd eam Eccleſiæ ac Reipub. calamitatibus, tyrannide pontificia inuectis, ita affici ſciam, ut quidquid in ijs ſanandis uel auertẽdis præſtare poſsit, in eo nec pietatem, nec uoluntatem eximiam requiri patiatur. Ac, etſi hanc meam compellationem Celſitudini tuæ minimè contrariam fore ſperem: tamen ut eam, tanquam meæ in ipſam ſubmiſſæ obſeruantiæ teſtem benignè admittere atque probare dignetur, etiam atque etiam rogo. Chriſtus Ieſus, æterni patris filius, Celſitudinem tuam ad gloriã diuini nominis ſui, cùm in proſpera ualetudine, tũ uera agnitio-

ne uoluntatis ſuæ, ac deteſtatione idolomaniæ pontificiæ, diu ſaluam, incolumem, florentemq́ conſeruet ac tueatur. Datæ Baſileæ, IX Martij, Anno M. D. LXVI.

Tuæ Celſitudinis obſeruantiſs:

Simon Schardius D.

DE FIDE, AMICITIA AC OBSERVANTIA Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos

Ὑπομνημάτιον.

CVM multa uariaq́ȝ ſint, quę Deũ ordinis amantem eſſe teſtantur atqȝ oſtendunt: tum uerò illud euidens atqȝ illuſtre teſtimonium ſuppeditat, quòd, quò ea quibus religio, ueráq́ȝ animi in ipſum pietas, uitæq́ȝ huius ac ciuilis ſocietatis conſeruatio cõtinentur, debito ac legitimo ordine peragerentur, Religioni ſacerdotes, Imperio principes ac reges mirabili ſapientia inde ab initio multiplicati generis humani præfecit, per proprios actus ac dignitates diſtinctas, officijs utriuſqȝ poteſtatis diſcretis. Etſi enim, qui legis diuinæ promulgationem in ueteri Teſtamento anteceſſére patres, Abel, Seth, Noha, Abraham, Iſaac & Iacob, tam ſacra quàm Imperium admi niſtraſſe leguntur: & ſubſequentibus temporibus apud Aegyptios & alias nonnullas gentes (haud dubiè à patribus memoratis exemplo ſumpto) non niſi ſacris initiati, reges electi à Platone referuntur: tamen Deus legè per Moyſen lata, officia ordinis utriuſqȝ diſtincta eſſe uoluit: ac ſacerdotes docere, ſacrificare & orare: duces cum populò regere, ac cuſtodes diſciplinæ & pacis iuxta leges congruentes eſſe iuſsit: &

nouo

nouo sacerdotio in Testamēto nouo, per Christum filium Dei, redemptorem generis humani instituto, & ipse quantūuis Rex & sacerdos æternus à patre omnipotente constitutus esset, temporalium administratione à se abdicata, sola spiritualia curanda suscepit: quòd regnum suum æternum ac cœleste, non temporale, mundanum uel politicum esset: inq; eo non corporalia, caduca, fluxa atq; fugacia, sed æterna atq; cœlestia beneficia distribuenda esse sciret. Itaq; & regnum suum non esse de hoc mundo, Pilato

Iohan. 8. de regno ipsius sciscitanti mansuetè respondit: nec se uenisse ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, animamq; suam daret redemptionem

Matth. 20. pro multis, dixit. Ac quando turbæ regem temporalem ipsum facere uoluerunt, fugit: petitæ

Iohan 6. hæreditatis iudicium uel diuisionem recusauit.

Luc. 12. ac non solum Cæsari quæ ipsius essent, danda

Marc. 12. præcepit: sed & cum didrachma ab ipso petere-

Matt. 17. tur, ne offendiculo esset alijs, staterem ex ore piscis exemptum exigentibus soluit. Adhæc, cum discipulos suos ambitione dominandi suffusos de primatu contendere cognouisset, non ipsos, sed reges gentium dominaturos asseuerauit: eò ipsos officij admonens, idq; à politia ac mundana gubernatione secernens. Ac tandem, post gloriosam è mortuis resurrectionem, eos ad sacrosanctum Euangelium prædicandum per totum terrarum orbem dimissurus, non alia quàm qua ipse à patre missus erat, ratione misit: mandato hoc innuens, non ad dominandum eos uocatos, sed ut Euangelij annunciatione, ac legis prædicatione

tione æternam Ecclesiam patri colligerent, eum toto corde diligerent, timerent, inuocarent, ac nullis terroribus, odijs uel supplicijs deterriti confiterentur: in inuocatione sedulò, fideliter, constanter, modestè, sobriè ac castè uersarentur: mansuetudinem in offensione, misericordiam in calamitate bonorum, patientiam in afflictione colerent, unitatem Spiritus per uinculum pacis conseruarent: denique sollicitudine rerum corporalium abiecta, paupertatem aliaq; uitæ incommoda placidè ferrent: ita, ut ex ipsorum doctrina & uita Christus glorificetur, Ecclesia crescat, ministeriumq; commendetur.

Et sanè Apostoli, eorumq; successores, ex mandato præceptoris orbem terrarum obeuntes, cùm in alijs, tum in obseruantia discriminis ordinis politici ac sacerdotalis sese ita gessêre, ut uerissimi Christi discipuli ac imitatores esse agnoscerentur. Siquidem non solum æternam optimi maximi Dei uoluntatem sine figmentis hominum purè annunciauerunt: sed & Cæsares in terris à Deo secundos, anteq; omnes mortales primos uenerari, dominosq; suos uocare, eisdem tributum pendere, pro eorum salute preces ad Deum fundere, imperata magistratus detrectantibus diuinam uindictã minitari sunt soliti: cùm omnibus negocijs secularibus, tum maximè usurpatione armorum abstinentes: ensem duplicem Ecclesiæ datûm ad seruandum uiuificandumq;, non ad occidendum, scientes: tantum abest, ut uel regũ uel principum quenquam, licet impijssimũ, regno pel-

lere,

lere, populum eius sacramento soluere, uel pro principatu cum ipso decertare tentarent: sed asperrimas atque difficilimas persecutiones per annos ducentos & septuaginta, magis fide in Deum firma, ardenti inuocatione, ac gloriosa constantia, quàm frendente impatientia ac uiolenta propulsatione superandas esse existimarent: idq; non sine ecclesiæ Christi incremento ac propagatione. Quando etenim pulchrior, ac suo capiti Christo similior Ecclesiæ facies fuit, quàm cùm post Christi ascensionem discipuli mandata eius adimplentes, & successores ipsorum uestigijs insistentes, primùm per Iudæam, Samariam & Palęstinam Euangelium fideliter ac purè prædicarunt: deinde cùm suis synergis ad alias gentes, maximè uerò Romam, orbis terrarum caput, atque in finitimas regiones properantes, in uinea Domini excolenda, à Lino usque ad Syluestrum & Cæsarem Constantinum Magnum, in atrocissimis persecutionum procellis, per ducentos & quinquaginta annos cum uitæ ac sanguinis effusione, plantando & rigando fideliter elaborauerunt?

At cùm diuina misericordia à Constantino Magno Christianorum ecclesijs pace data, episcopi ex latibulis, cryptis ac specubus, in quibus tempore persecutionum latuerant, educti, mundi delicijs ac inutili ocio frui, uitam amœnam ducere, à uia prædecessorum deflectere, ac per uerbi diuini neglectionem & terrenas affectiones Christi ac Apostolorum doctrinam canonibus, decretis, ac cæremonijs uestire, noua dignitatum officia excogitare, Ecclesiam

unam alijs omnibus præferre, diſcrimenq́ ordinis eccleſiaſtici atque politici conuellere minimè erubuerunt: mox tanta doctrinæ, diſciplinæ & ordinis confuſio eſt nata, ut non gregis Dominici paſtores, ſed lupi rapaciſsimi: non ſacerdotes, ſed blaſphemi: non rectores, ſed eiectores animarum à conſpectu Altiſsimi eſſe uiderentur. Siquidem non tantum doctrinæ Chriſtianæ ſynceritatem humanis traditionibus mirum in modum obſcurârunt, ſuperſtitionibus impijs deprauarunt, ac ethnica mortuorum inuocatione, blaſphemaq́ idolomania impiè polluerunt: & omni honeſtate ac diſciplina conculcata, in omni ſeductione ac ueritatis oppreſsione, Sodomiticis fœditatibus, laſciuia, luxuria, impudicitia, ſcortatione, ſacrilegijs, diſsidijs, necromantijs, ueneficijs, homicidijs, alijsq́ ſceleribus ſua tempora tranſegerunt: ſed & diabolica dominandi cupiditate atque ſuperbia elati, contrà diuinum præceptum ſecularibus negocijs ſeſe implicare, à ſubiectione regum ſeſe ſubtrahere, aliena uſurpare, falcem proteruam in meſſem non ſuam temerè porrigere, utramque perſonam gerere, iuriſdictionem utriuſque gladij ſibi arrogare, neminem parem, nedum ſuperiorem ferre, alijs ius atque honorem præripere, regibus imperare atque leges præſcribere, Cæſares ut precariò regnantes floccifacere, deuouere, & capite diminuere: principes cum principibus committere, diſcordias ſeminare, factiones confirmare: ſubditos

à fide-

à fidelitatis iuramento absoluere, ac ad illicitam rebellionem sua improbitate atque astutia impellere cœperunt: ita ut post constabilitam tyrannidem suam fraudibus, cædibus, bellis, omniq; scelerũ genere Romani imperij maiestatem maiore ruina, quàm ulli exteri barbariq; hostes, ui atque potentia sua deformarint atq; oppresserint.

Nam ne cõmemorem Orientale imperium, Pontificum Romanorum technis ac artibus destructum, initio Græcis per Longobardos Italia pulsis: mox hisce per Francos, contra Aistulphum Longobardorum regem censum atq; uectigal à Stephano secundo petentem, euocatos oppresis: Quis mediocriter in historiarum lectione uersatus est, quem fugiat, imperio Romano uirtute Caroli Magni à Græcis ad Germanos translato, Imperatores nostros inauditis technis ac fraudibus, ab episcopis Romanis petitos, tristissimis bellis diuexatos, tandemq; scelere eorundem Imperij uires incisas, attenuatas, fractasq; esse?

Est quidem huius rei commemoratio ita iniucunda ac tristis, ut lachrymis potius quàm oratione prosequenda esse uideatur: tamen cum in eius mentionem noster sermo sit delatus, rem nec ab instituto, nec argumento Operis præsentis alienam, facturam me credo, si quæ humilitas, obseruantia, fides ac obedientia Romanorum pontificum erga laudatissimos Imperatores Germanicos, qui ipsos ditârunt atq; ornârunt, extiterit, obiter recenseam.

¶ Vt itaq; à Francis, qui primi Imperium à Græcis ad Germanos transtulére, exordiar: quis est qui nesciat, quantis beneficijs, honoribusque hi sedem Romanam ornárint? Carolus siquidem cognomento Magnus, eam à Desyderio Longobardorum rege durissimè uexatam, Longobardis deletis gloriosè liberauit, ac contra Herigisum ducẽ Beneuentanorum eiusdem fines defendit: mox quoque Leonem tertium, factione aduersariorum Roma exulantem, sedi Barioneæ restituit.

LVDOVICVS PIVS.

Ludouicus quoque patri Carolo suffectus, ut libri Pontificij memorant, summo Pontificij, eiusq; successoribus Romanam ciuitatem cum ducatu suo insigni liberalitate concesit: ac iura Ecclesiæ & dignitatem constanter, etiam ad superstitionis usq; notam, tutatus est.

Non tamen uel patris, uel filij uirtutis ac meritorum recordatio tanta fuit, ut Gregorij III pontificis improbas machinationes contra Ludouicum reprimeret. Nam bello à filijs contra patrẽ moto, ipse non (quod pontificis Apostolici fuisset) dissensionem amouit, sed à Ludouico in castra filiorũ, pro concordia sarcienda missus ea conditione, ut rediret: Ludouico relicto, in castris filiorũ mãsit, ac ueri apostatici instar patricidialem dissensionem iuuit ac fouit: ita ut pater comprehen-

Annonius in historia regum Galliæ. Ioannes Marius Belga in libro de Schismatibus & de concilijs. part. 2. cap. 4.

hensus,ac arctissimæ custodiæ mancipatus, in monasteriũ Suessione unà cum filio iuniore sit detrusus. O` insignẽ filiorũ in optimum parentem, ô detestandam Pontificis in pientissimum Imperatorẽ ingratitudinẽ, pari perfidia ac scelere coniunctam. Licet aũt Imperium apud posteros Ludouici aliquot deinde annos manserit: minus tamẽ Pontificum improbitas in ipsos, quàm progenitorẽ Ludouicum, sese exeruit. quòd in hoc unicũ intenti essent, ut potestate, quam Imperatores in ipsis cõfirmãdis habebãt, excussa, facilius eos demum pedibus contererẽt. Atq; id quidem longo tẽpore parturierunt, donec fœtũ editum anno 895 in lucẽ protulêre. Nam eo tempore, Carolo Crasso imperatore ex Italia discedente, ut in Normãnos, qui tum Gallias inuaserant, moueret: Hadrianus tertius hac opportunitate illectus, initio pontificatus sui statim ad Senatum populumq; retulit, ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, sed Romæ libera semper essent cleri & populi suffragia: hoc decreto Imperatoribus ius omne quod in pontificẽ atq; urbẽ Romanã habuêre, adimens, & succeßoribus suis maiora attentandi uiam cõmonstrans. Ac quidẽ exinde deficiente Caroli Magni posteritate, quæ centũ & aliquot annos felicißimè Imperium administrauit, ac ipsis pontificibus de cathedra pestilentiæ horribili rabie inter sese decertantibus, ac se inuicẽ cædib. ueneficijs, omniũq; scelerũ ge-

Platina in uita Hadriani III.

nere

genere excutientibus, machinationes ipso-rum in Imperatores conquieuêre, donec sub Othone primo rege Germaniæ, improbitatis suæ reiterandæ explicandæque occasionem recepêre.

OTHO MAGNVS.

NAm cum Othone regnante, Ioannes XIII, nobilis q̃dẽ genere, sed morib. turpissimis, sedi Romanę præsideret, Petriq; cathedrã luxu, alea, ganeis, scortationibus, omniq; uitiorum genere pollueret: simul quoq; Berengarius Longobardorũ dux cùm alias ciuitates, tum quoq; Romã durissimè uexaret: Cardinales Epicureã uitã Pontificis, & tyrannidẽ Berengarij grauissimè tulêre, ita ut duo ex ipsis, quibus hęc uel honestatis uel sedis Romanæ nomine, uel odio pontificis præ cæteris displicerent, ab Othone, cuius tunc uirtutis opinio ob Lotharingos, Gallos, Hungaros, Danos, aliosq; barbàricos populos deuictos, eximia & per totum orbem illustris erat, auxiliũ petendũ statuerẽt. Itaq; cũ aliquot alijs cõmunicato cõsilio, & per literas & legatos Othonẽ rogauêre, uti laboranti Ecclesiæ & Reipub auxilium ferret: Berengarij tyrannidem crudeliter in Ecclesias sæuientis reprimeret, & Ecclesiam à tam tetra ac impura belua liberaret. Pontifex his cognitis, ei qui literas scripserat, tres digitos, & Cãcellario suo qui in hoc cõsenserat, nasum amputat. Otho itaq; q̃ minimè Ec- *Theoder'cus de Nyem in uita Othonis*

 cle-

Luitphrandus Ticinensis lib. 6. rerũ per Europam gestarum, ca. 6. & sequentibus.

clesiá periclitanté ,pijciendá cẽseret, omnib. necessarijs ad bellũ cõparatis, cum quinquaginta millib. militũ in Italiá cõtendit: Berẽgariũ, atq; Adelbertum filium eius, Italia pellit: Romá dehinc properat. Ac etsi ei pontificis facinora notissima essent, tamen reuerentia sedis Apostolicæ, initio nihil durius uel aspẽrius in ipsum statuit: sed ipsum omnib. quæ ei adempta fuissent restitutis, ingẽtibus gemmarum auri & argenti muneribus honorat. Ac data opportunitate colloquendi cum hõmine, secreto atque amicè, quæ de ipsius flagitijs cognouisset, commemorat: admonẽs, ut in posterum à tam turpibus atq; nefandis abstineat, frugi uitam agat, ac Ecclesiæ ornamento, nõ dedecori sit: sanctimonia uitæ nõ minus pontificẽ, quàm eruditione atq; scientia, commendari. Papa pręsenti Imperatori uitæ melioris saniorisq; spem optimá facit: qua Imperator lætatus, Roma Papiá ad hybernandũ concedit: iureiurádo tamen prius à pontifice supra corpus Petri, se nunquam Berengario atq; Adelberto auxiliaturũ, accẽpto. Vix uerò Imperator Roma discesserat, cum pontifex ad pristinum uomitũ rediens, non solum luxui, ganeæ, scortationibus, stupris, sacrilegijs, rapinis, homicidijs, ueneficijs, alijsq; turpissimis flagitijs indulget: sed & iuramenti Imperatori præstiti oblitus, Adelbertum Fraxineto, quò ex Italia ad Saracenos profugerat, ad se euocat, eique contrà Imperatorem Othonem omne auxiliũ pollice-

licetur:legatos quoq; contra Othonē Constātinopolim mittit. Imperator, cui talis perfidia in Pontifice mira uideretur, hisce intellectis, non temerè fidem adhibendam censet: sed quosdam suorum Romam, qui rei ueritatem inquirant, mittit. Ijs itaq; reuertentibus, & cûm hæc, tum alia atrociora, uerissima esse affirmantibus: Imperator iustissima indignatione commotus, Romā denuò contendit. Ac dum iuxta eam castra metatur, Io hanne pontifice cum Adelberto in Campaniam aufugiēte, cum omnibus suis à ciuibus in urbem honorificè recipitur, fidelitatē Imperatori promittentibus: firmiterque iurantibus, se nunquam Papam electuros præter cōsensum imperatoris Othonis cæsaris Augusti, filijq; ipsius regis Othonis. Elapso itaque sic Ioanne, atque metu Cæsaris in syluis & locis Campaniæ abditis latitante, ac post triduum tam clero Romano, quàm populo rogante conuentum, in quo de uita Ioannis inquireretur, fieri: Otho concilium indicit, uocatis ad hoc omnibus episcopis & abbatibus Italiæ, quos integros, pios & bonos esse sciebat. Quibus die statuto uenientibus, etsi scelera ipsius talia essent, ut etiam ex concilij sententia, nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos latêre putarētur: minimè tamen sententiam in ipsum præcipitandam diuinæ uirtutis Imperator, sed moderato animo maturoque consilio procedendum censuit. Quare cum archiepiscopis Liguriæ, Tu

ſciæ, Saxoniæ, Franciæ, ad Ioannẽ literas, in quibus accuſationis cauſæ ac uerba continebantur, mittit: eumq; hortatur, ut ad purgandum ſe de criminibus obiectis ueniret. Illo uerò ita reſpõdente, ut autoritatẽ concilij ab ipſo negligi facillimè appareret: ſimulq; temerariè excõmunicante eos qui alium eligerent: Imperator, grauiſsima oratione cõcilio exponit, quàm perfidè Ioannes ſecũ egiſſet, quamq; ſceleratè uixiſſet. Eo itaq; audito, unanimi Cõcilij ſententia, Ioãne apoſtata ob improbos mores reprobato, Leo protoſcriniarius Romanæ eccleſiæ pontifex electus eſt. Interea aũt Imperatore milites pleroſq;, quos ſecũ duxerat, dimittente, ne multitudine exercitus Romanis oneri eſſet: reprobatus ille Pontifex hoc cognito, cũ non ignoraret quàm facili momẽto Romanorum animi mutarentur, quãq; fluxę ac inſtabilis fidei eſſent: nuncios ſuos Romã mittit, ac ut in Imperatorẽ eiusq; comitatũ irruant hortatur: inq; remunerationẽ ipſis, beati Petri omniũq; Eccleſiarũ theſauros pollicetur. Romani paucitate exercitus Cæſarei, & pecuniæ promiſsione animati, cõſpirant, ac buccina concrepãte in Imperatorẽ inſurgũt. At eo ſuper pontẽ Tyberis, ipſis cũ milite intrepido, inq; armis exercitato uiriliter occurrẽte: Romani perfidiæ ſuæ dignas pœnas retulêre. Ita nãq; fuſi fugatiq; ſunt, ut nullũ nec ſacra nec prophana loca tuerentur, ſed tã ab aris q̃ haris ſordiũq; receptaculis extraherentur. His

itaq;

ĩtaq; ſic peractis, Otho Romanos tanta ſtrage affectos, quietiores fore ſperās: Spoletū, ubi Adelbertū eſſe audierat, feſtinat. At Ioānes denuò ad ſolitas artes cōuerſus, per meretrices, quibus cū antè cōmercium habuerat, nobiles pleroſq; Romanos ita cōcitauit: ut Ioanne in urbē recepto, Leo ægrè manus ipſorum euaderet, & ad Imperatorē perueniret. Is ergo Leonis papæ deiectione, ac Ioannis tyrannide, qua in quibuſdā puniendis uſus fuerat, cognita, exercitū reparat, iniuriā ſibi atq; Leoni pōtifici à ſe inſtituto illatā ulturus. Verùm dū in eo occupatur; optimi maximi Dei iudicio, uolentis Ioannē mūdo ad exemplū diuinæ uindictę proponi, factū eſt, ut miro genere mortis interiret. Nā cū quadam nocte, cū cuiuſdam uiri uxore extra urbem ſeſe oblectaret: in tēporibus adeò à diabolo (quemadmodū Luitprandus Ticinēſis memoriæ prodidit) percuſſus eſt, ut intra octo dierū ſpaciū ex uulnere ſit mortuus. Alij uerò à marito mulieris, qua cū conſueuerat, uulneratū fuiſſe ſcribunt: ita ut animā impuram diabolo, cui ſeruiuerat, redderet. Etſi aūt hoc monſtrum interijſſet: non tamen ſeditio per ipſum mota conquieuit. Nam Romani in eius ſublati locum, Benedictū Quintum ſubrogārunt: eumq; ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contenderunt. Sed Imperator cum hanc electionem nequaquam probaret, Romanos, id minimè expectantes, à ſe repulit: eoſque flamma & ferro

Platina in uita Ioannis XIII.

omnibus circa urbem uastatis, compulit, ut pulso Benedicto, uel dedito potius, Leonem susciperent, adactos sacramēto, nil se earum rerum immutaturos, quas ipse Imperator in re pontificia constituisset. Leo itaque in sedem Barioneam restitutus, Romanorum inconstantiæ pertæsus, autoritatē omnem eligendi pōtificis à clero populoq; Romano ad Imperatorē trāstulit: prout habetur distinct. 6 .c.in Synodo. Et Otho hoc modo rebus compositis, in Germaniā rediens, secum Benedictum duxit: qui non multo pôst, dolore animi Hamburgi, apud cancellarium Othonis Adaldagum, archiepiscopū Hamburgensem, mortuus, ibidemq; in cathedrali Ecclesia sepultus est.

Platina in uita Benedicti V. Vide etiam Alb. Krātz. lib. 4. cap. 9.

OTHO III.

Post aliquot deinde annos, ut auo in Imperio, sic quoque in contentionibus pontificijs succesit Otho eius nominis tertius. Defuncto namque Ioanne decimoseptimo, cum ipse Gregoriū quintum ex iure per Leonem octauum Othoni Magno concesso pontificem creasset: eumque Crescentius ac populus urbis, ægrè ferentes hominem Germanum autoritate Imperatoris ordinatum esse Papam, sede pontificiali deiecissent: Ioanne eius nominis decimooctauo, prius episcopo Placentino, homine pecunioso ac erudito, in locū eius substituto: Gregorius ad Imperatorē in Germaniā profe-

Nauclerus generat. 34. Platina in uita Georg. V. Cuspinianus, & Theodoricus de Nyem in uita Othonis tertij.

profectus, ac de iniuria sibi illata cōquestus, Imperatorem ita cōmouit, ut copijs coactis urbem peteret, eamq; longa obsidione cinctam ad tantam redigeret necessitatem, ut populus Romanus fame coactus, patentibus portis Imperatorem reciperet.

Intromissus itaq; in urbem Imperator, cum sciret eandem sibi potestatem scelerati pontificis, quam alterius latronis cohercendi, diuinitùs concessam esse: initio pontifici capto oculos erui, & manuū digitos amputari: deinde sordidis indutum uestibus, manibus pedibusq; reuinctis asino imponi, ac per urbem duci, tandemq; è monte Tarpeio præcipitem dari iussit. Crescentium autē consulem ex fuga retractū, uili quoq; iumento, uultu ad caudam uerso, nasoq; cum auribus abscisso, ut spectaculo esset omnibus, impositum, ante urbis mœnia in patibulo suspendit. Sic ergo punitis aduersarijs, non solum Gregorius undecimo mense posteaquā pulsus fuerat, sedem pristinam recuperauit: sed & optimus ac præstantissimus Imperator successoribus commonstrauit, non mansuetudine pontifices uincendos, sed seueritate cohercendos. Semper etenim quo quisque Cęsarum placidius erga eos se gessit, tanto petulātius eius mansuetudine sunt abusi, pudendis eos ludibrijs prosequentes: ut id ex subsequentibus clarè innotescet.

Benno Cardinalis de uita et rebus gestis Hildebrandi

OThonis, de qua diximus, seueritas, in Iohannis perfidia punienda, Pontifices aliquandiu cohibuit, ne cõtra Imperatores quicquam apertè attentarent. At Benedictus XI, Pontificatum satanicis artibus ac magicis præstigijs adeptus, tanto audacior extitit, quanto incantator ac necromanticus sceleratior fuit. Namq; defuncto Cunrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto: ipse habito consilio cũ familiari suo Laurentio, & alijs suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Cunradi Henricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia diuersa schismata seminare. Misit igitur coronam Romani imperij Petro regi Vngariæ, cum huius uersiculi inscriptione:

Petra dedit Romam, Petro tibi Papa coronam.

Sed Imperator duce Lotharingiæ Godfrido, uiro fideli & bellis strenuo, & inter regni principes clarissimo, ad oppugnandũ Petrum misso, eum primo conflictu cępit: & ut digna factis tanti schismatis autori Theophylacto redderet, Romã uenire constituit. Quo audito, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, timore perterritus, uendidit papatum complici suo archipresbytero ecclesiæ sancti Ioannis de porta Latina, magistro Hildebrãdi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus est sextus Gregorius.

Quia uerò eò tum Pontificatus deuenerat, ut qui plus ambitione & largitione ualeret, is tantum dignitatis gradum bonis reiectis & oppressis retineret: & plures per posticum ut fures & latrones, quàm per ostium ad sacerdotium intrarent: ideo eisdem diebus, prętер archipresbyterum Ioannem Gratianum, scelerum sedem conscendit Ioannes Sabinensis episcopus, qui mutato nomine dictus est Syluester tertius: & factum est, ut Romana ecclesia in partes diuersas scinderetur. Decertantibus itaque de Papatu Benedicto nono, Syluestro tertio, & Gregorio sexto: Henricus cognomento Niger, patri Conrado succedens, rebus per Germaniam constitutis in Italiam cũ exercitu contendit: ac habita synodo, Theophylactum in fugam coegit: Gregorium in custodiam reclusit; ac postea cum Hildebrando in exilium in Germaniam misit, ac Sabinensem episcopũ ad sedem propriam redire compulit: Syndegero Bambergensi episcopo, cui Cleméti secundo appellatio fuit, in locum monstrorum istorũ suffecto, ab eoq; accepta Imperij corona, Romanos in uerba sua iurare compulit: pontificum electioni nequaquam se interfuturos, nisi id iussu Imperatoris ipsis concederetur. Videbat enim optimus Imperator, eò licentiæ factiosum quemque & potentem, quamuis ignobilem, deuenisse, ut corruptionibus ac scelere tantam dignitatem consequeretur; quæ nisi sanctitate & doctrina

Benno, Platina in uita Syluestri III. et Gregorij VI.

doctrina benè meritis, uolēte Deo, cuipiam mandari deberet. Adeò uerè hic mos iam inoleuerat, ut cuique seditioso & scelerato liceret Petri sedem inuadere, ut abeunte Imperatore, Damasus secundus, natione Bauarus, ueneno in hos usus parato, Clementem sustulerit: quem uirtus dare consueuit Episcopatum, scelere comparaturus. Sed obstitit DEVS, iustus uindex: tertio & uicesimo die inuasi pontificatus, ipsum ad tartara detrudens.

HEINRICVS QVARTVS.

ETsi uerò iam inde à tempore Caroli Magni Pontifices dominandi libidine accensi, uarijs artibus atq; insidijs Imperatores oppugnârint, nihilq; attentatum reliquerint, ut autoritate Imperatorum conculcata, impunita rerum omnium libertate potirentur: tamen malicia, impietas, atque perfidia ipsorum cum diabolico fastu coniuncta, maximè sub Gregorio septimo sathanico monstro torrentis instar exundâuit, imperijque maiestatem fatali ruina prostrauit. Nam hic scelestus, cum post sex pontifices, arte sua ueneno necatos, Alexandro magistro, quem sede pontificia ob imploratum Imperatoris auxilium deiecerat, successisset, minimè memor Heinrici Nigri beneficij, qui ipsum æterno carcere ab omni hominum societate separandum, è custodia, in quam cum Gregorio sexto (ut diximus) damnatus

Benn'.

tus

ùs erat, benignè dimiſerat, atque ſeruârat: ſed cùm armis Nortmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam atq; Campaniam, quas ſi occupârant, debachabantur: tunc etiam opibus Mathildę mulieris potentiſsimę con ſiſus, atq; occaſione difficillimorum bellorũ, quæ tunc Imperatori uix decimũtertium an num egreſſo, cum Saxonibus infenſiſsimis hoſtibus intercederent, inuitatus: & perfidia epiſcoporum Germanorum, quos impoſtor diabolicus arte ab Imperatore alienârat, adiutus: primus contra morem maiorũ ſine conſenſu Imperatoris, antea ſemper in pontificum electione interponi ſolito, Pontificatum inuaſit. Ac ne ab Imperatore reliqui epiſcopi atq; abbates ſui confirmationẽ peterent, decreto ſub excommunicatione edicere, ſe non ſolum in cœlo ligare & ſoluere, ſed in terra quoque imperia, regna & principatus auferre & dare poſſe: impudentiſsimè iactitare, ac temporalem ſupremamque iuriſdictionem lege lata uſurpare, Reges atq; Auguſtos ut precario regnantes floccifacere, nuncios Cæſareos conatibus ipſius refragantes in uincula conijcere, ac per urbẽ ignominioſè circumductos Roma pellere cœpit.

De hac Mathilde, qualis & cuias fuerit, uide Albertum Krantzium lib. 5. Saxoniæ, capite 13.

Formula decreti extat, c. ſi quis deinceps.

Henricus itaq;, etſi difficillimo bello Saxonico diſtineretur, tamen nouam atque inſolitam pontificis audaciã minimè ferendam ratus, concilium Vuormatiæ indixit: in quo legatis, qui Roma uenerant, auditis, &

& literis de Hildebrandi ſceleribus lectis; præter Saxones, omnes episcopi Germani & Galli pontificem Hildebrandum (cum primus ſine conſenſu Imperatoris Romani, rerum Domini à DEO conſtituti contra morem maiorum, contra leges, contra auſpicia, pontificatum maximum monachus deſertor inuaſerit, utrumque, & Imperium & Pontificatum, ſicut Decij, & falſorum deorum cultores fáctitare conſueuerunt, uſurpet) Pontificatu abdicandum, nec oues lupo committendas, decernunt: Rolando quodam clerico Parmenſi cum epiſtola, quę concilij ſententiam complectebatur, Romã miſſo; ut nomine ſynodi Gregorio pontificijs officijs interdiceret publicè: præciperetq; Cardinalibus, ut relicto Gregorio, aliũ pontificem habituri ad Imperatorem proficiſcerentur. Cæſar quoq; & Hildebrando, & ſacerdotibus populoq; Romano ſcribit, imperans ex concilij decreto, ut ille ad priuatam uitam redeat: hi, deſerto Hildebrando, more maiorum paſtorem ſibi deligant.

Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeò nihil commotus eſt, ut & furioſius exarſerit, multoq; inſolentior euaſerit. Nam cum antè quoſdam Imperatoris familiares excommunicaſſet, quorum conſilijs eum ad tales actiones impelli exiſtimabat, Cæſarem iam ipſum, in conciliabulo ſuo, contra ordinem iudicandi ſacris canonibus determinatũ, nouo exemplo excõmunicat,

pro-

proſcribit, regia dignitate priuat, regno ſpoliat, ſubditos à dato iuramento abſoluit. Veruntamen, ut primùm ad excommunicandum Cęſarem de ſede ſurrexit, ſedes iſta nouiter lignis fortiſsimis compoſita, ſubitò Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: ut manifeſtè daretur intelligi, quòd tam temeraria excommunicatione ſeſſor ille horrenda ſchiſmata contra Chriſti eccleſiam ſeminaret.

Formula abrogationis extat apud Platinam in uita Gregorij VII.

Benno.

Nec uerò hæc fulmina penitus cæca & irrita fuêre. Principes etenim atq; epiſcopi Germani, Pontificis anathemate cognito, partim ſuperſtitione uana, partim ſpe amplificandę potentię, partim odio antiquo Heinrici adducti, comitijs indictis, ni Heinricus à Pontifice in Germaniam uenturo, ſupplex ueniam peteret, defectionem minitantes: rem eò deduxêre, ut ipſe in anguſtijs poſitus, atque in periculum abrogationis Imperij ueniens, ſe pontificem aditurum, culpamq; deprecaturum, principibus polliceretur.

Itaque poſitis regalibus ornamentis, cum uxore ac filio paruulo, in aſperrima hyeme Canuſium periculoſiſsimo itinere ad Papã contendit, in laneis ueſtibus, pedibus nudis, ſpectaculum angelorũ & hominum factus, ante portas ciuitatis, à mane uſq; ad ueſperã ieiunus ueniam ſupplex petit: Hildebrandi ludibria inter meretrices & monachos; in lachrymabili afflictione triduum perfert, cupiens

Benno.
Nauclerus generatione 36.
Vrſpergenſis.
Platina in loco antè citato.

piens ad illum intromitti. Sed ingressus denegatur. Petenti instantius per totum triduum, respondetur: Pontifici non esse adhuc ocium colloquendi cum eo. Heinricus æquo animo ferens, se non intromitti in urbem: mansit in suburbio, non sine magna incommoditate. hyems namque erat asperrima, & cuncta rigescebant gelu. Indesinenter tamen nequicquam toto triduo petens sibi ueniam dari: tandem rogantibus Mathilda comitissa, Adelao comite Sabaudiæ, & Cluniacense abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die, in signum quòd ueraciter pœniteret, pontificiæ potestati coronam tradidit, cum omnibus Imperatorijs insignijs: fateturq; se indignum fore Imperij titulo, si eadem posthac in Pontificem designaret, quæ antea commiserat. Postulanti ueniam, Pontifex neq; ueniam dare, neq; ab excõmunicatione absoluere uult, nisi prius reciperet, se iuxta Põtificis decreta uelle culpam cõmissam expiare in Cõcilio, & quouis loco & die à Pontifice indicto præstò esse: & ipso pontifice causæ cognitore, ad accusationes respondere, nec ad uindictam intendere animum. item ad pontificis sententiam (etiã purgato se ab obiectis) regnum uel retenturum, uel amissurum. Item, ante cognitionem causæ nolle regio habitu uti, aut regia insignia sumere: nec gubernandi potestatẽ usurpare, neque à subditis data fidei iuramenta exigere. Promissa uerò Pontificij

ista obedientia, paceq; iureiurando & scripto confirmata, Heinricus absoluitur ab anathemate.

Verùm cùm pontificij hanc iniuriam atque tyrannidem se minimè impunè laturos, Heinrico quiete data, perspicerent: nouo consilio de eo exautorãdo inito, Rudolpho Sueuiæ duci, Heinrici sororio, coronam auream, quo seq; resq; suas tutiores redderent, cum hac inscriptione misêre: *Vide Helmoldum cap. 28. et 29. in Chronicis Sclauorum.*

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Et Gregorius Moguntino & Colonensi episcopis præcepit, ut Rudolphum, Heinrico deserto, regem inungerent, atq; pro uiribus iuuarent. Etsi autem Rudolphus non solum Imperatori fide obstrictus, sed & Mathildi eius sorore in uxorem ducta, affinitate iunctus, deniq; ab eo post obitum Otthonis Sueuiæ ducatu donatus, maximisq; beneficijs affectus esset: tamen & Episcoporum speciosis argumentis impulsus, & fretus sua potentia, atq; auxilijs Saxonum, Imperium inuasit, bellumq; quanta ui potuit molitus ẽ.

Cæsar itaq;, qui de hoc per Argentinensem episcopum admonitus, ad tuendum Imperium copias contraxerat, & sibi nihil ab omni parte tutum uideret, mox Rudolpho occurrit, atq; de summa rerum, pugna cum ipso cõmissa, experitur. Cuius exitus is fuit, ut Papa suis metuens, utriq; pacem mandaret: Synodi, quam in Germania indicturus esset, sententia expectata. Verùm cum Heinricus

ricus institutum pontificis eluderet, dicens, Se minimè permissurum conuentum in Germania agi, nisi prius Rudolpho remoto: Pontifex, ne penitus Rudolpho deesset, excõmunicationem in Heinricum renouat, & literas furoris plenas in ipsum emittit. At is minimè ijs fractus, tertiò ad Elystrum Mysiæ cũ Rudolpho congressus, eum prælio superat, anno millesimo octogesimo, Idibus Octobris.

Execrationis tenor habetur apud Platinam.

Rudolphus grauiter in eo conflictu uulneratus, ex exercitu ereptus, perlatus est Merseburgum: eoq; ad se iussit accersi Episcopos & primores suæ conspirationis. Quò cum uenissent, Rudolphus allata dextra, ex cuius uulnere mortẽ adesse maximè præsensit, ait: Hæc est manus, qua sacramentum præstiti domino meo Heinrico. Vobis aũt urgentib. toties tam infeliciter contra eum pugnauit. Ite & implete regi uestro primã fidem: nam ego ad patres ibo. At Heinricus superato Rudolpho, silentibus tunc nonnihil armis in Germania, iniuriarum à pontifice Hildebrando illatarum non immemor: & irritatus non parum, q; se bis excõmunicatum regno priuauerat, reconciliationẽq; sibi supplici toto triduo denegauerat in asperrima hyeme: necnon Imperij æmulũ contra se arte excitatum adiuuerat, apud Brixiam Noricæ, synodum episcoporum Italię, Lombardię & Germaniæ indixit. Quò omnibus cõuenientibus, & actis Hildebrandi examinatis, Episcopi

Abbas Vrspergensis fol. 238. Testatur autem hoc colloquium Rodolphi & episcoporum, Heinrici innocentiam, et episcoporum πολυπραγμοσύνην.

ſcopi conſentiẽte ſuffragio: Quia (inquiũt) non à Deo electum illũ conſtat, ſed à ſeipſo in fraude ac pecunia impudentiſsimè obiectum, qui eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animę intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiam, &c. nos autore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti XIX epiſcoporum, die 8 Pentecoſtes Moguntiæ congregatorũ contra Hildebrandum eundem procaciſsimè ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria ac incendia defendentem, diuinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à uera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum: & niſi ab ipſa ſede, his auditis, deſcenderit, condemnandum. *Abbas Vrſpergenſis loco citato.*

Poſt hæc Imperator motib. in Germania qualitercunq; ſedatis, cum exercitu Romam contendens, anno Domini milleſimo octogeſimo primo, caſtris ante caſtellũ diui Petri poſitis, crebris incurſibus Romanos ita infeſtat, ut pacem petere, & ſibi portas urbis aperire cogerentur, pontifice cum ſuis præſidijs in molem Adriani ſe recipiente: in qua obſeſſus, ipſe maiori perfidia ac dolo Imperatorem, quàm Imperator ipſum ui, mira audacia oppugnat. Nam cum Heinricus frequenter eccleſiam S. Marię, quę eſt in monte *Abbas Vrſpergenſis.*

Auentino, adiret: hic promissa pecunia Hildebrandus quendã induxit, ut supra trabes ecclesiæ occultè lapides magnos collocaret; & ita aptaret, ut de alto super orantis Imperatoris caput deciderent, ipsumq; contererent. Quod minister tanti sceleris cum festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare uellet, lapis pondere suo eum traxit: & fracta sub trabibus tabula, & lapis & miser ille homo, Dei iudicio in pauimentum Ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus est. Huius itaq; rei gestæ ordinem postquam Romani cognouerunt, pede illius miseri fune adstricto, eum triduo per plateas urbis raptârunt. Adhæc, ne Rudolpho sublato misera Germania respiraret, efficit, ut Saxones Hermannum Lotharingiæ Lucelburgicæ principem, Imperatorem Islebij ad Herciniam crearent: qui diuinitùs in oppugnatione cuiusdam arcis saxo à muliercula è muro præcipitato cum alijs oppressus, miserabiliter interijt.

Abbas Vrspergensis. Helmoldus cap. 30. historia Sclauonicæ. Krantzius et alij innumeri.

Nec uerò adhuc immanissimi tyranni Hildebrandi malicia cõquiescere poterat, quin tertium aduersarium optimo Imperatori excitaret, Ecbertum nempe Saxoniæ marchionem: sed & is debitas rebellionis pœnas exoluit. Nam quinto pòst anno in molendino prope Brunsuuigam à satellitibus Heinrici circumuentus, & occisus est miserè. Hildebrandus itaque sociis suis in Germania profligatis, cum in mole Adriani conclusus, con spectum

Huius Ecberti marchionis Saxoniæ soror fuit Mathildis, de qua superius aliquoties mentio est facta. Auitinus, ubi suprà.

pectum Cæsaris reformidaret, pacis tracta-
ione simulata, fugaq; ornatu dissimulato,
Salernum ad Nordmannos turpi desertione
euadit.

Cæsar mox procerum atq; episcoporum senatu coacto, more maiorum pontificialia comitia habet: In quibus Hildebrandus, tanquam fur ac latro, ueluti perfidus transfuga, ouium desertor, gregis proditor, Christianæ charitatis osor, omnium consensu abdicatur. Ac Guibertus Rauennatensiũ archiepiscopus concordiæ ac pacis studiosus, uir bonus ac eruditus, Episcopus eligitur, qui mox à clero nomine Clementis tertij inauguratus anno Christianæ salutis millesimo octogesimoquarto, Cæsarem cum Bertha uxore consecrat, & Augustos acclamante populo salutat. Hildebrandus autem interim, siue conscientia scelerum, siue mœrore extorris aris & focis Salerni decedit. *Mors Hildebrandi.*

Hac tanta face bellorũ extincta, minimè tamen rabies aliorũ pontificum conquieuit, ac pax orbi & maiestas Imperio est reddita. Siquidem Vrbanus post Victorem secundũ paucorum dierum pontificem, factione Hildebrandina ac maximè Mathildæ fauore à Nordmannis Garstungi in pontificatum intrusus, cum ab Imperatore ac maiori procerum parte irreligiositatis accusatus, ac in impiorum numerũ relatus, diu sine lare ac sine grege oberrasset, ita artificiosè scelerũ telam ab Hildebrando inchoatam pertexuit, ut & *Benno.*

pro Vrbano Turbanus diceretur, & magistrum Hildebrandum longiſsimè ſuperare uideretur.

Abbas Vrſpergenſis. Auentinus, et Naucler.

Nam cum alijs nocendi artibus Heinricũ petere non poſſet, Hildebrandi peſtilentiſsimi nebulonis acta rata firmaq; eſſe iubet: ac filium Heinrici Conradũ ex prima coniuge natum, quem pater Italiæ prefecerat, in eum parricidialiter cõcitat, data illi Rogerij Nordmanni uxore Mathilda, eiusq; auxilio Clementem tertium à patre Pontificem conſtitutum ſede pellit. Et mox utroque, Vrbano atq; Conrado ſublatis, Paſchalis ſecundus, ne à predeceſſoribus ſcelere ſuperatus eſſet, nec quid ſpacij Heinrico ad ſe colligendum relinqueretur, Vrbani exemplo anathema Gregorij in Heinricum IIII promulgatum, Romæ in ſynodo renouat, & confirmat: & alterum filium Heinrici, patri cognominem, quem iureiurando adactum, ſe nunquam à patre defecturum, principes Aquiſgrani Cęſarem conſalutârant, ad parricidialem rebellionem impellit: eiusq; Saxonum uiribus ſuffulti opera rem eò deducit, ut uir fortiſsimus & maieſtatis Imperij uindex acerrim⁹, longis certaminibus & crudeliſsimis exagitationibus paparum defatigatus, cum Moguntiam ad comitia iret, in itinere per inſidias contra fidem publicè datam à filio Henrico caperetur, & inſignijs imperialibus, & corona Cæſarea per Moguntinum, Colonienſem & Vuormacienſem epiſcopos contra

Vide Krantzũ li. 5. c. 22. Vrſpergẽſem, fol. 262. Helmoldum in annalibus Sclauorũ, lib. 1. cap. 32.

uoluntatem priuatus, Leodium custodiendus mitteretur: ibiq; mœrore consumptus, uitam miserabili fine clauderet.

Adeò autem Pontifices in fortissimum Imperatorem irreconciliabile odium conceperant, ut non satiari crudelissima exagitatione uiuentis potuerint: sed hyęnarum instar, immani rabie etiam in cadauer defuncti sæuierint. Nam cadauer ipsius in monasterio Leodij humatum, à loci eius Episcopo effodi, & absque ullo sepulturæ honore, in loco prophano inter alia cadauera reponi iusserunt: quòd, quibus uiuis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit. Ac deinde Leodio in sarcophago lapideo Spiram translatum, per totum quinquennium honore sepulturæ caruit.

Vide Krantzium lib. 5. Abbat. Vrspergensem: fol. 264. Heinricum Mutium lib. 17. Chonicorum.

HEINRICVS QVINTVS.

NEque uerò Heinricus Quintus, cum falsæ persuasionis fascino inductus, patri cum uita Imperium parricidialiter eripuisset, aliam quàm pater pontificum beneuolentiam fidemq; sensit.

Siquidem cum Romam ad Imperialẽ coronam accipiendã profectus, ius imperiale in conferendis episcopatib. abbatijs & prælaturis repeteret: Pontifex omnis officij accepti immemor, constanter id denegat. Tumultu uerò inde exorto, ita ut Pontifex unà

cum quibusdã caperetur, & ad montem Soractem, quẽ nunc S. Syluestri uocant, abduceretur: Paschalis euocatis ex urbe notarijs, pacta & priuilegia antiqua Imperatorum de creatione & inuestitura pontificis & episcoporum tandem confirmat & innouat, & contrà ab Imperatore amplissimis donis ornatur. Sed iusto Dei iudicio Heinrici peccatũ uindicantis accidit, ut quam ipse parenti fidem non seruasset, nec ipse in alijs experiretur: & quibus ipse patre deserto se coniunxisset, hos hostes crudelissimos sentiret. Nã mox ubi ille anno 1116 in Germaniam redijt, Papa ingenti symmistarum synodo coacta, & peccato, quod remissione istius priuilegij cõmisisset, deplorato, Gregorijq; septimi decretis confirmatis, omnia post longã discussionem mutat atque inuertit: ac Imperatorem more iam recens orto excõmunicat. Ea res multos Germaniæ principes, inq; his maximè Moguntinum, ad rebellionem cõmouit. Cæsar itaq; ad Pontificem legatis missis, de pace actionem instituit: sed ea morte Pontificis abrumpitur. Ab eius obitu cum Gelasius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Cæsare non interpellato, Imperator nullam sui rationem habitam esse molestè ferens, mox Romam uenit, & Mauritium Bracharensem archiepiscopum Papam constituit: Gelasius uerò deiectus, Cæsarem abeuntem unà cum Papa nouo deuouet: & per Germaniam legatis missis, exemplo prædecessorum subditos

c. Adrianus. c. In synodo, 63. distinct. c. inter nos.

c. Si quis. c. constitutiones. 16. q. 7.

ditos

ditos ad defectionem hortatur. Quare Heinricus rebus suis metuens, in Germaniam reuertitur. Tandem mortuo Gelasio, cum qui in eius locum suffectus erat, Calixtus secundus deturbasset Antipapam ab Heinrico (ut diximus) constitutum: & Heinricus potentiam Papæ Nordmannorum uiribus suffulti crescere, seque ijsdem artibus, quibus pater euersus fuerat, peti uideret: anno Domini 1122, Apostolicæ sedis legato Lãperto, qui postmodum summus Pontifex factus, Honorius est dictus, allaboráte, ita conciliatur Papæ, ut Imperator inuestiturã omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Ecclesijs fieri electionem, ac liberam consecrationem: & regalia ablata, si quæ haberet, restitueret: aut certè, ut restituerentur procuraret.

Vrspergensis fo.271. Nauc. gen.37. Frisingensis lib.7. cap.16. Cuspinianus in uita Heinrici V.

Pontifex rursus concesit electionem episcoporum & abbatum in præsentia Imperatoris fieri, sine uioléntia: ita ut electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc est facta Vvormaciæ, nono Cal. Octob. anno M. D. XXII.

Sed etsi Heinricus fractus anathematum diris, rapacitati pontificum cesserit, ac tyrannico pontificum iugo cum perpetuo Reip. dedecore atque incommodo collum submiserit: pace tamen optata frui non potuit, nouis turbis & in Belgico & in superiore Germania excitatis. Ad quas sedandas cũ Tra-

iectum proficiſceretur, in morbum incidit: quo mortuus eſt, ſine liberis penitùs. quod tunc pleriq; non immeritò ratiocinati ſunt, eſſe pœnam Dei: propterea quòd ille parum rectè ſecundum Dei mandatum, tum coluerat optimè de ſe meritum patrem.

LOTHARIVS SAXO.

HEinrico extincto, etſi Germania mutuis inter ſe uiribus colliſa atque eneruata eſſet: in hoc tamen Pontifices incubuêre, ne uires colligeret, atque à bellis ciuilibus reſpiraret. Quare poſt obitū Heinrici, Cunrado Sueuiæ duce, ex Heinrici quinti ſorore nato, ad Imperium aſpirante, ei Lotharium Saxoniæ ducem, quo antea in opprimendo Heinrico Quinto auxiliatore uſi fuerant, arte archiepiſcopi Moguntini Alberti, oppoſuêre. Ac cum Cunradus iugo Septimi montis tranſcenſo, à Mediolanēſibus honorificè ſuſceptus, & ab eorum archiepiſcopo Anſelmo Modoeciæ, ſede Italici regni, rex unctus eſſet: Honorius pontifex, qui Lothario faueret, ac familiam Heinrici imperatoris oppreſſam cuperet: Anſelmum, quòd Imperatorem coronaſſet, depoſuit, ipſumq; ex Italia anathematis fulmine expulit: ita ut propter diſſenſionem ac factionum ſtudia auxilijs Germanicis nudatus, ſpem omnem regni abijceret, Lothario ſibi per interceſsionem Sancti Bernardi Claræuallenſis reconciliato.

Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 17. Nauclerus generat. 38.

Lotha-

Lotharius ergo solus rerum potitus, cum insigni obseruantia pro Saxonica simplicitate Romanam sedem coleret, de ea benè mereri non destitit. Nam cum Innocent. II, qui Honorio in Pontificatu successerat, ab Anacleto Antipapa & Rogerio duce Apuliæ pulsus, ad eum pro restitutione Leodium uenisset: Imperator eius precibus acquiescēs, magno cum exercitu eum sedi Barioneæ restituit.

Veruntamen nec officijs, nec potentia eius, pontificia auaricia frangi molliriúe potuit. Nam cum Lotharius Imperator à Pontifice renunciatus, uetera Imperatorum iura in conferendis Episcopatibus ac Abbatijs se repetiturum ostendisset: Pontifex ea inunca ta harpyiæ instar, nõ solum sibi minimè eripi passus est: sed & ijs quæ Lotharius siue Bernardi Claræuallensis, quem secum Romam duxerat, persuasione, siue metu maiorum motuum sedi pontificiæ remisisis, & alia quoque inexplebili cupiditate adijcere studuit. Siquidem cum Lotharius, pulso Rogerio Apulo, ducatum Apuliæ comiti Raynaldo exercitus sui duci contulisset, de iure dandi ducatum Pontifex tanta cõtentione cum ipso disceptauit, ut cũ neuter alteri totũ ius cedere uellet, cõtrouersia tandem hac ratione dirimenda fuerit, ut uterq; manum apponeret uexillo dando nouo Apuliæ duci, quo declararetur utriq; ius esse donandi ducatum Apuliensem. Idne Christi, Pauli, aliorumq;

Naucleru ge neratione præallegata, hoc factum esse Leodij ante Italicã profectionem scribit. Vrspergensis.

Otho Frisingẽsis, & Nauclerus, locis præallegatis.

rumque Apostolorum doctrinæ congruum, Episcopos minimè de dominando cogitare, Regibus honorem deferre, negotijs secularibus minimè implicari, denique beatius esse dare quàm accipere, uolentium? Verùm cum iamdiu Christi Apostolorumq; doctrina neglecta ac penitus irrisa, Romana sedes imperare, quàm imperio subesse, honorari, quàm debitum honorem magistratui deferre, ac rapere, quàm dare, gloriosius ducat, hæc alijs prædicentur, ac interim Romanistæ uesana sua libidine ferantur.

Porrò, ut Lotharij Imperatoris omni laude dignissimi in sedem pontificiam obseruantia, cum insigni bonitate ac moderatione coniuncta tunc temporis emicuit: sic proterua ac abominabilis Romanistarum malicia ex humilitate, seu potius superstitiosa religione Imperatoris tunc intrepidè sese exerere cœpit. Nam cum ille, coronam accipiendo sese ad pedes pontificis abiecisset: Romanistæ, ut in præiudicium aliorum Imperatorum id contorquerent, & ad posteros instar trophæi de hoste deuicto transmitterẽt, post eius discessum in palatio Lateranensi picturam cum huiusmodi inscriptione posuerunt:

Radeuicus Lib. 3. cap. 10

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores: Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Hoc ipso & animi sui proteruã superbiam in Imperatore contẽnendo prodẽtes: eiusq; re-

rerum gestarum magnitudine clarissimi, laudes fœdissimè obscurantes: ut qui cum Polonorum ducem sibi tributariũ fecerit, Pomeranos ac Rugios subiecerit: regẽ quoq; Daniæ ut ensem sibi sub corona deferret, ad decorem Imperialis dignitatis cõpulerit, Cremonenses subiugarit, Papienses, Bononienses atq; Taurinos deuictos in formam prouinciæ redegerit, Rogerioq; Apuliæ duce eiecto amplissimas in ea regione urbes expugnârit: Papæ tamen uilissimi mancipiũ fuerit. Quid enim Papæ hominẽ fieri aliud est, quàm eius mancipium uel seruũ esse? O'egregios seruos seruorũ, quos ipsi Imperatores dominos agnoscere & colere coguntur.

Cuspinianus in uita Lotharij Saxonis.
Nauclerus generatione 38.

CVNRADVS III.

LOthario, dum ex Italica profectione secunda domum rediret, prope Tridentum rebus humanis exempto, in Imperio successit Cũradus dux Sueuiæ: is, quem Honorij pontificis maleuolẽtia, Imperij culmine deiectum, eq; Italia pulsum fuisse retulimus. Etsi aũt post obitum Lotharij, Confluentiæ à principibus Imperij rex Romanorum, præsente Theodorico cardinale, legato Innocentij secundi, eoq; assensum præstante, electus sit: nõ tamen assensum sperata põtificis beneuolentia est subsecuta. Nam cum Rogerio Apuliæ duci, à quo cũ aliquot Cardinalibus in pugna captus fuerat, Apuliam cum titulo regio, quò ex custodia liberaretur

Cuspinianus in uita Cunradi.

Nauclerus ex Antonino et Godfrido gen 38.

tur, contulisset: nec Cunradus id in præiudicium Imperij factum, ratum firmumq; habere uellet: Nocentius cũ Rogerio sentiens, Guuelfonem Bauariæ ducem, Cunrado regi, ob id quòd fratris Heinrici Superbi ducatum ab ipso adipisci nequiret, rebellem; pecunia Italicoque exercitu iuuit: ut Imperator suis defendẽdis occupatus, de Sicilia Apuliaque recuperandis cogitationes abijcere cogeretur. En insignem Pontificis beneuolẽtiam in Imperatorẽ, eius cupiditatibus in imperij detrimẽtum assentiri nolentẽ. Et hoc tẽpore ferales Gibellinorum atq; Guelforum factiones, de quibus alij alia tradiderunt, in Germania initium suum habuêre.

Nauclerus generat. 38. & generat. 32.

Bartolus in peculiari libro de Gibellinis & Guelphis. Panormitanus in c. Lucianis. & Pisanis de restit. spol. Cuspinianus in uita Friderici II. cũ alijs quos ipse allegat.

Nam ut ex Hermanno refert Nauclerus, dum prælio inter Cunradum & Guuelfonem commisso, hi qui regiarum partium erant, hoc quasi symbolum haberent, Hie wiebling, regem intelligentes, quòd is in eo pago uetustæ nobilitatis nutritus ferebatur: qui uerò Guuelfoni adhærebant, inter pugnandum clamarent, Hie welff: factum est, ut ea nomina ab auxiliaribus Guuelfonis copijs, postea in Italiam omnium factionum matrem illata, Gibellinorum & Guuelphorum factionibus occasionem præbuerint: quæ deinceps à Gregorio IX pontifice nutritæ, adeò latè serpsere, ut nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe perniciosissima intactus remanserit. Vrbs enim in urbem, prouincia in prouinciá, hęc populi pars

si pars in alteram; nulla impellẽte alia quàm harum partium caussa, usque ad hæc nostra tẽpora miro furore inter se sæuiêre. Nec modò ipsæ partes inter se perpetua dissensione cõcertarunt: sed & ipsi pontifices, quos contrariæ partis esse sciuerunt, implacabili odio sunt prosecuti. Nam cùm alij, tum uerò Bonifacius ille octauus, quo uix tetrius mõstrũ cathedræ Romanæ incubuit, quotquot Gibellinæ factionis nouit, eos, quocunque se contulêre, est insecutus, loca omnium ad quæ se recipiebant, uastans ac populans. Vnde quidam eorum nullum locũ sibi ab eo tutũ uidentes, nemora ac saltus incoluêre: quidam ex nobilissimis Italiæ familijs, cum littora maris aliquandiu ueluti feræ inhabitassent, cum piratis tandẽ ex Italia abierunt. Mitius enim se à piratis tractandos nouerant, quàm ab isto Malefacio Nerone octauo, si fortè in eius manus incidissent. Quinetiam eorum quosdam Genuam concessisse audiens, & illuc ipse se cõtulit, ut eos omnino destrueret, eorumque nomen ex hominum memoria ac orbe terrarum tolleret. Cumque in die quem Cinerum uocant, cineres populo pro more illic ministraret, archiepiscopo urbis Procheto ad pedes eius genibus flexis, ac aperto capite, ut cineres acciperet, ꝓdeunti: ille, qui eum Gibellinæ factionis esse audierat, cum dicere deberet, Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuertêris: mutatis uerbis dixit, Memento homo quia Gibel-

Platina in uita Bonifacij octaui. Naucl. gener. 44.

Gibellinus es,& cum Gibellinis in cinerem reuertêris. nullaq; loci sacri, nulla populi astantis, nulla religionis ratione habita, in oculos, non in caput (uti mos est) archiepisco pi furibundus magnam cineris quantitatem coniecit: eundemq; archiepiscopum dignita te priuauit, licet postea restituerit. Hoccine erat benedicere, uel maledicere? scurrá, an pontificem in sacris agere? Hoccine erat, secundum Christi præceptum inimicos diligere, ijsq; benefacere? O pontificem non Bonifacij, sed Malefacij nomine dignissimum. Tandem tamē diuino iudicio factū est, ut hi qui Italiā deserentes cū piratis fugerant, rursus in Italiam à Deo ueherentur: ac collectis paucis aliquot, qui Malefacij rabiem fugientes, modò hic modò illic delituêrant, Anagniæ bestiam nihil tale metuentem, refractis ualuis caperent, atque Romam ducerent: ubi trigintaquinque dierum spacio, præ dolo re ac rabiei magnitudine desperabundus, infelicem animam innumeris malefactis onustam emisit.

FRIDERICVS BARBAROSSA.

CVnrado optimo regi, ac belli pacisque studio clarissimo, succesit Fridericus, uulgo Barbarossa, à barba rubea cognominatus, filius Friderici ducis Sueuiæ, fratris Cūradi regis, Princeps fortunę animiq; dotibus ornatissimus. Vt etenim de eius nobilitate nihil dicá, cuius germen totū

Frisingensis lib. 2. cap. 2.

ex

illuſtriſsimis in orbe Romano familijs Heinricorum de Guueiblingen & Guelforum de Altorff, in ipſum trãsfuſum fuiſſe ſcribitur, omniũ ſcriptorum teſtimonio, ingenio ſolers, conſilio prouidus, memoria pollens, facundia dulcis, animo conſtans, manu ac robore ualidus, bello ferox, in armis exercitatus, ſupplicibus facilis, placidis tranquillus, iuſtis pius, ſuperbis infeſtus, liberalitate celebris, multarumq́ rerum peritia nemini ſecundus fuit. Quare eo omnium Principum ſuffragijs Francofurti Imperatore deſignato, animi omnium in maximam ſpem erecti fuêre: fore ut eius uirtute, pace in imperio conſtituta, Imperij uires acciſæ reſtaurarentur, Italiaq́ rebellione inſolens ad debitam obedientiam redigeretur. *Gũtherus in Ligurino lib. 1. Naucler. generat. 39.*

Sed cum iampridem pontificiæ contentiones cum Imperatoribus peſsimo exemplo inoleuiſſent, pontificibus imperatoriã Maieſtatem, quã ſuo ſuffragio ratam facerent, nihili flocciq́ facientibus: principib. uerò noſtris prępoſterã ambitionẽ, faſtũq́ immẽſum ſacrifici Romani ægrè, idq́ nõ immeritò ferentibus: tanto plura acrioraq́ certamina, quæ id impedirent, ei nata obiectaq́ fuêre, quanto ſublimiore, generoſioreq́ animo, fortiſsimus heros hominum profligatiſsimorum faſtum retundendum eſſe cenſeret. Etſi autem digna eſſent uniuerſa quæ ab omnibus cognoſcerentur: tamen cum nec operis nec inſtituti huius ſit ut ſingula confecter, ſed ea Ilia da peculiarem requirant: ideo quædam breuiter ſaltem attingam, (meo iudicio) ſatis cõmonſtratura, quæ obſeruantia & fides pontificum eius *Cuſpinianus in uita Friderici.*

 temporis

tẽporis erga prę̃stantiſsimũ Imperatorẽ fuerit.

Anno itaq; ab electione tertiò, Fridericus reb. in Germania cõſtitutis, & maximè diſcordia inter Heinricũ iuniorẽ Saxoniæ, & Heinricũ Auſtriæ duces, ob ducatũ Bauariæ & Saxoniæ, multo admirãdoq; labore cõpoſita, in Lombardiã, quę ſuis cõfiſa uirib. propter longã Imperatorũ abſentiã ad inſolentiã & rebellionẽ inclinare uidebatur, ualida manu mouet: ac in itinere rebelliũ Mediolanenſiũ caſtris Roſato, Gailarda, Treca & Gaira deſtructis, Aſtã ciuitatẽ incendio uaſtat: et Derthonã arte & natura munitiſsimã, obſeſſam ui cepit, ac inde per Romaniã & Tuſciã citatis agminib. Sutriũ uſq; pergit. Grauiſsimis contentionib. ſedes Romana eo tẽpore implicita erat. Nã & Guilhelmus Siciliæ rex, qui mortuo Rogerio ſucceſſerat, ei de quo ſuprà in Cũrado mẽtio eſt facta, Hadriano quartò, natione Anglico, pontifice, Beneuentana ſuburbia, Ceperanũ, Baucũq; in Hernicis eccleſiæ Romanæ ademerat: & Romani inſtinctu Arnoldi Brixiani amiſſam libertatẽ eligendi ſenatus & adminiſtrandæ urbis repetentes, eò contentionũ cõtra Pontificẽ proceſſerãt, ut Hadriano poſt electionẽ cauſa faciẽdæ cõſecrationis in Lateranũ ituro, populus cardinalem ſanctæ Pudentianæ ad pontificem uia Sacra proficiſcentẽ, uno atq; altero uulnere affecerit. Hadrianus ob hanc rẽ grauiſsimè indignatus, regẽ graui anathemate notârat, eiuſq; ditioni ſubiectos omni ſacramẽto liberârat, quo facilius à rege deficerẽt, nullo iureiurando aſtricti. Romanos etiã acerba execratione perſecutus erat, quoad mutata ſentẽtia

Naucler. ubi ſuprà. Radouicus lib. 3.

Platina in uita Hadriani quarti.

Arnoldum

Arnoldum urbe pellerēt:& cõsules,relicto põti fici libera administrandæ urbis facultate, se magistratu abdicarēt. Cæterùm audito Friderici aduētu,ei,cum Cardinalibus,non honoris gratia,sed uindictæ de Romanis & Rogerio obtinēdæ cupiditate,obuiam procedit. Fridericus sanctissimi patris aduētu gauisus,uenientē magna cum deuotione & honorificētia excipit,sinistram sellæ strepam de iumēto descendēti tenēs,eumq́ in tentorium Imperiale deducit. An maior reuerētia põtifici ab Imperatore exhiberi potuisset? An Christo Hierosolyma in die Palmarum ingredienti,Herodes atq; Pilatus sic etiam ministrauêre? An Petrum Romam uenientem ita Nero suus excepit?

Funccius lib. 10. Chron.
Barnus de uitis pontificū.

Porrò cum in tentorium uentum fuisset, tunc nomine Imperatoris episcopus Bambergensis orationē exorsus, quanto Imperator desiderio colloquij Papalis fruēdi flagrârit, cõmemorat: ac optimo maximo Deo gratijs actis,qui ipsum eius compotē fecisset, suppliciter atq; submissè petit,ut Fridericum, orbis Christiani supremū principē & defensorem,pro solito more,diademate Imperiali insignire dignetur: causas, ob quas eo dignissimus sit,probè & elegãter adijciēs. Põtifex,Bambergēsis oratione finita,præclarè ea dicta fuisse præfatur:sed rē orationi minimè cõgruere, ait. Etsi enim leue atq; exile sit, de quo uerba facturus esset: negari tamen non posse,quin ut qui in minutiorib.negligētior deprehendatur,ne talis quoq; in maiorib. sit,iustè timeatur. Ad hanc põtificis orationē omnium aurib.arrectis,atq; animis sollicitis,quódnã pec

Helmoldus in Chronicis Sclauorū, ca. 81.

catũ esset? ille prosequitur: Descendenti, inquiens, ex equo sinistrã sellæ strepam tenuit: id an in ludibrium nostrum, uel alia de causa fecerit, ignoramus. siquidem si honore nos afficere uoluisset, dextra sellæ strepa, eaq; manu dextra contrectãda fuisset. Cæsar põtificis oratione nõnihil commotus, paulumq; subridens, respõdit: Minimè se studuisse apprehendendis strepis. Tu (inquiens) Pater, primus es cui tali officio deseruimus. Et bile inter orandũ crescẽte, addit: Scire uelim abs te, officij hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Quod si ex beneuolẽtia descendit, quis causabitur culpam in spõtaneo: sin ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui uenerabundus accedit. Seuerius sic collocuti, discedũt utrinq;, nõ sine stomacho. Imperator tamẽ princeps prudentissimus, dissimulãs ea omnia quæ de diabolico fastu pontificis audierat ac uiderat, die postero Pontificẽ in castra ad colloquiũ reuocat. Põtifici itaq; adueniẽti, Imperator obuiã it: atq; ex priore eius obiurgatione doctior factus, dextrã sellę strepã apprehendit, ac in tẽtoria sanctissimũ patrẽ deducit. Cõsidẽtibus ipsis, Hadrianus pontificio ore intonat: Priscæ (inquiẽs) ętatis principes, antecessores tui, qui ad petendã coronã uenêre, solebãt insigni aliquo officio Romanæ ecclesiæ beneuolẽtiã promereri, ut suo uelut officio præueniẽtes benedictionẽ & debitã coronã omnibus pręclaro facinore testarẽtur. Sic Carolus, dũ domuit Lõgobardos: Ottho, dũ cõpescuit Berẽgarios: Lotharius, dũ Normãnos repressit, coronã Imperij meruêre. Quocirca tua Serenitas

Barnus in uita Hadriani, ex Iohanne de Cremona.

Apuliam,

Apuliã,Romanę ecclesię prouinciã,iã à Normã nis occupatã,nobis Ecclesiæq́ restituat: deinde quę nostri officij sunt,facilè exequemur.Ecquis hũc sacerdotẽ seruũ seruorũ diceret, qui ab ipso Imperatore regũ rege, ac domino dominantiũ, tãquã mediastino uel mercenario milite, gratui tã militię operã exigere non erubescit? Et nunquid hunc spiritum Papæ,pacis quis magis, an homicidij putabit?

Cũ ergo principes uiderẽt,pontificẽ omnino animũ obfirmasse,quod Fridericũ coronare nollet,nisi prius Apuliã,quæ tamẽ iuris Imperij esset,à Guilhelmo Siculorũ rege occupatã,armis & impẽsis suis Apostaticæ sedi acquireret:pollicẽtur id futurũ, collecto nouo exercitu à Cæsare in Germaniã reuerso, cũ præsentes copiæ essent detritæ, & ex diuturno labore longoq́ itinere defatigatæ. Etsi aũt põtifex,qui odio Guilhelmi arderet,inuitus ei spacium sui colligendi, dari permitteret:tamen cum Principum postulata æqua cerneret,ijs annuit,atq́ se Fridericum corona donaturum affirmat.

His ergò peractis, Imperator cũ põtifice Sutrio discedit,ac Romã contendit.In itinere uerò dũ est,Oratores Romanorũ obuios habet,non minore arrogãtię fastu, quàm põtifex fuisset,tumidos.Hi nãq́ antiquę urbis nobilitate,ac ueteri statu Reipub.ad sidera usq́ sublato,tandẽ gloriari cœpere:per Romanũ populũ Fridericum è Germania trãs Alpes euocatũ,primò ciuẽ, pòst principem Romanũ factũ esse.hac cũ cõditione Romanos ad suscipiendũ eũ paratos esse. dicentes:si antiquas ipsorũ leges cõfirmet:Romanis, *Frisingensis li.2.cap.21.*

à quibus ei in Capitolio acclamandũ ſit,uſq; ad quinq; millia librarũ auri numeret:iniuriã à Re pu.etiã ad ſanguinis effuſionẽ propellat:& hæc omnia propria manu, & iuramẽti interpoſitione cõfirmet.Fridericus tã ueſana ipſorũ iactãtia accẽſus,demẽtiã ipſorũ grauiſsima oratione redarguit,oſtendẽs, nõ ex Romanorũ beneficio, ſed Germanorũ uirtute, ſibi Imperiũ obtigiſſe.

Helmoldus in Chronicis Sclauorũ ca. 80.

Cũq; hoc agi ab ipſis cerneret, ut ſub prætextu poſtulatorũ,cẽſum à ſe eliceret: Nõ ſe ut argẽtũ in Italiã inueheret, ſed ex ea aſportaret, ueniſſe dicit: eosq; id impudẽtius urgẽtes,à ſe repellit.

Cũq; dolo eos ueniſſe ſentiret,milites præmittit,qui eccleſiã beati Petri,& arcẽ Leoninã munitã ſeruẽt. Subſequẽti die,ipſe Romã læta comitãte caterua ingreditur:ac honorificè ſuſceptus, Imperij coronã cũ benedictione 4.Calend. Iulij,anno regni ſui quarto, ab Hadriano quarto ſuſcipit. At dũ in baſilica beati Petri Imperator coronatur,interea Romani id ægrè ferentes,aſſumptis armis portas urbis tenuẽre clauſas, ne qua uis ab Imperatore ſibi inferretur. Ac cũ uiderent Friderici copias in pratis Neronianis fixiſſe tẽtoria,per portã Hadriani erũpunt in Vaticanũ, abacturi Cæſareanos ab ingreſſu urbis.

Naucl.gener. 39. Friſingẽſ. lib.2. cap. 22. Cuſpinian.in uita Fider.

Cæterùm Cæſareanis fortiter reſiſtentibus,atq; ferocem populum ex Vaticano in urbem repellẽtibus, circiter mille Romani cecidẽre, & ſexingẽti penè capti fuẽre:quos deinde Imperator,ſacris de more peractis,ad preces põtificis incolumes dimiſit, reditũq; in Germaniã parauit.Antè tamẽ quàm id fieret,rẽ talẽ cũ põtifice tractaſſe ſcribitur,quę hìc minimè prętereũda uidetur.

est uerò hęc. Innocẽtius papa secũdus, is quẽ su perius à Lothario in sedẽ põtificiã reductũ fuis se diximus, cũ Lotharius cõplicatis manib. coronã Imperij à se suscepisset, imaginẽ suã, quasi in sede põtificali residẽtẽ, cũ Imperatoris figura, totũ factũ repręsentante in muro depingi fecerat, hoc uersiculo adiecto, ut suprà quoq; retulimus: *Chronicon Hirsaugiẽse in uita Hartuuigi abbatis. Radeuicus li. 3. num. 9. & 10.*

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores:
Post homo fit papæ, sumit quo dante coronam.

Talis itaq; pictura, talisq; inscriptio per fideles Imperij hoc tẽpore ei mõstrata, cũ summopere displiceret, obiurgatione præcedente cum Papa de ea tollẽda agit: ita ut ipse postulatis Imperatoris subscriberet, ne tam uana res summis in urbe uiris discordiæ materiam præbere posset.

Cæterùm post discessum Friderici, cũ Emanuel Imperator Constãtinopolitanus põtificẽ odio Vuilhelmi Apulię regis ardere sciret: ipse, qui nõ minus exitiale odiũ erga eius parentẽ defunctũ haberet, põtifici per Palæologũ oratorẽ & nuncium suũ, quinq; millia librarũ auri spõte offert, seq; Guilhelmũ ex Italia eiecturum pollicetur, si reb. benè gestis tres maritimæ in Apulia urbes ex fœdere sibi dẽtur. Ille ergò qui iampridẽ ad eas artes animũ intenderat, quib. Vuilhelmũ, omnes diras & execrationes põtificias extremè spernentẽ, Apulia priuaret, oblatas cõditiones facilè acceptat. Id uerò cũ Guilhelmus resciuisset, sibi malè metuẽs, pacẽ per legatos à põtifice petit: promittẽs, se omnia Ecclesię adẽpta nõ tãtũ restiturũ, sed & quędã additurũ: adhæc Romanos ecclesiæ rebelles, se in officio retenturũ. Splẽdidę hæ cõditiones erãt: sed ne papa eas ad *Naucler. generat. 39.*

mitteret, quidam Cardinales dissuadebant, sperãtes plus lucri ex bello quàm ex pace. Bellũ igitur Guilhelmo denũciatur. Quo ille cognito, atq; ex tota Sicilia exercitu cõtracto, Apuliã hostili classe petit: eaq; ferro & igni deuastata, Emanuelẽ qui castra prope Brundusiũ locarat, cũ Græcis in fugã uertit: Beneuentũ urbẽ ubi tũ Papa cũ suis Cardinalib. erat, ita oppugnat, ut de uita desperãtes pacẽ peterẽt. Cõcessit Guilhelmus, inq; gratiã recipiebatur à Papa, & Rex utriusq; regni tã citra quàm ultra Pharũ positi declarabatur: prius tamẽ iuramẽto præstito, se in posterũ, quæ ecclesię Romanę essent, minimè infestaturũ. Rebus itaq; cũ summa ignominia sic cõfectis, Papa per Cassinates, Marsos, Reatinos, Narniẽses ac Tudertinos tandẽ Oruetũ peruenit, ibiq; cognoscit Romæ omnia turbarũ plena, cõsulibus urbẽ in antiquã libertatẽ asserere conãtib. Tũ uerò exitiale in Fridericũ odiũ cõcipit, uehemẽtissimè conquerens se inter Romanorum & Guilhelmi gladios nuper uersantẽ, ab eo præter magnifica eius promissa destitutũ esse: & ita se modò agitari, ut Romę tutò esse nõ liceat: quasi Imperator ad hoc sit constitutus, ut dementiæ põtificię patronus atq; defensor magis quàm innocentiæ existat.

Verùm enimuerò Fridericus, qui cùm alias Põtificis actiones, tũ uerò Apuliã iuris Imperij, se inscio atq; inuito, Guilhelmo cõcessam ægrè ferret: simulq; ad animũ reuocaret, quòd Papã prius ius inuestituræ prælatorũ Cæsarib. eripuisset: & per legatos suos, nationes Imperij nõ tantũ expilasset, sed & defectionis semina per istas bellorum

Naucler. generat. 39.

bellorũ faces in toto Imperio ſparſiſſet:his uiolentis iurium Imperij inuaſionibus maturè occurrendum eſſe ſtatuit. Itaq; ab omnibus Germaniæ epiſcopis fidelitatis iuramentũ exigit:legatos põtificis in Germaniã à ſe nõ uocatos,excludi regno Teutonico mãdat, & ad Romanã ſedẽ ſuos appellare uel proficiſci uetat, nomẽq; ſuũ in literis ſuis pontificio nomini præponit. Ea uerò prohibitione facta,accidit ut Lundẽſis quidam epiſcopus à ſede Romana rediens,neſcio an tanquam edicti Imperialis contemptor, uel alia de cauſa, interceptus à quibuſdam in cuſtodiam conijceretur. Tunc ergo pontifex nactus ſuæ ſententiæ declarandæ occaſionem, ratione capti Epiſcopi, ad Imperatorem ſuperbam legationem mittit:ſimulatq; ſe expoſtulare cùm illo, quòd non liberet Epiſcopum ex captiuitate:ſed tamen interea,ea & literis & oratione Legati effundit,quæ, qua ratione Imperatorem ſibi ſubiectum eſſe uelit,abundè teſtarentur.Nam & literis eum admonuit,ut præ oculis haberet, ut inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiſſet: neq; ipſum pœnitentia moueri, etiamſi Imperator maiora ab ipſo beneficia ſuſcepiſſet, & ex lectione literarum turba inter optimates regni exorta,legatorum aliquis dicere non dubitauit: Romanum Imperium à Græcis tranſlatum eſt ad Alemannos, ut rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apoſtolico coronaretur,Imperator uocaretur: ante conſecrationem Rex,pòſt Imperator.unde igitur habet Imperium, niſi à Papa? Ex electione ſuorũ principum habet nomen Regis, ex conſecratione

Radeuicus li.1.cap.9 & 10.

Superba & Thraſonica pontificij legati oratio, de qua uide Auent. lib. 6.fol 636.

tione Papæ habet nomen Imperatoris & Augusti & Cæsaris. Ergo per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset Imperator: & ut post hac perpetuò Rex Teutonicus esset Imperator, & aduocatus sedis Apostolicæ: ut Romano Episcopo Apulia, per eum pacata, esset subiecta: quæ Papæ cum urbe Romana est, non Imperatoris. Roma Papæ sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est sylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à Papa: sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Theutonicos, ita Papa potest id ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate eius est, ut det illud cui uult. Propterea constitutus à Deo super gẽtes & regna, ut destruat, euellat, & ædificet, & plantet. Deinde Germanos imbelles uocat, imbecillitatem illis obijciens, qui Rogerium Italia pellere, Danos Frisos perdomitare nunquam uoluerint.

Radeuicus, ubi suprà. His uerò auditis, & Imperator iustam indignationem concepit: & omnes proceres tanta ira exarsere, ut Otto de Vuittelspach stricto ense, quẽ ante Imperatorem progerebat, in legatũ irruerit, confossurus, nisi Imperator intercessisset: eas deinceps rationes suscipiens, quibus hac uana iactãtia Papæ sese grauiter offensum comprobaret. Nã & legatos ad sua habitacula deductos, primo mane uiam ingredi iussit, cũ mandato, ne hac uel illac in terris Episcoporũ seu Abbatũ uagarẽtur: sed recta uia, nec ad dextrã nec ad sinistram declinantes, ad urbẽ reuerterentur: hanc nimirũ ob causam, ne pro consue

tudine

tudine Romanistarum, per singulas Ecclesias Theutonici regni, conceptū iniquitatis suæ uirus spargere, altaria denudare, uasa domus Dei asportare, cruces excoriare niterētur. Et nequis aliquid præter meritum ipsis accidisse putaret, uel inde aliquis motus oriretur, Cæsar cū procerib. literas per totum Imperium mittit, quibus rei gestæ seriem exponens, de Imperij honore uiolato, grauissimè conqueritur, cum declaratione: Per electionē Principū, à solo Deo regnum & Imperium esse. Quare, quicunq; Imperatorem à Papa Imperialem coronā pro beneficio suscepisse diceret, hunc ut diuinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacij reum, damnandum esse.

Romanistæ fures, prædones, latrones atq; sacrilegi.

Epistola extat apud Radeuicum loco suprà allegato.

Legatis ergo Pontificijs domū reuertentibus, & oleū quasi camino, exaggeratione iniuriarum, periculorumq; quæ sustinuissent, addentibus: Hadrianus, qui antè fureret, tūc uesanior factus, cū putaret tale facinus à Friderico perpetratum, quale à superioribus nullum: (quis etenim Romanistis unquam regno Theutonico interdixisse legitur?) acerrimas ad Imperatorem literas mittit, in quibus grauissimè, & uerè pontificaliter, cum ipso de rebus omnibus expostulat: quas, quia dignę sunt lectione, & diligenti consideratione, ascribere hic libuit.

¶ Adrianus episcopus, seruus seruorū Dei, Friderico Romano Imperatori salutē, & Apostolicam benedictionem. Lex diuina, sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, sententiam mortis intendit. Veritatis autem uoce docemur:

Naucler. fol. 761. gen. 39.

mur:

mur: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro, & S. Rom. Ecclesiæ, non quantam deberes, exhibere reuerentiam uideris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate, B. Petro & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obserues: cum ab his qui Dei sunt, & filij excelsi omnes, (episcopis uidelicet) homagium requiris, fidelitatē exigis, & manus eorū sacratas manibus tuis innectis: & manifestè factus nobis contrarius, cardinalibus à latere nostro directis non solum ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis? Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum à nobis consecrationem & coronā merueris, dū inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

Quod uerò indicium humilitatis & lenitatis Apostolicæ in hisce literis apparet? An non Luciferiana hæc arrogantia est, quod nomē Cæsareum Papali præponi indignatur: quasi nec alij Imperatores Papæ scribentes id fecisse legerentur? 97 dist. c. uictor. & 63 dist. c. tibi.

Imperator igitur literis, fastus pōtificij plenissimis acceptis, quò pro insigni Christianæ sapientiæ cognitione eum retunderet, ac clauum clauo (ut aiunt) truderet, in hunc modū respondet.

Naucler. fol. 761. ¶ Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ

cœpit

cœpit Iesus facere & docere. Lex iusticiæ, unicuiq; quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus uidelicet primogenitoribus nostris, & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dinoscitur? Sed eius pietatis concessione, libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta est: & quicquid papatus uester Regalis habere dinoscitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Rom. pontifici scribimus, iure antiquo & nomen prçponimus, & ad iusticiæ normã eidẽ nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales: &, si lectum neglexistis, quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem qui Dei sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus: cum ille noster & uester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplũ uobis dedit ut ita faciatis, docet uos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant: aut si hæc utilia iudicauerint, quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus utiq; uestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non uidemus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem uiderimus eos quales requirit Ecclesia, portantes pacẽ, illuminantes patriam, assistentes

tes

tes causæ humilium in æquitate, necessarijs sti pendijs & cõmeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos uirtutũ, & mansuetudinis uestræ non minimam notam inuritis, cũ huiusmodi quæstiones, religioni nõ multũ conferẽtes, secularib. personis proponitis, Prouideat itaq; paternitas uestra, ne dũ talia mouet, quę indigna ducimus: offendiculum ponat illis, qui uelut ad imbrem serotinum ori uestro aures suas arrigere festinant. Non enim nõ possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usq; ad sedẽ Petri reptasse uidemus. Paci ecclesiæ bene semper prouidentes, bene semper ualete.

Quis uerò hasce Imperatoris literas improbet? quis uel pietatem, uel æquitatem, uel iustitiam in ipsis desideret? Quis eũ alia, quàm quæ uerùm fortemq; Imperatorem decent, fecisse dicet? Fastum pontificis retudit, iura Imperij tutatus est, humilitatem atque modestiam Christianam à Romanistis requisiuit, quam apud ipsos non inueniri totus mundus conqueritur.

Atqui pontifex legatis auditis, non contentus cum Imperatore per literas expostulasse: etiam ad uniuersos archiepiscopos & episcopos germanię scribit, & rei gestæ seriem commemorat, indignitatem facti exaggerat: eosq; admonet, ut cum omnium ecclesiarum communis causa in hoc negocio uersetur, (sic quippe existimãt, Romanistis intereuntibus, totam Christianitatem pessum ituram) se tanquam ualidum murum, pro domo Domini opponant: & non tantum Imperatorem in uiam rectam reduci, sed

Epistola extat apud Radeuicum lib. 3. cap. 15.

&

& à Rainaldo cancellario Cæsareo, & Orthone comite de Vuittelspach, qui magnas blasphemias in legatos Apostolicos & sacrosanctam Romanam ecclesiam euomuissent, talem & tam euidentem satisfactionem exhiberi studeant, ut sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendisset, ita etiam satisfactio multos ad uiam rectam reuocet. Verùm quia (ut quidam in commemoratione huius rei scribit) tunc temporis episcopi nostri haud tam addicti sedi Romanæ erant, atque nunc sunt plerique: communicato in unum consilio, pontifici ita rescripsere, ut non modò admodum hoc facto affici conspicerentur: sed & Arnoldus Moguntinus & Eberhardus Saltzburgensis, peculiaribus literis Romanos sacerdotes, cardinales, archiepiscopos, episcopos atque presbyteros admonerent, pertinaciam, fastum, superbiam eorum corrigerent, auariciam, perfidiam, aliaq; facinora, quibus pauperes compilarent, imperiumq; conturbarent, referrent. Vltimò obtestantes, ut Hadrianum ad pacem seruandam cohortarentur: Imperatorem, id quod bonum æquumq; foret, facturum esse.

Iacobus Spigelius in annotationibus ad Ligurinū Guntheri libro 6. fol. 143.
Epistola extat lib. 3. cap. 16. apud Radeuic.
Auentin. libro 6. Annal. Boior. fol. 636.

Etsi autem hæc Hadrianum pessimè haberent, tamen cum audiret legatos Imperatoris, Rainaldum cancellarium & Othonē de Vuittelspach Italiam ingressos, conuentus cum principibus & episcopis Italiæ agere, atq; Imperij negocia potenter administrare: ipsum quoque Imperatorem, qui copijs collectis in procinctu

esset.

esset, mox in Italiam aduolaturum: de consilio principum quorundam, nuncios ad leniendũ animum Imperatoris, Augustam cum supplicibus literis mittit: & autoribus Heinrico Saxonum & Bauarorum duce, & Othone Frisingense, ei reconciliatur.

Nauler. generat. 39. Auentin. loco peralleg. Radeuicus libro 3. cap. 17.

Non longo uerò tempore pòst, cum Italiæ ciuitates, Crema à Friderico durissimè obsessa, in eum pro uindicanda libertate conspirarent, Papa reconciliationis immemor, se perfidè ipsis coniungit, ac rebellium conspirationem his legib. firmat: Ne quis sine aliorum consensu, in pacem cum Friderico redeat: nec quis mortuo pontice, nisi ex numero conpiratorum, creetur. Vt'q; speciosiorem rebellandi, occasioenem haberent, ab ipsis immensa pecunia corruptus Imperatorem execratur. Ast optimus maximus Deus, qui per os dilecti serui sui Dauidis, contra excommunicationem Papæ, pecuniæ corrupti, clamasse uidetur, Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lætabitur: hic inquam Deus, hanc execrationẽ in maledictum põtificis caput conuertit, hominem'q; ad omnem posteritatem confudit. Nam cum Anagniæ, excommunicatione in Fridericum denunciata, fortè cum suis refrigerandi gratia exspaciatus, aquam ex fonte hausisset, musca in os eius inuolans gutturi ita adhæsit, ut, cum nulla medicorum arte eximi posset, miserè suffocatus interiret.

Naucler. generat. 139. ex Ioanne Cremonensi.

Quis non miretur, Gigantem tanta conspiratorum factione stipatum, ut Imperatoris

uires

uires non reformidaret, à musca interfici potuisse? Quis fortuitum magis quàm diuinum existimet, gutture, quod ino ptimum ac innocentissimum Imperatorem execrationem eructarat, animam exhalari debuisse? Non tamen pontificij, tam mirabili Hadriani interitu, ab instituta conspiratione abduci potuerunt. Sed cum Imperatori ualido exercitu Italiam tenenti, ac indies Mediolanenses uarijs cladibus proterenti, aperta ui sese obijcere non auderēt: ad pessimas artes conuersi, insidias uitæ eius struunt. Nam Sinonia arte hominem robustissimi corporis, magno precio conducunt, qui sub simulatione stulticiæ uel maniæ Laudam, ubi tunc Fridericus hærebat, peteret, ac per occasionem ei uiolentas sceleratasque manus inijceret. Ille ergo multis magnisque promissionibus animatus, ad scelus accingitur, Laudam pergit, castra ingreditur, & iocis ac ludicris accessum ad tentoria Imperatoris sibi patefacit. Erant uerò ea super ripam Abduę locata, ita ut labentem, aut conuexum obrueret præcipitium, aut uorago subterlabentis fluminis esset exceptura. Morio igitur obseruata occasione, qua conceptum scelus perficeret, Imperatorem pro more antelucano tempore, solum sacra aditurum, aggreditur: eumque trahendo & portando, ad præcipitium deducere nititur. At Imperatore uiriliter renitente, ita ut uterque funibus, quibus tabernacula suspendebantur

Radeuic. lib. 4. cap. 40 & 41. Guntherus in Ligurino lib. 9. circa fin.

implicati, ad terram caderent: cubicularij uoce Imperatoris clamantis exciti, accurrére, scelestumq; comprehensum eodem loco præcipitem in fluuium demersere.

Hoc tanto scelere frustrati, áliud moliuntur. Octo ex suis, magno precio conductos, subornant, qui Laudam incenderent. Cum autem unus eorum nocte intempesta, facinus impleturus, ædibus ignem iniecisset, à uigilibus comprehensus, unà cum alio monachum mentito, criminisque eiusdem participe, patibulo affixus, attentati sceleris dignas pœnas subijt. Sic ergo & hac uice se à suscepti sceleris executione exclusos uidentes, insignem quendam intoxicatorem, mortis contemptorem, cum aliquot socijs emittunt, ferentem in castra Imperatoris medicinas, annulos, frena, calcaria ueneno illita, adeoque efficaciter intoxicata, ut si Imperator ea attingeret, mox lethaliter inficeretur. Sicam quoque latentem iuxta femur gestantem, ut si ueneni facinus impediretur, ea ad peragendum scelus uteretur. Verùm Imperator, qui antè de hoc admonitus fuisset, uenientem obseruari ac cõprehendi, dein quæstionibus subiectum de fabricatore sceleris interrogari, postremò uerbera & quæstiones irridentem in patibulum crucis adigi iubet.

Abbas Vrspergẽsis. Platina in uita Alex.

Porrò Adriano põtifice musca deglutita, ut dictum est, suffocato, inter Cardinales de electione noui pontificis dissensio oritur.

Duo

Duo ſiquidem & uiginti Imperatori aduerſi, Rolandum Senenſem, cancellarium anteà uocatum, unum ex iſtis Cardinalibus quos ſuperius ab Hádriano ad Fridericum miſſos retulimus, hic uerò Germania exire iuſſerat: nouẽ autem alij qui à parte Imperatoris ſteterant, Octauianum ciuem Romanum preſbyterum cardinalem S. Clementis, ſuffragantibus præfecto Vrbis populoq; Romano, pontificem creant, atq; Victorem uocãt. Cum autem hæ electiones magnum pariturę uiderentur diſsidium, inter utriuſque partis electores conuẽnit, neutrum ex electis inſtitui debere, priuſquã diſcordia ſopita inter omnes conueniret. At Rolandini numero ſuperiores, fide ſoluta, Rolandi electionẽ promulgant, eumq; Alexandrum tertiũ dicunt. Vnde ſchiſma maximũ eſt ortum. nam Victore Romæ manente, Alexander ad Siciliæ regem Vuilhelmũ properat, ibiq; XII die poſt electionem Papa confirmatur. Deinde ne ſeditio illa cum pernicie eccleſiæ Romanæ ꝓtraheretur, Fridericum imperatorẽ tùm Cremam obſidẽtem, per legatos rogat, ut interpoſita authoritate Imperatoria ſeditionẽ tollat. Fridericus ancipiti malo exorientis noui ſchiſmatis permotus, cũ utroq; electo, in ordinem epiſcopatus conſecrato, litem legitimè, citra authoritatem concilij, finiri non poſſe cerneret: eamq; exemplo Conſtantini, Theodoſij, Iuſtiniani, aliorumq; Imperatorũ ad ſe pertinere ſciret, conuentus diem Papię

Nauclor. gen. 39. Radeuic. lib. 4. cap. 54.

Radeuicus li br. 4. cap. 58.

nominat,& ut uterq; Papa istuc eat, monet, eò se quoq; cognoscendæ disceptationis causa uenturum promittens. Qua re cognita, Alexander Anagniam se cõfert: Fridericus uerò indignatus, quòd dicto suo non obtemperasset, Danielem Pragensem, & Hermãnum Verdensem episcopos cum literis mittit, qui eum non pontificem, sed Cardinalem appellatum, ad concilium citarent. At illo Cæsareos legatos contemptim reijciente, atq; superbè dicente, Pontificem Romanum à nemine debere iudicari: ipsi re infecta abeũtes, Segniam ad Octauianum pergunt, eumq; ut pontificem uenerãtes, Papiam deducunt. Ibi concilio congregato, & causa ex testibus per omnes circunstantias cognita: Victor papa declaratur, & ab omnibus Germaniæ episcopis iussu Friderici agnoscitur. Qua iniuria Alexander commotus, Fridericum atq; Victorem anathematis uinculo colligat: literasq; mittit ad Christianę Reipub. principes & populos, quibus intelligant, id à se meritò & iurè fieri. Mox cum in urbem reuersus, ibi multos aduersarios inuenisset, in se cornua palàm erigentes, Tarracinam proficiscitur: ibique conscenso nauigio, iam antè ad eam rem, ex iussu Guilhelmi Siciliæ regis parato, in Gallias contendit. Conuentuque in Claro monte, ex permisione regis Galliæ Philippi habito, anathema in Imperatorem & Antipapam factum, statim enunciat atque promulgat. Imperator, licet mala ex hac dis-

c. patet. & c. nemo 9. q. 3. item 17. q. 4. c. Si quis suadente in extremo. itẽ dist. 40. c. Si papa.

Naucl. gen. 39.

ſenſione oritura proſpiceret, Mediolani tamen obſeſsionem continuat: donec id fame atq; inedia perculſum, ſine ulla conditione ſe eius poteſtati permittit. Eo aũt capto, legatos ad Francum mittit: ac petit, ut concordiæ conſtituendæ cauſa, conuentu Didione indicto, ipſe eò ſuũ papam abducat, & ſe quoque unà cum Victore ibi comparitur ũ pollicetur. Quid legatis reſpõſum fuerit, haud ſatis conſtat. Hoc tamen memoriæ proditũ, à comite Bleſenſi fidem Imperatori datam, regem Franciæ ad conuentum uenturum. Imperator itaq; die conſtituta uenit, & tentoria cum Victore prope Diuionem fixit. Venêre etiã eò Heinricus II Angliæ, Vilhelmus Scotiæ reges. Verùm non tantum Alexander, ut ueniret, adduci non potuit, eo quòd conuentum ab Imperatore, non à ſe indictũ prætenderet: ſed & Galliæ regi Philippo perſuaſit, ut is locum ante Friderici aduentum accederet, & manu ex flumine præterlabente lota, uoceq; præconia Imperatore uocato, quaſi hoc modo fidei datæ ſatisfeciſſet, recederet. Vnde Imperator alijque reges & principes hæc ægrè ferentes, Victore ad ſedem pontificiam recipiendam ire iuſſo, ad ſua redière. *Naucl. generat. 39.*

Cum Victor Lucam Hetruriæ urbem perueniſſet, morbo correptus, communis naturæ debitum, depoſito carnis onere, ſoluit. In cuius locum ſuffectus eſt Guido Cremonenſis epiſcopus, qui appellatus eſt Paſchalis tertius: eique obedientiam præſtiterunt, Gosla *Naucl. ubi ſupra.*

riæ Imperator, & post eum Heinricus dux Bauariæ & Saxoniæ, Cunradus Palatinus Rheni, Lantgrauius Thuringiæ, Magdeburgensis, Bremensis, Treuirensis, Coloniensis, Babẽbergensis, archiepiscopi, & omnes ferè Teuthonici. Alexander, qui adhuc in Gallijs esset, ut Romam retineret in fide, per uicarium suum Ioãnem cardinalem Romanis concedit, ut Consules liberè creent, modò Alexandri sint studiosi. Ipse interea ex Gallia in Siciliam delatus, mox Romam redit: & Cremensi Guidone spreto, à Romanis benignè recipitur. Tum uerò ciuitates Italiæ aduentu Alexandri in spem libertatis denuò erectæ, contra iusiurandum Imperatori datum, Mediolanum, paulo antè ab Imperatore dirutum atque subuersum, restaurant: &, suadente Alexãdro, rebellionẽ parant manifestam: Iudices ab Imperatore cõstitutos, aliosq; fauentes Imperatori inuadunt, eosq; partim pellunt, partim trucidãt. Deinde Alexandri cõsilio usi, eiusq; auxilio freti, nouam urbẽ in gratiã pontificis extruũt, in contemptum Imperatoris Alexandriã nuncupatam, inq; eam ex omnibus ciuitatibus quindecim millia hominum ad incolendũ mittunt, diuisis agris uiritim, partitisque in urbe locis ad ædificandum. Imperator cognitis his rebellionibus, & conspirationibus in se factis, collecto nouo exercitu, denuò in Italiam mouet: & quibusdam rebellibus ad deditionem compulsis, Alexandriam nouam obsessam

Naucl. generat. 40.
Vrspergen.

ſam oppugnat. Cæterùm hæc obſidio parum ei fœliciter ſuccesſit, cùm quòd Alexandrini à ſocijs ciuitatibus adiuti fortiter ſeſe defenderent: tum quòd Heinricus Leo Bauariæ & Saxoniæ dux, præter omnem Imperatoris ſpem, iure cõſanguinitatis ſpreto, abiectaque memoria beneficiorum acceptorum, per Pontificẽ pecunia corruptus, cum ſuis copijs eum perfidè deſereret: ita ut Fridericus Italicis conſpirationibus impar, exercitum dimittere, ac per montem Iouis in Burgundiam, maxima cum difficultate, ſub habitu ſerui equos curantis, redire cogeretur. Non uerò hanc inuidiam Leo inultam tulit. Nam Fridericus in Germaniam reuerſus, uiribus recollectis, diem Duci dicit, eum læſæ maieſtatis accuſat: ac ſeſe ui tueri molientem, dominijs & ducatibus priuat. Fuêre tunc principes Heinrico fauẽtes, qui eum ab Imperatore condemnari poſſe negarent, niſi intra terras Ducis ſententia lata. At Fridericus, qui antè ſeuera exempla in rebelles ac uiolatores pacis ſtatuiſſet, neglectis quæ à Principibus prætenderentur, ducatum Noricum Othoni de Vuittelſpach, Saxoniæ Bernardo Anhaldino, & alia bona alijs confert. Qui auxilijs amicorum ſubnixi, Heinricum omnibus ferè terris, quas omnium ampliſsimas habuit, intra unum menſem exuerunt: ita ut ſolo ducatu Brunſuicenſi retẽto, inſigne exemplum alijs reliquerit, non temerè Cæſaris, tanquam legitimi magiſtra-

Naucler. gener. 40.
Abbas Vrſpergenſis.

tus authoritatem aſpernādam, ſed eam cum fide, obedientia ac reuerentia colendam eſſe. Et quidem ut huius exempli recordatione, animos ſeſe contra legitimum magiſtratum contumacius elatiusque erigentes refrenari, quaſique in gyrum obedientiæ reduci par eſt: ſic & aliorū, quæ in alios rebelles Fridericus ſtatuit, meminiſſe utile erit. Hic nāq; idē Fridericus, Hermannū comitē Palatinū Rheni, eiusq; ſocios, quòd ſe in Italia abſente, armis in Arnoldū archiepiſc. Moguntinū motis pacē publicā uiolaſſet, in natalicijs Dñi Vormaciæ canē pro ſatisfactione publicè circūgeſtare cōpulit. Et Gualfagum Angleriæ comitē, ac Mediolanēſiū principē, quòd poſt latā in Imperatorem execrationis ſententiā, Alexandrū papā recepiſſet, eiusq; inſtinctu multa in urbe Mediolanēſi contra Imperiū egiſſet, ea capta, triduò ſub mēſa inſtar canis tenuit, & flagellis cæſum, compedibusq; uinctum in Germaniam relegauit. Hęc iuſta rebelliū pœna erat: quam ſi hodierno die ſimiles tranſgreſſores ſuſciperēt, quis dubitat, maiorem tranquillitatem, legumq; obſeruantiam in Imperio futuram eſſe? Sed ad propoſitum reuertamur.

Tritemius in Chronico Hirſaug. ſub Abbate Volmaro, fol. 175.

Nauclerus generat. 39. fol. 766.

Fridericus Heinrico Leone mulctato, ac nouis in Germania copijs contractis, rurſus in Italiam tendit. Varias quidem atq; diuerſas narrationes extare apud ſcriptores ſcio, quid eo tēpore in Italia geſſerit. Alij ſiquidē eum, cum tanto diſcrimine contra Mediolanen-

Platina in uita Alex. Naucler. gener. 4. Blondus & alij.

pésés pugnasset, ut equo eius suffosso fermè interficeretur, minis Episcoporum eum sectantium compulsum scribunt, ut de pace cum Ecclesia componenda cogitaret. Alij eum suasu Brixiensis episcopi in terram sanctam traiecisse, ibiq; proditione Alexandri papæ post multas præclaras uictorias Soldano proditum, eius tamen liberalitate tandem ad sua remissum esse.

Ioannes Cremonensis. Barnas. Autor uitæ Friderici Germanicè descripta.

Etsi autem hæc à quibusdá eleuari sciam, tamen cum testimonio autorum nitantur, quorum diligentia, in uita præstantissimi Imperatoris describenda, meritò probatur: ad hæc, talia sint, quæ pontificum sceleratis machinationibus in Imperatores uerisimiliter respondeant, nec ab instituto nostro sint aliena, ea referre libet, cuiq; de his suum iudicium relinquens.

Cum ergo (ut traditur) Fridericus Brixiam uenisset, episcopus eius loci Hartmannus, quo Imperator secretario utebatur, instinctu Pontificis eum à bello dehortatur: suadetque, ut potius in Turcas, Christianæ fidei hostes, quàm sanctissimum patrem & homines Christianos arma conuertat: Terram sanctam, quam Cunradus eius patruus olim magnis sumptibus & armis subegisset, rursus à Soldano Aegyptiaco occupari: precari se nomine salutis publicæ, ut de hisce terris recuperandis cogitet. Id si fecerit, se effecturum, ut rex Galliæ ad expu-

gnandum Soldanum Aegypti regem, auxiliares copias mittat. Fridericus hac oratione in ſpecie honeſta motus, exercitum contra Pontificem aliosque conſpirationis ſocios conſcriptum, in Turcas ducit, & per Vngariam iter faciens, Conſtantinopolim contendit, tranſmiſsisq; copijs oppida multa Turcis eripit: peruenitque in minorem Armeniam, ac Hieroſolymam mouens, ea eiectis paganis potitur. Verùm interea dum in Oriente eſſet, tantoque rerum ſucceſſu uteretur, Alexander pontifex iniquiſsimus proditor, cum ſuis conſpirationibus ſibi ab eo metuens, ſi uictor in Italiam redeat, de eo perdendo cogitat. Viua itaque imagine Friderici, opera pictoris cuiuſdam ad eam exprimendam deſtinati, confecta, eam ad Soldanum mittit, cum hac commonefactione: ut ſi quietus uiuere uelit, de Imperatore, cuius ſimulachrum acciperet, perdendo cogitet. Soldanus acceptis literis cum expreſſa Imperatoris imagine, ſtudet ſibi & Romano pontifici gratum facere, & ſe de Imperatore aduerſario ſuo ulciſci. Occaſio in caſtris atque conflictu nunquam ſe offert, ad explendam proditionem Pontificiam.

Hæc hiſtoria extat in uita Friderici Germanicè deſcripta.

Cùm uerò potitus Hieruſalem exercitum reduceret, Cæſar ſecurus, partitur copias in ſuos ordines, ut eo commodius emenſum iter remetiri poſſent. In Armenia autem cum Imperator ex ſolis calore & itineris difficul-

ficultate æstuaret, & nihil periculi in ea so-
litudine nemorum esse putaret, cum paucis
equitibus & suo sacellano ab exercitu di-
scedit: & non procul inde equo descendit,
uestes parat exuere, sacellanum & se (equi-
tibus discedere iussis) in amne loturus, ad
restinguendum corporis æstum. Ibi Impe-
rator (equitibus ignorantibus) cum sacel-
lano ab insidiatoribus capitur, & per nemo-
ra abducitur ad Soldanum. Equites frustra
expectant Imperatorem, quærunt diligenter
in alterum usque diem. rumor uenit ad e-
xercitum, Imperatorem esse demersum. In-
gens omnibus tristicia oboritur, ac ferè ad
integrum mensem in eo flumine quærunt.
Cum autem non reperirent, electis nouis
ducibus, domum redeunt. Imperator ad Sol
danum perductus, simulat se Imperatoris
esse ostiarium. At Soldanus faciem, ex ima-
gine à Pontifice accepta, agnoscens, iubet
simulachrum proferri, & literas à Pontifice
missas legi. Imperator ad istam proditio-
nem stupefactus, uidens negationi porrò
non esse locum, fatetur uerum, & supplex
misericordiam petit. Soldanus postquam
de rebus multis cum Imperatore collocutus
esset, includit eum ergastulo, unà cum sacel-
lano, alitque pro sua dignitate humaniter.
Post tres menses iterum colloquuntur Im-
perator & Soldanus. Cum uerò Soldanus
ex Friderici colloquio intelligeret, uirum
esse

esse optimum, in quo nullam uirtutem desi-derare, bono principe dignam, & cuius prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur, cogitat se Imperatore dimisso, plurimum sibi gloriæ & fauoris pariturum. Imperatorem igitur accersit, conditiones libertatis proponit: atque ut daret obsides, & numeraret tercentum mille siclos, postulat. Imperator neutrum se posse facere respondet: & quòd ibi nullos haberet, quos obsides daret: & quòd fisco longo bello exhausto, tanti argenti uim non posset soluere. Soldanus uidens æquum petere Imperatorem, dimisit eum ea lege, ut secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, & numeraret millies centum ducatos, relinqueretque illic sacellanum uadem usq; ad solutionem. Parantur pacti diplomata. Imperator accingit se itineri, iubet sacellanum bono animo esse: pollicetur se non quieturum, donec missa pecunia eum liberatum ac reducem uiderit in Germania. Soldanus Imperatorem muneribus ornat, uiatico prospicit, XXXIIII equis & certis militibus Brixiam usque deducit, ibi subsistit.

Principes certiores facti de reditu Imperatoris, frequentes eum adeunt. Cæsar Soldano suos uarijs donis onustos remittit, adiunctis illis qui deducerent eos usque ad Imperij fines: deinde comitia indicit Norimbergæ, & uocat omnes Imperij principes,

Ale-

Alexandri proditionem aperit, proditoriam epiſtolam à Pontifice Soldano miſſam legit, & quibus modis liber dimiſſus eſſet exponit. Principes pollicentur illi auxilium, ut fidem ſuam apud Soldanum liberet: indignantesque ſuppetias ſpondent, aduerſus Alexandrum Imperij proditorem. Conſcribitur exercitus per Italiam, (nemine repugnante) Romam mouet: miſsisque in urbem legatis ſuis, à populo Romano poſtulat (diſsimulata interim ſua priuata iniuria) ut cauſa utriuſque Pontificis audita, reſtitueretur Eccleſiæ concordia, decerneretur que pontificia ſedes uni ex electis pontificibus. Id uerò ſi facerent, promittit, ſe eis non ſolum pacem conceſſurum eſſe: ſed etiam omnia redditurum, quæ iure debebantur.

Hæc ſubſequentia Nauclerus gener. 40. narrat, ut & alij Pontificij, præcedentibus tamen omiſsis.

Alexander cernens Imperatorem iſtis conſilijs ſui compotem fore, nocte aufugit Caietam, deinde Beneuentum: poſtremò in coqui ſui habitu Venetias uenit: ubi in monaſterio delitescens, & poſt aliquot menſes agnitus, habito ſenatu, iuſſu ducis Sebaſtiani maximo honore exceptus, pontificiali pompa in templum diui Marci deducitur. Imperator Fridericus audiens Pontificem Venetijs eſſe, non parum ſuccenſet Venetis, quòd communem hoſtem receperant. Poſtulat igitur ab illis, ſibi reſtitui hominem pernicioſum reipublicæ. Quod

cum

cúm Veneti denegarent, Fridericus mittit Otthonem filium cum armata classe, ad reposcendum Alexandrum: prohibens tamen illi, ne quid armis attentet, priusquam ipse ueniat. Ottho iuuenis princeps, feruens & cupidus gloriæ & famæ, congreditur cum Venetis, capitur, & deducitur in uincula. Quo capto, Alexander successu fortunæ felicioris elatus, pacem cum Cæsare inire renuit, nisi is prius Venetias supplex ueniat, & pacis conditiones præscriptas acceptet. Fridericus itaque non imbecillitate animi, aut desperatione uictoriæ fractus: sed partim filij capti philostorgia, partim cupiditate pacis in Europa constituendæ adductus, Pontifici cedit, seque statuto tempore uenturum pollicetur. At cum id die indicto faceret, & de pacis conditionibus conuentum esset, Alexander non prius se Fridericum à uinculo excommunicationis absoluturum ait, quàm templum diui Marci accesserit. Eò Imperatore humiliter ac religiosè ueniente, Papa astante uniuerso populo, ei papaliter mandat, ut humi prostratus, ueniam supplex petat. Fridericus, qui ut Germanus minimè suspicax arbitraretur, Pontificem, qui exemplum omnis modestiæ esse debet, nulla in se uel crudelitate uel contumelia usurum, Pontificis mandato paret, seque ad eius pedes suppliciter deuoluit. Is uerò hac Imperatoris modestia

Nauclerus generа. allegat.

Nauclerus generatione 40. et alij ferè oës.

neuti-

neutiquam contentus, proſtrati Cæſaris col lum tyrannicè pede conculcat, ignominioſa acclamatione addita: Scriptum eſt, SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS, ET CONCVLCABIS LEONEM ET DRACONEM. O monſtroſæ & inauditæ tyrannidis exemplum. Tractarint Barbari quidam, reges ui prælioque captos, reuerentia regij nominis ſpreta, durius: pedem ceruici Valeriani imperatoris capti, Sapores Perſicus equum conſcenſurus impoſuerit: Tamerlanes Tartarus, poſt hoc Papæ factum, Baiazetem Turcicum Imperatorem cauea incluſum circumduxerit: tamen hæc Pontificis immanitas tanto iſtorum crudeliſsimorum tyrannorum ſuperbiam ſuperat, quanto inter hos & Pontificem diſsimilitudo maior apparet. Illi ſiquidem barbari, ſuæ ſæuitiæ aduerſus hoſtes, ui prælioq; captos, eosq; pares, probabiles quodāmodo cauſas habuere: hic uerò ſacerdos, omnis manſuetudinis atque clementiæ exemplum conſtitutus, Imperatorem in pacificatione, humillimè iniuſtæ excōmunicationis abſolutionem petentē, dominumq; ſuū, Cyclopica immanitate beluinis pedibus ignominioſiſsimè obterit. Sed quid contra præceptum hiſtoricorum tento, animos lectorum crudelitatis amplificatione, ad commiſerationem, uel alios affectus moueri uolentium, cum id tentan-

dō

do nihil efficiam: quippe cum hæc Cyclopica Pontificis rabies, orationem omnem ſuperet?

Fridericus itaque rei indignitate ad animum generoſum reuocato, ut ſe ea moueri oſtenderet, palàm Pontificem interpellat: Non tibi, ſed Petro: ſignificans, ſe factum eſſe ſupplicem, non huic tyranno, ſed Apoſtolicæ authoritati. At Papa tyrannicè reuerendum Cæſaris collum rurſus ungulis urſinis deprimens, reclamat: Et mihi, & Petro. Fridericus autem, etſi de turpiſsima iniuria ſibi illata meritò doleret, tamen communem ſalutem dignitati propriæ præferens, obmutuit: atque ab excommunicatione abſolutus, concordiam cum Pontifice redintegrauit.

HENRICVS VI.

Platina in uita Celeſtini III.

PОrrò immaniſsimarum beluarum rabies in Fridericum Imperatorem ſic pedibus conculcatum effuſa, aliquandiu reſedit, uſque ad Celeſtinum tertium: qui etſi Heinrico Sexto coronato Conſtantiam monacham, Rogerij Quarti Siciliæ regis filiam, è monaſterio Panormitano eductam, uxorem dederit, ea conditione, ut ex utriuſq; Sicilię regno, Tancredo Rogerij notho, quem Clemens tertius fruſtra inde eijcere tentârat, pulſo, regnum utrumque peteret, ac

ac posſideret. Sunt tamen qui ſcribunt, Henricum non tantum in Apulos, Siculosq; laicos, ſed & clericos atque epiſcopos defectionem molientes, ſeuerius animaduertentem, nonnullis eorum excoriatis, alijs excæcatis, & in palos actis, nõnullis etiam corona ignita redimitis, ab eodem Celeſtino anathemate notatum, nihil aliud machinante, niſi ut tã Imperio quàm Siciliæ regno Henricus VI excuteretur.

Bergomenſis in Supplemento, & eum ſequens Nauclerus gener. 40.

PHILIPPVS SVEVVS.

VT uerò hæc res ſeſe habeat, mox ab Henrici morte Pontificum ueſana perfidia rurſus efferbuit. Cum etenim Heinricus iam moriturus, Innocẽtium tertium Celeſtini ſucceſſorem filio Friderico, quadrimo adhuc ferè in cunis uagienti, ad Imperium tamen principum electione aſſumpto, tutorem dediſſet: eiq; uxore Conſtantia obnixè commendata, fratri germano Philippo Hetruriæ & Sueuiæ duci, Romani imperij & Siciliæ regni, quouſque pupillus adoleſceret, adminiſtrationem commiſiſſet: Pontifex tutelæ fide in perfidiam atque hoſtilem oppugnationem conuerſa, Sueuicam familiam, adeoque totam Germaniam nouis motibus atque bellorum incendijs inuoluit.

Naucler. generat. 40. Cuſpinian. in uita Heinrici & Philippi.

Siquidem cum Philippus ad fratrẽ ægrotãtẽ è Germania properans, in monte Flaſconis, nõ longè à Viterbio ſito, de morte fratris Imperatoris inaudijſſet, ac Imperij retinendi

cupiditate festinabundus Haganoã, ubi Principum conuentus erat, recurrisset, complurium animis sibi conciliatis: Nocentius iste, qui Sueuos nomine quidem tanquam Ecclesiæ persecutores, re autem uera ob Siciliæ dominationem, quam ipse ambiebat, infensissimo odio prosequeretur: initio quò Philippũ impediret, friuolis exceptionibus excõmunicationis, cui à Celestino subiectus fuisset, insistere: dein, quò eum non parentem irreligiosum ostẽderet, episcopum Sutrinum ad repetendum ab eo obsides, quos olim frater ipsius Heinricus exoculârat, mittere. Ac eo à legato humilitate sua absolutionem obtinente, ac uades Nocentio remittente: ille uiros cæcatos in inuidiam Philippi turbæ ostendere: Episcopum Sutrinum, quòd citra mandatum Philippum absoluisset, officio priuatum, in quandam insulam maris relegare: mox Bertholdum Zaringiæ ducem, quẽ neruis belli ualere, & Sueuis, ideo quòd antè à Cunrado Philippi fratre bello petitus esset, minimè amicum nosset, ordinibus Imperij obtrudere. De eius electione prolixè literis scriptis, quæ adhuc extant c. Venerabilem de electi. potestate.

At Bertholdo, quòd se uirtute bellica Philippo à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Boemis, Rheniq; principibus electo, multo inferiorẽ esse agnosceret: cum legitimo rege in gratiá redeunte, ita ut ei etiá obsides, nepotes suos, Cunonem & Bertholdũ comites de Vrach

dare

daret, simulque fidelitatem iuraret: tanta indignatione sui elusione Innocentius exarsit, ut in hęc uerba proruperit: Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philippus Pontifici insigne regium auferet. Ac ideo Otthonem Heinrici Leonis filium, principem audaciæ atque superbiæ quàm prudentiæ maioris, ex Anglia euocatum, cōtra Philippum, corona Imperiali ei missa concitauit: & Philippo, ut ab eo alios abstraheret, ius fasq; omne interdixit. Ex quo pestiferum quidē Imperio, curiæ uerò Romanæ rationibus perquàm commodum ac utile schisma exortum est. Nam cum Philippus & Ottho sæuissimis bellis de Imperio inter se decertarēt: uix aliqua dignitas Ecclesiastica, uel etiam parochialis remansit, quæ non per artes curię Romanæ litigiosa effecta, Romamque deducta, fœdissimis harpyis Romanis pro compositione litium cesserit expilanda: prout Abbas Vrspergensis in fine narrationis huius testatur, occasionem, qua curia Romana tantas diuitias corraserit, his uerbis ostendens:

GAVDE (inquit) mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractę thesaurorum in terra, ut ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorū hominum, quoniam in recōpensationem tantorum malorū datur tibi pre-

ciũ. Iocundare ſuper adiutrice tua Diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſsi, ut accumulentur tibi multa pecuniarũ præmia. Habes quod ſemper ſitiſti, decanta canticum: quia per maliciam hominum, non per tuam religionem orbem uiciſti. Ad te trahit homines, non ipſorũ deuotio, aut pura conſcientia: ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litiũ deciſio, precio comparata.

Roma uicit orbem non religione, ſed malicia.

Odoacer.

Etſi autem Bohemiæ rex Odoacer, Landgrauius Thuringiæ Hermanus, & epiſcopus Argentinenſis, unà cum Adulpho Colonienſi archipræſule, pontificio anathemate moti, ad Otthonem auũculi regis Anglici Richardi auxilio ſuffultum deficerent, non tamen Philippus animum abijcit: ſed Hetruria in Italia, & Sueuia in Germania firmo ualidoq; præſidio munita, Alſatiam tanquam Sueuiæ uiciniorẽ initiò uaſtat: deinde Thuringum, cui Bohemus ſeſe coniunxerat, ad pacem & deditionem compellit, Bohemo fugato. Poſtea per Colonienſem reconciliatũ, Brabantiæ & Lotharingiæ duces Cõfluentiæ fœdere ſibi iungit; ijsque peractis, cum exercitu ſocijsque Aquiſgranum deſcendit, ibiq; magna cum ſolennitate à Colonienſe coronatur. Ad extremum, prope Coloniã cum Otthone congrediens, eum ſuperatum in fugam

Nauclerus generat. 41. Vrſpergenſ. fol. 323.

gam uertit: ita ut is ab omnibus desertus, in Angliam secederet.

Principes, cum felices prosperosque Philippi successus uiderent, & ciuili regũ discordia defatigati essent: communi consilio legationem splendidam ad Pontificem mittunt, quæ Philippo in gratiam Pontificis reducto iurium Imperij confirmationem impetret. Ille uerò legatione audita, non alia conditione se iura Imperij Philippo confirmaturum ait, quâm si filia regis Philippi, filio fratris sui Richardo, recens comiti Thusciæ, Spoleti & marchiæ Anconitanæ creato, uxor detur, sperans nepotem suum hac ratione terras istas hæreditario iure perpetuò obtenturum. Sic sanctissimi patres, iam longo tempore, sede piscatoris conscensa, magis de suis nepotibus, propinquis, atque manseribus ditandis, quàm de Ecclesiæ uel Reipub. commodo solliciti esse consueuêre: bella quoque interdũ ob id suscitantes, ut cum pax constituenda est, spe firmioris amicitiæ, potentiores suos pontificijs coniungant. Legatis quidem hæc conditio à Pontifice proposita, perquàm peregrina & aliena à negocio esse uidebatur, filiam regis, Papæ uilissimi nepoti in matrimonium tradi debere. Ne tamen eum offenderent, modestè ciuiliterque sese excusant, nihil de hoc sibi in mandatis esse datum dicentes: ac cõsulunt, ut papa suos super hoc ad regem mittat. Ille itaque, qui cupidius quâm prudentius nepoti suo filiæ regis ma-

trimonium quæreret: Hugolinum Hostiensem & Leonem sanctæ crucis in Hierusalem Cardinales, Philippi legatis in Germaniam reuertentibus adiungit. Etsi autem Augustam uenientes honorificè suscepti, benignéque sint habiti: tamen præpostera Papæ ambitione cognita, quæ legem domini sui temerare non erubesceret: Rex & principes tacitè in risum soluti, cum à legatis proposita nihil ad rem quadrare uiderent, Augusta Spiram, ac inde Northusium mouêre: ibiq; post longas actiones pax hac conditione est facta, ut Pontificis nepote spreto, repudiatoq;, filia Philippi, quam stultus pontifex tãto studio ambiuerat, Otthoni despõsaretur: & hic, dum Philippus uiueret, regno cedens, post mortem eius regnaret.

Non diu uerò post hanc pacem Philippus superfuit. Cùm enim relicta Saxonia iter in Sueuiam maturaret, atque Babenbergę ocij gratia subsisteret, ab Otthone de Vuittelsbach (nepote eius, cui Bauariãm à Friderico collatam diximus, è fratre) in cubiculo, in quod solus uena incisa secesserat, proditoriè atque nefariè trucidatur: ipso indignante, quòd sibi perfidiæ infamia notato, Imperator filiam Otthoni desponsatam dare renuisset. Igitur post Philippi miserabilem interitum principibus Francofurti conuenientibus, Ottho unanimi eorum consensu Rex eligitur.

OTTHO

OTTHO QVARTVS.

OTtho rex principum cōſenſu ad Imperium euectus, rebus in Germania conſtitutis, ad diadema Imperiale recipiendum cum ualido exercitu per uallem Tridentinam cōtendit: ac per Lombardiam, Romam perueniens, ab Innocentio tertio, uniuerſo clero populoq; Romano ſibi occurrente, magno honore excipitur: quòd Pontifex in eo, cuius partes tanto tempore, tantoque ſtudio aduerſus Philippum fouiſſet, honoribus cumulando, nihil ſibi prętermittendum exiſtimaret. Verùm hic amor nō diu inter utrunque durauit: ſed quo calore ſubitò exarſerat, eo quoque rurſus extinctus, atque in odium conuerſus eſt. Nam in ipſo coronationis die, inter Teutonas atque Romanos cauſa donariorū, quæ ab Imperatoribus dari uulgo conſueuerant, tumultu exorto, ita ut circiter mille ac centum uiri cecidiſſe ferantur, non paucioribus grauiter uulneratis: Ottho rei indignitate commotus, de reſarciēdis damnis Romanos conuenit. Id uerò his facere detrectantibus, ac pontifice ei ſuſpecto, quaſi qui ciuib. tumultus occaſionē præbuiſſet: Roma ſuorū auxilio ſtipatus, Mediolanū ſecedit: ibiq; Imperialibus inſignib. depoſitis, ac militū non paruo exercitu contracto, Thuſciam, marchiam Atonitanam, totamq; Romandiolam, patrimonium S. Petri (ut aiunt) inuadit. Adhæc Apuliá manu hoſtili intrat, & Capuæ ducatum, aliasq; complures ciuitates ad regnum Siciliç pertinen-

Naucl. gen. 4. Vrſpergenſis. Cuſpinianus in uita Otthonis IIII.

ctes, Friderico secundo nihil tale suspicanti ereptas, in suam potestatem redigit. Innocentius hisce uisis, Otthonem ut regna Ecclesiæ feudataria reddat, & ab iniuria omni abstineat, admonet. At eo pontificis admonitiones non tantum spernente, sed & undiq; terris latrocinijs infestatis peiora moliente: Innocentius eum anathemate notat, Imperij titulis priuat: ac principes Sacramenti religione, qua Otthoni tenebantur, absoluit: prohibetque, ne quis sub anathematis pœna Otthonem aut haberet, aut diceret Imperatorem: Siciliæ rege Friderico, cui in cunis adhuc iacenti principes fidem dedisse ferebantur, in eius locum suffecto.

Naucl. gen. 40. Ottho itaque in Germaniam reuersus, etsi Norinbergæ conuentu acto, multa de scelerata tyrannide pontificum & principũ ignauia conquestus, quosdam sibi adiunxerit: & Hermannum Landgrauium Thuringiæ, qui ad mandata pontificis ab ipsius fide discesserat, Thuringia tota uastata, grauiter afflixerit: tamen tandem à suis desertus, in Saxoniã redire coactus est: ubi quarto die, postquam nuptias Augustales Northusij cum filia Philippi celebrasset, morbo correptus interijt.

FRIDERICVS SECVNDVS.

FRidericus Secundus, omni planè laude cùm forensi tum bellica, testimonio omnium scriptorum, dignissimus Imperator, deiecto Otthone, Aquisgrani diadema Imperiale Innocentij tertij autoritate accepit: ac hoc, anno subsequẽti Perusij mortuo,

Romæ ab Honorio tertio imperiali corona cum nomine Augusti accepta, multa Italiæ prædia, atque in his comitatum Fundensem, cum donis plurimis Ecclesiæ contulit, seque ad expeditionem Hierosolymitanam, rebus Imperij prius cõstitutis, obstrinxit, more maiorum: qui falsa religionis persuasione decepti, putabant non aliter se posse Imperialem dignitatem, nisi muneribus & uotis obtinere: ignorantes, Imperium nõ tam à pontificis autoritate, q̃ Principum populiq; electione pendere: Pontificesq;, qui principum arma sensissent, non modico rerum suarum dispendio pro recuperandis Hierosolymis, nõ tam pro Christianæ Reipub. cõmodo, quàm pro suorum uentriũ impinguatione sollicitos esse. Vtq; principibus ad ulteriores mundi partes (hoc astu in specie ualde honesto) transmissis, ipsi interim suas artes domi liberè, citraque ullius contradictionem exercerent. *Cuspinianus in uita Friderici. Pandulphus Collenutius.*

Vtut uerò Fridericus initio se erga Honorium humilem ac liberalem exhibuerit: tamẽ nec uirtus ipsum contra pontificum dolos, impietatem, atque nefaria consilia tueri, nec beneficiorum magnitudo sceleratos põtificum animos mutare uel frangere potuêre. Adeò enim duriter tres sceleratissimi pontifices continuata serie sibi inuicem succedentes, fortissimum & bellicosissimum Imperatorem per totos ferè 30 annos exercuêre, ut immanissimi Barbari, Saraceni & Turcæ, quibus cũ difficilima bella insigni laude gessit, ipsos placabilitate, mansuetudine ac leni-

Pandulphus, Collenut. in uita Friderici. Vrspergens. & alij.

tate longissimè superasse uerè dici possint. Siquidē Honorius pauló post accepta beneficia, nulla iniuria irritatus, duos Thusciæ comites, Richardū & Thomā, perduellionis reos, publicos Imperatoris hostes ac inimicos seditiosè fouit, ac ab eius fide absoluit. Deinde, quòd ius suū in Sicilię & Apulię regno liberè usurparet, anathemate notatū, Imperij dignitate priuat: Lōgobardos ad rebellionē concitat, ita ut principes Germanię ad curiam solennem ab Imperatore Cremonæ indictā uenientes repellerēt: plura attētaturus, si longior uita ei cōtigisset. Gregorius itaq; nonus, qui ei successit, ne prædecessore inferior uideretur, crudeliore aīo in optimū

Cuspinianus in uita Friderici secundi. Naucl. gen. 41.

Impatorē statim inito pōtificatu sæuit. Eum namq; accusans, ꝙ Hierosolymitanę peregrinatiōis uotū, qđ sub Honorio uouerat, minimè solueret, termino prefixo ad subsidiū terrę sanctę ꝓficiscēdo: nō modò nō ulla ratiōe cōuictū, uel cōuentū, sed neq; auditū anathemate renouato cōdemnat: & nūcios Imperatoris honestissimos, honestas ac ueras domini sui excusatiōes afferētes, submisseq; ueniā, si Fridericus deliquisset, petētes, ad se admittere, uel in conspectu concilij audire renuit: sed quotidie fulmē anathematis eiaculatus, Ioānē Hierosolymitanū regē, ac Tuscię comites Imperatori rebelles, multosq; alios è Lōbardia ꝓceres in rebelliōe cōfirmat, principib. ad diē cōuentus ab Imperatore Rauennę indicti ꝓperantib. iter intercipit: ac milites cruce signatos Hierosolymitanę expeditioni

tioni accinctos, omni uiatico spoliat. Iis itaq; Fridericus uisis, quo pōtificis rabies mitigaretur, traiecto mari Accon applicuit, multaque ꝑpter Christi fidē nō sine labore ac gloria peregit. Interim uerò Papa per Imꝑatoris absentiā (proh nefandissimum pontificū nefas) captata occasiōe Apuliam tyrannidi suæ subijcit, cruce signatos milites traijcere prohibet, multaque horrenda non tantū uicario Christi, sed & Pontifice Romano indigna cōmittit. Nā & nūcios Imperatoris rē benè cōtra Soldanū gestā nūciaturos, occidi mādat: & ut urbes Apuliæ quæ se Pontifici subijcere noluerant, inflecteret, Imperatorē diē suū obijsse publicè spargit. Soldanū etiā, quò ipse pro sua libidine totā Apuliam sibi subijceret, ne terram sanctam Cæsari redderet, rogat. O' pietatē sanctissimi patris. O' studiū singulare Pōtificis in persequēdis infidelib. Id'ne militāte ꝓ Christianis Imꝑatore, cōtra fidei Christianæ hostes, patrē erat agere, an proditorē: uicariū Christi, an sathanæ? At Imꝑator in Italiā reuersus, licet nūcios Pontificis cū literis ad Soldanū intercepisset, quib. hūc rogabat, ne terrā sanctā Cæsari redderet, nec uindicandi sese de pōtifice occasiōe destitueretur: tamen recuꝑatis ijs q̄ sibi absenti ablata fuissent, oīa tanquā fortis athleta amore Christi suffert atq; dissimulat: & pacis cupiditate ultrò pontificē ut in gratiā recipiatur, Imperatorq; uocetur, ac pro regno Siciliæ uerus Ecclesiæ feudatarius habeatur, rogat. *Cuspinianus in uita Friderici.*

At quantūuis multi Alemāniæ principes tā

Ecclesiastici q̃ seculares, utpote Ebehardus Salisburgẽsis, Seyfridus Ratisponẽsis, Sibotus Augustẽsis episcopi: Leopoldus Austrię, Ottho Merouię, & Bernardus Carinthiæ duces, aliiq; cõplures de recõciliãdo pontifice cũ Cęsare tũ Capuę agẽte summopè annitentur: nulla tamẽ cõcordia prius coire, uel absolutio impetrari potuit, quàm Imperator uncias auri centũ & uiginti millia per magistrũ militię Teutonicę ærario ecclesiæ inferret. An hoc erat fratri peccanti, septuagesies septies ignoscere? an erat hoc gratis dare, quod nullis datis nummis acceperat? O paternũ & placabile pectus: O munificũ prolixũq; mercatorẽ. Tanto itaq; precio absolutiõe cõparata, simulata amicitia cõuiuio accipitur. Vix uerò inde in Germaniã profectus, ut Henirici filij, q Lõgobardis ac Thuscis cõtra ipsum conspirârat, delicta corrigeret: à principib. corâm intelligit, missos à Pontifice nũcios, q ei' nomine mãdassent, ne quenquã ex familia Imperatoris decernerẽt regẽ: nec eo cõtentũ, cũ multis Italię principib. ut Impatoria dignitate eũ deijcerẽt, cõspirasse.

Cuspinianus. Platina in uita Gregorij. Nauclerus generat. 41. Platinam citans.

Cùm ergo Fridericus irarũ plenus, rebelles domiturus, multas Vmbrię, Longobardię atq; Hetrurię urbes expugnaret: Põtifex, qui id ægerrimè ferret, Fridericũ tertiò diris deuouet, & ut eum à fastigio rerũ humanarum deturbaret, cum Venetis noua fœdera init: deinde Romæ Conciliũ apud Lateranũ ex cõsilio Francię & Anglię regũ indicit, in quo de abrogãdo Friderico cõsultatio haberetur:

antequ;

anteq; eius initiũ, apostolorũ Petri & Pauli in supplicatione soléni capita per uniuersam urbem circumferri iubet. Adhæc, habita in basilica S.Petri oratione cõmiserationis plena, populum cruce signat, ac arma contra eũ ferentibus uitam æternam promittit.

Collenutius, quem præ cæteris uide. Platina in uita Gregorij IX.

Fridericus ea re cognita, nõ parum indignatus, cõtra se, tanq̃ infidelẽ Sarracenũ uel Turcã, crucẽ dari: copias ad urbis mœnia ducit. ibiq; prælio cũ Romanis cõmisso, in quo insigni clade afficiebãtur, cõtra hos q cruce signati erãt, nihil crudelitatis prętermittit. His etenim quatuor plagas in modũ crucis infligi, alijs caput quadrifariã instar crucis diffindi, clericis similisq; farinę hominib. coronã clericalis dignitatis notã ad uiuum resecari, cruceq; ei imprimi iubet: ut q cruce signati dicerẽtur, re quoq; ipsa essent. Pòst Fauẽtia per lõgã obsidionẽ ad deditionẽ cõpulsa, cũ cognouisset põtificios legatos ꝓ euocãdis Ecclesiasticis Gallię & Anglię, ad Cõciliũ emissos, terra mariq; oẽs uias põtificijs, ne Cõciliũ adire queant, præcludit: ex Cardinalibus, alijsq; Ecclesię prę latis, nauigio uectis, ꝑ Pisanos cõplures capit, & in carceres detrudit: Cardaliũ duos submergit: aliorũ quosdã Abbates, episcopos, atq; inter illos Papæ fratrẽ, ob insignes ꝓditiões patibulo suspẽdit. Bonus itaq; ille pater Gregorius, cũ unctos Dñi tã aspè à Friderico tractatos cognosceret, rei indignitate ita cõmotus atq; turbatus est, ut in ęgritudinẽ incidẽs, ex animi mœrore, uiã, quã dilecti filij sui ĩgressi erãt, subsequeretur.

Naucl. gen. 42. Sed hic maximè uide Collenutium.

Huic

Huic Cœlestinus IIII succedés, multa etiã cõtra Imperatorẽ Fridericũ moliri cogitauerat: ea tñ furibũdus pontifex, ob uitę breuitatem, perficere nõ potuit. Nam in pontificatu trãsactis solummodo decem & octo diebus, uenenato poculo absumitur.

Petrus de Vineis li. 1. epist. 33.

In eius locũ Nocẽtius tertius põtifex creatus, ex intimo Cęsaris amico, inimicissimus illicò factus hostis, rabiosius q̃ alius quisquã optimũ principẽ persequi cœpit. Balduino nãq; Imperatore de pace inter Imperiũ ac Sacerdotiũ cõstituẽda laborãte: Põtifex Genuensiũ nauigio fretus, quod apd' Cẽtũcellas in portu cõsederat, elusis omnib. in Gallias Lugdunũ ꝓfugit: ibiq; cõcilio indicto, Fridericũ citari iubet, & ipse cõcionabũdus citat: nõ cõparentẽ, sed per Thadæũ Suessanũ Iurecõsultũ insignẽ, tẽpus opportunũ, quo uenire Lugdunũ posset, sibi dari submissè precantẽ, iusta dilatione negata execratur, Imperiali dignitate priuat, princípes à fidelitatis iuraméto absoluit, eosq; ut aliũ eligãt Imperatore Friderico relicto hortatur: multas afferẽs causas falsissimas, & planè cõfictas, blasphemias, periuriũ, sacrilegiũ, aliaq; id genus, quæ in c. Apostol. de senten. & re iudicata li. 6. uidere licet.

Collenutius, & Cuspinianus in uita Friderici. Hieron. Marius.

Fridericus ergo hac sentẽtia põtificis cognita, reb. Italię cõstitutis, instructissimo comitatu Lugdunũ cõtẽdit, ut corã cũ Pontifice agat. Cũ aũt Taurinũ usq; ꝓgressus, ibi cognosceret, exules Parmẽses, reliquis ciuib. Impij studiosis magna clade affectis, in patriã põtificis instinctu reductos: ueritus ne reliqui I-

taliæ

taliæ populi ſimili exẽplo rebellarẽt, omiſſa Lugdunẽſi ꝓfectione retrocedit: ac literis ad regẽ Frãciæ & ad uniuerſos prelatos ſcriptis, oĩa ſibi obiecta honeſtiſsimẽ refutat, ac nulli tatẽ pontificię ſentẽtię ꝓlixẽ demõſtrat, & ſi mul ad obſidionẽ Parmę uirib. q̃ maximis ſe parat. Interea uerò dũ Groſſeti in ora mariti ma Senenſi hæret, aucupijsq; indulget, quo animũ grauiorib. curis & occupationib. fatigatũ reficiat: Pontifex, qui dies noctesq; de Imperatore ꝑdẽdo cogitaret, miniſtros eius præcipuos partim perſuaſiõe religionis, partim largitionib. corruptos, ad cõſpirandũ in necẽ dñi ꝓditoriẽ induxit. Itáne uerò Chriſtus hoſtes diligẽdos cenſuit? Siccine Petrus reges honorãdos pręcepit? Sicarijs'ne & par ricidis, an Petri ſucceſſori, tales actiones cõuenientiores? Aſt coniuratione detecta, proditores dignas ſceleris ſui pœnas dedere.

Cuſpinianus in uita Frider. Naucl. gen. 42. Epiſt. extat in epiſtolis Petri de Vineis, ep. 32.

De hac coniuratione uide Epiſt. 10. & 52 lib. 2. Rurſus epiſt. 19 & 61. li. 3.

Nocẽtius uerò, etſi ſcelerata machinatione ſe fruſtratũ, ac Imperatorẽ ſuis manib. hoc tẽ pore elapſum uideret: nõ tñ deſiſtendũ arbi tratur, antequã ipſum & regno & uita priuaret. Quare ꝑ ſerias grauesq; cohortatiões ac pollicitatiões, principes Germanię impellit, ut Friderico exautorato, Lãdgrauiũ Thuringię Henricũ eligãt. Aſt hoc, cũ Vlmę Friderici partes ſequẽtis obſidionẽ ſolueret, eodẽ anno quo rex electus erat, ita lethaliter uulnerato, ut Imperiũ cũ uita relinqueret: nec ſuceſſore Vuilhelmo alijs bellis occupato, quicq̃ in gratiã põtificis ſuſcipiẽte: tum qui Friderici cũ diris põtificijs ſpretis, Imperij rebelles in

Italia acerrimè persequi, eumq; nihil de infracto animi robore remittere uideret, post longas multiplicesq; insidias ipsi structas perficit, ut ueneno dato tandem interimatur, anno Imperij 32, ætatis 57. ea die qua olim Imperator designatus erat.

Hũc finẽ scelere põtificis sortitus est heros prȩstãtissimus Fridericus secũdus, utriusq; Siciliȩ & Hierosolymȩ rex, Sardiniȩ & Italiæ dñs, dux Sueuiȩ, princeps strenuus: nõ animi solũ uigore, sed etiã corpis uirib. excellẽs, fortis, magnificus, liberalis, multarũ linguarũ peritus, ac simul eruditꝰ: cui si ꝑ Italorũ rebellionẽ, ac põtificũ uæsanã improbitatẽ arma in Christi hostes uertere atq; exercere licuisset, næ ipse Alexãd. Magno par haberi potuisset.

Quinimò si hæc ætas nostra, q̃ põtificis tyrãnide excussa, Imperatori magis q̃ põtifici obediẽdũ esse didicit, illũ Imperatorẽ uidisset, nec impio Germanico qcq̃ amplius atq; augustius, nec põtificia sede abiectius, cõtẽptiusq; haud dubiè esset. Quare de eo nihil aliud dico, nisi eius statuæ meritò subscribi posse, quod olim Bruti libertatis Romanæ uindicis, VTINAM VIVERES.

Verùm enimuerò, quantũuis hoc generosissimo principe extincto, odiũ tamen pontificum extingui uel satiari non potuit: sed id immani rabie ac impietate cõtra diuinæ legis præcepta in posteritatem eius tamdiu extensum est, donec hȩc unà cum regno uita quoq; ab ipsis priuaretur.

Nam à morte Friderici statim Innocẽtius

III,& eius ſucceſſores Alexander & Vrbanus, uterq; eius nominis quartus, regnum Neapolitanum magnis copijs & uiribus aggreſsi, id Sueuis eripere conati fuēre: ſed fruſtra, Manfredo id ſtrenuè atq; uiriliter contra hoſtes defendente: donec quod Clemēs quartus, cępta prædeceſſoris Vrbani proſecutus, Carolū prouinciæ & Andegauorum comitem, Ludouici Francorum regis fratrem, ex Gallijs euocatum hac lege, ut pulſo Manfredo quotannis feudi nomine 40 millia numûm aureorū eccleſiæ Romanæ perſolueret, nec imperium Romanum etiā ultrò oblatum acciperet, utriuſq; Siciliæ regem dixit. Tunc namq; Carolus corona regnorum Siciliæ atq; Hieruſalem Romæ in Lateranenſi baſilica accepta, poſt multas uariaſq; conflictationes non tantū Manfredum ad urbem Beneuentum à ſuis proditum deuicit & occidit: ſed & nobiliſsimam familiam ducum Sueuiæ, multorum præſtantiſsimorum Imperatorum genitricē, plus quàm Phalarica tyrannide extinxit, Cunradino Cunradi filio ultimo eius familiæ adoleſcēte, quem regnum paternum repetētem prope Neapolim proditum in poteſtatem redegerat, tanquam eccleſiæ perſecutore, ſcelerato papæ conſilio ſecuri percuſſo. *Platina in uita Clemētis quarti.* *Vide Nauclerum gen. 43*

Clemens ſiquidem Papa poſt multorū prudentium uirorum, Cunradinum ueluti unicum nobiliſsimæ familiæ Sueuicæ columen ſeruandum, ac affinitate deuinciendum eſſe ſuadentiū ſententiam, à Carolo, quid de Cunradino ſtatuendum eſſe cenſeret conſultus, in hæc uerba proditor inclementiſsimè reſpondit: *Collenutius lib. 4. hiſtoria Neapol-*

VITA Cunradini, mors Caroli: mors Cunradini, uita Caroli. Hac uoce animum per se sæuum, ad cædem Cunradini inflãmans: cum & antè se proditi Cunradini conscium esse non obscurè ostendisset: Cunradino magno Germanorum exercitu Viterbium, ubi tum degeret, transeunte, uaticinatus, ipsum tan quam agnum ad cædem duci.

Sic itaq; Friderici familia à pontificibus exagitata, & post innumeras strages à sanguinarijs beluis funditùs excisa: principes Germaniæ fatalibus pontificum & Imperatorum contentionibus ita territi fuêre, ut nemine Imperij cu ram suscepturo, Alphonsus Hispanus & Richardus Anglicus pontificio fauore, quem pecunia emisse scribuntur, ad coronam, quam tan tis seculis soli Germaniæ principes tenuerant, aspirarint: sed neutro tamẽ, metu alterius, quic quam attentante, Imperium uiginti duobus penè annis legitimo rege caruerit, quo ad post longam uacationem & ciuilia; bella communi principum uoto Rodulphus Habespurgicus eligeretur.

RODVLPHVS HABSPVRGICVS.

Rodulphus itaq; Habspurgicus à Friderici, filiorumq; eius miserabili interitu, rex Romanorum electus: etsi Gregorio decimo de Roma adeunda, & corona accipiẽda, fide data eiusdem aliorumq; pontificum amiciciam

miciciam singulari studio coleret, quod duab: potentissimis familijs Francica & Sueuica à pōtificibus tyrannicè extinctis, & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegauēses transſlato, non temerè pontifices Gallico præsidio, atque Germanicorum episcoporum factione suffultos irritandos: sed Germaniam, quæ iam uastata ac penè collapsa erat, in pristinum statum restituendam esse censeret: tamen sua pietate, clementia, religione, humanitate, modestia ac humilitate nihil aliud gratiæ ab ingratissimis sceleratissimisq; pontificibus referre potuit, quàm iurium Imperij uiolentas inuasiones, opprobriaq; nefanda. Nam eius ætatis pontifex Honórius IIII, inuito Rodulpho, comitem Ianuensem nomine Pniziuallam, iure Imperij sibi arrogato, uicarium generalem Imperij in Italia constituit: & Rodulpho à ciuitatibus Imperij pro libertate concessa pecuniā recipiente, eam rem uti infamem pontifex scelerate suggillauit. Et Nicolaus eius nominis quartus post Honorij discessum, Romandiola & Rauenna sub falsa expeditionis Turcicæ specie à Rodulpho extortis, nisi eius consilia mors præoccupasset, duos reges creare molitus est, quorum alterum Hetruriæ, alterū Lombardiæ præficeret: qui inde Theutonicos Alpes incolentes, hinc Gallos Siciliam & regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent. Iis itaq; Rodulphus cognitis, coronæ Imperialis splendore in Italiam se pellici passus nō est, publicè semper nouas occupationes causatus: apud amicos minimè dissimulās, se ab

Mutius libr. 21. Nauclerus generat. 44.

Naucler. ubi suprà.

Paralip. Vrspergens.

Italia deterreri, quod Cæsarum in Italiam uesti gia læta, magnifica, plenaq; bonæ spei essent: ex Italiam uerò referentia & foras uersa, tristia, misera ac luctuosa: alludens ad Apologū Aeso picum de uulpe, quæ leoni in spelunca ægrotanti dixerat, ideo se terreri ab ingressu, quod uestigia omnia ingredientium, non egredientium essent animalium.

ALBERTVS PRIMVS.

Cuspinianus in uita Alberti. Paralip. Vrsperg.

RODulpho patri, à sublato Adolpho Nassouiensi, in Imperio succedens Albertus eius nominis primus, licet eadem erga pontificiam sedem obseruātia qua pater esset: tamen atrocissima Bonifacij octaui conuicia effugere non potuit. Siquidem cum pro more electionis suæ confirmationem à Pontifice per Oratores peteret: Malefacius iste ense accinctus, coronaq; imperiali ornatus in publicum prodiens, tyrannica uoce clamauit:

EGO sum Cæsar & Pontifex. ac indignabundus electionem, quæ sine sua autoritate facta esset, ut friuolam & nullam reijciens, & confirmationem recusans, Albertum contumelioso opprobrio homicidam appellauit. Ac etsi postea grauissima discordia inter Malefacium & Philippum Franciæ regem, qui pō tificem dominum suum agnoscere nollet, exorta, mutato clypeo (ut dicitur) imperatorem Albertum approbarit, eumq; de regno Franciæ per literas inuestiuerit, rege Franciæ in publico consistorio excommunicato: tamen cum Albertus se contra regem Franciæ nihil moturum diceret,

diceret,nisi sibi suisq; hæredibus regno & imperio confirmato:Papa quo uirus animi reconditum proderet, arrogantissimè ei respondit: Non futurum id Ietzabele uiuente. hoc nomine feminam illustrissimam Elizabetham,uxorē Alberti, filiam Menihardi, comitis Tyrolis, & Cunradini ducis quondam Sueuorum sororē ex matre,denotans : eamq; ut cleri persecutricē infensissimam, contra diuinæ legis mandata, ob fratris,maiorumq; res contra pontifices gestas,contumeliosè proscindens. Haccine modestia tu quoq; Petre, cum Nerone tuo agere, taliq; habitu coram ipso incedere, teq; iactare solebas? O stupendam successoris tui uesaniā. Et hic est ille Malefacius octauus, qui regna & Imperia in sua manu esse arbitratus, utrumq; gladium usurpauit,& totius mundi dominum haberi se uoluit:& clauigerum cœli se esse in superbia gloriatus,à nemine iudicari debere promulgauit, quamuis innumeras ad inferos animas secum duceret. *Naucl. generat. 44.*

HEINRICVS SEPTIMVS.

POst Alberti obitum, Heinrico eius nominis septimo, è familia Lucelburgica,legitimo electorum suffragio Cæsare designato: Clemens V pontifex, qui tum Auinione degens, cum Philippo Galliæ rege dissideret,eius electioni in odium Philippi imperium ambientis,tanta facilitate consensit, ut per Italiam & Germaniam legatis missis, omnibus præciperet, quò Imperatorē reciperent, eiusq; electionem hac lege cōfirmauit:ut intra bien- *Mutius libr. 23.*

nium coronam Romæ accepturus, Italiam, quæ
Naucl. generat. 43. tunc ob sexagenariam Imperatorum Germanicorum absentiam intestinis dissensionib. miserrimè dilacerabatur, ingrederetur.

Verùm non diu admodum hæc pontificis uoluntas sibi constitit: sed improbitate solita ad ingenium antecessorum declinauit. Nam cum Heinricus promissis satisfacturus, perlustratâ circumquaque Italia, ac Ruperto rege Apuliæ cum Vrsinis bis profligato, Romam uenisset, in basilica sancti Petri coronam suscepturus: Clemens, quem facti, ob potentiam Heinrici & amicitiã Ruperti regis, pœnituisset, Cardinalibus initio coronatione Heinrici interdixit: deinde post grauem seriamque expostulationem eius, in eam ita consensit, ut Heinricus papæ iuramentum præstaret. At eo id facere recusante, quòd noui exempli rem esse, nec usurpatam antecessorum suorum ætate diceret, Principem principum, ac orbis terrarum
Auentinus lib. 7. dominum, seruo seruorum fidelitatis iuramento obstringi: uirtute Stephani de Columna
Cuspinianus. Cardinales cum multitudine terrentis, coronam ab ipsis obtinuit: sed ita, ut animus Pontificis penitus ab ipso alienaretur. Nam Clemens odio Heinrici incensus, ad Rupertum regem Apuliæ, quem is iuridico ritu læsæ maiestatis condemnarat, hostemque Imperij iudicârat, defecit, atque sententiam in eum latam non
Vide c. pastoralis. de sententia & re iud. in Clement. tam Iuris prudentia, quàm odio Imperatoris improbauit, atque rescidit. Magnarum tum contentionum inter Pontificem & Heinricum

cum femina iacta erant: sed ea, præcipite atque præmatura huius morte, ad nihilum recidêre.

Nam cum Heinricus Siciliæ regnum, ad quod à Siculis uocabatur, occupare instituerет, atque in uigilia Assumptionis Mariæ Bonconuentum uenisset, à Pseudomonacho Bernardo Dominicano, qui se diu amicum Imperatoris simulârat, cœlesti uictima toxico oblita, atque polline adamantino (quod præsentissimum uenenum esse aiunt) sacræ optimi principis potioni indito nouo & inaudito exẽplo extinguitur. Id omnibus eius ætatis fastis, annalibus, actis, rhythmis, carminibus & epigrammatis publicè est diuulgatum. Dominicani tamen ordinis fratres id constantissimè negârunt: prætendentes, ægritudine animi, quod uindictæ auidus, de hostibus, ut uellet, supplicium sumere non potuisset, animam Imperatorem efflasse: literis à sanctissimo patre acceptis, quæ testarentur, scelestum Iudam innocentem fuisse. Verùm enimuerò, ijs fratres ordinis istius, sceleris commissi suspicione exonerari non potuêre, quin eorum quàm plurimi in Thuscia, Lombardia, alijsq́ locis, unà cum domibus igne, gladio'ne perirent.

Rhythmi de morte Heinrici impressi, hunc proditorem ueneficũ Paulinũ uocant.

LVDOVICVS BAVARVS.

HEinrico, eo quo diximus modo perfidè sublato, quæ tempestas in uita eius impendêre uidebatur, post obitum eius, sæuo dissensionũ turbine, malorumq́ pro-

 cellis

cellis detonuit. Friderico siquidem Austrico & Ludouico Bauaro, discordi electorum suffragio electis, Iohannes XXII. utriusque exagitandi occasione oblata, initio Fridericum ignominiosissimè reprobauit. Nam cū Cunradus Gurcensis episcopus ab Austriacis missus, ut à pontifice Friderici imperium, Ludouico in ordinem redacto, ratum haberi peteret: & auis atauisque Friderici collaudatis, fortes fortibus atque bonis procreari commemoraret, is arrogantissimè respondit: Salomonem omnium mortalium haud dubiè sapientissimum, filium tamen stolidissimū genuisse. Minimè obscurè hoc innuens, Fridericum à maioribus degenerare, imperijque corona indignū esse. Sed paulo pòst cum ipso clàm concordia inita, ipsum contra Ludouicum, quem regem & dilectionis filiū, instar Iudæ salutârat, concitatum, in Italiam cō tra Maphæum eiusque filios uicecomites, Genuam infestantes, uocauit. Ac Friderico anno octauo post electionem acie uicto & capto, Ludouicum acerrimo odio prosequens, ut ecclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum declarat, cùm quòd statim post electionem antequam à Papa iuberetur, nomen iusque Imperij usurpasset: tum quòd fratres quosdam Minores à se hæreseos condemnatos, dirisque imprecationibus proscriptos, suscipere, & Galeatio uicecomiti Mediolanensi eiusque fratribus contra Pontificios suppetias ferre non dubitasset.

Auentinus li. 7. fol. 759

Cuspinianus in uita Ludouici Pulchri.

Nauclerus gen. 46.

Ludouicus ergò, cum diuini humanique iuris peritissimis eius ætatis consultis intellexisset, acta & dogmata Iohānis Christianæ doctrinę repugnarę

Nauclerus gen. 45.

repugnare, papam debere subesse Imperatori, nec hunc in temporalibus illi subiectũ, ita confirmatus est, ut à Papa malè informato, quemadmodum loquuntur, ad Papam benè informandum, & ad concilium generale quãdo esset Romæ in sede beati Petri appellaret, Papæq; conatibus sese uiriliter opponeret: appellationis formula per omnes Imperij fines promulgata. Cęterùm dum ad hunc modum uerbis & scriptis contenderetur: accidit, ut Romani grauissimis factionibus uexati, missis ad Ioannem legatis supplices peterent, ut Auinione relicta, urbem pontificũ sedẽ reuiseret, ac regi Romanorũ imperialia signã conferret: id ni faceret, se antiquã populi Romani legem ac iura seruaturos asserentes. Verùm pontifice petita Romanorum non solum renuente, sed & summa cum ignominia, terroribus ac minis oratores auditos à se repellente: illi indignitate fastus pontificalis moti, Ludouicum, tanquam legitimum Imperatorem, literis & nuncijs Romam uocant. Ludouicus ergò ipsorum postulatis acquiescens, Italiam cum exercitu petit: ac Mediolani ab Archiepiscopo pro more coronatus, cum, antequã armis rem experiretur, rabiem pontificis deliniendam statueret, missis ad eum legatis, Imperialia signa sibi more maiorum ab eo conferri benignè rogat. At cum pontifex id non modò facere recusaret, sed & legatis repulsis, Imperatorem ipsum peremptoriè (ut dicitur) Auinionem citaret: Imperator, qui pontificiam tyrannidem in Ecclesia agnosceret, & Imperatoriam dignitatem diuinitùs sibi collatam, sanctam & inuio

Cuspinianus in uita Ludouici.

latam seruare studeret, pontifici serui instar subijci, & Auinionem petere denegat, ac pacis studio denuò per nuncios Imperialium signorum collationem postulat. Quibus à pontifice denegatis, simulq; Vicecomitibus in odium eius anathemate percussis: tum uerò Ludouicus rebus Mediolani constitutis, Romam proficiscitur: ibiq; magna cum gratulatione exceptus, iussu totius cleri ac populi unà cum coniuge à Stephano Columna cardinali coronatur, omnibus nobilibus qui astabant acclamantibus, Ludouicum Augustum Romanorum Imperatorem: & mox eorum consilio, Petrum Corbariensem, professorem Minorem, uirum doctum, ac ad res gerendas aptissimum, summum pontificem creat: qui simulachro Ioannis fabrefacto, id astante Cæsare ignominiosè concremat: eumq; hæreticum atq; Ecclesiæ tyrannum, publicæq; Christianorum pacis perturbatorem declarat.

Cæterùm Ioannes hisce auditis, & ipse durissimos processus contra Ludouicum publicat, Imperiali eum deijciens dignitate: crudelissimaq; excommunicatione, tanquam Romanæ ecclesiæ rebellem & hæresiarcham, acerbissimè condemnans. Imperator ergo Ludouicus, cui Italia, cùm quòd longo tempore in ea fuisset commoratus, tùm quòd uenenum (quo Romanistas magis quàm armis certare cognouerat) metueret, displicere cœpisset: hac tanta pontificis rabie cognita, Germaniam repetijt. In quam eo reuerso, Papa Ioannes mox Auinione moritur, omnium animis in eam spem erectis, no-

ui pontificis electione tantas turbas sedatum iri. Sed huic succedens Benedictus XII, nil ipso benignior in Ludouicum existit. Nam statim censuras in Bauarum à Iohanne factas, ut in usurpatorem Imperij, confirmat, eumq; omni regio honore, & ducatu Bauariæ priuat.

Platina in uita Benedict. 12.

Cuspinianus in uita Ludouici.

Cæsar itaque cum hoc à pontificibus agi cerneret, ut Cæsarea dignitate conculcata, tyrannidem suam stabilirent: Francofurtum principibus, ac humanæ diuinæq; sapientiæ doctissimis quibusq; conuocatis, decretum de consilio doctorum sub sigillo suo contra processus defuncti Iohannis promulgat, rationem fidei suæ clarissimè reddit, planè ingenueq; profitens, se Christianum hominem, articulos fidei integrè credere. Adhæc multa præclara proponit, publica atq; solenni acclamatione nouas confirmationes antiquis legibus addens, easq; corroborans: scilicet ut Electores imperij, & nullus alius, regem Romanorum eligant: cuiq; plura accedant principum suffragia, is etiam in discordia uerus censeatur electus siue Rex, siue Imperator: cum in essentia idem sint, licet nomina diuersa credantur: idemq; posit, citra Apostolicæ sedis confirmationem, Imperij iura & exercere, & administrare. Debeat quoque mox idem post Principum insinuationem à Pontifice inungi, si legitimè sit electus. Quod si recuset Pontifex, posit à quocunque catholico antistite proclamari Imperator & Augustus: cum maximè inunctiones istæ solennitates tantum quędam sint adinuenticiæ, à Pontificibus

Apud Naucler. decretũ hoc extat, gener. 45.

Alber. Krãtz. li. Saxon. 9. cap. 15.

ficibus excogitatæ; nomina tantum, & non res concedentes. Quis enim Rom. Pont. consecrauit Constātinopolitanos Imperatores? Et quis, ante Carolum, multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum, ethnicos quis sacrauit Imperatores? Nec fidelitatis iuramentum Pontifici tribuit Imperator: sed obsequij, ac fidei defensionis. Præterea falsissimum esse ostendit, per uacationem Imperij ius ad Papam deuolui: idq; esse cōtra sacri Imperij libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Longa enim & approbata consuetudine, inconcussè à maiorum ordinatione hactenus obseruata, uacante Imperio, ius administrandi Imperij iura, feuda conferendi, & negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante clementina Pastoralis.

Quis hanc prudentiam Ludouici, cum insigni moderatione coniunctam, non efferat? qui ira atq; uindictæ cupiditate repressa, omnia ita egit, ut prudentia principibus Germaniæ probata, bonitas pontifici ipsi celebrata sit? Nam cum paulò post initia pontificatus inter Benedictum, regemq; Franciæ, simultate exorta, Imperator de ea certior factus, per splendidissimā legationem à Pontifice absolutionem & restitutionem peteret: pontifex multis in laudem Germaniæ & Ludouici commemoratis, se curaturum promisit, ut nobilis iste ramus Ecclesiæ (Ludouicum intelligens) qui iam ab arbore separari cœpisset, eidem redintegraretur: & aduersus oratores regis Galliæ, Rupertiq; Apuliæ, qui ipsum multa nefanda contra pontificem machinatum conquerebantur, intrepidè tutatus est: *Nauclerus generat. 45.*

cum

cum aperta testificatione, pontificios contra eum, non ipsum contra eos fecisse.

Verùm utut innocentiam Ludouici agnoscere, tamen rege Franciæ in odium Imperatoris atq; Pontificis Cardinalium reditus in regno Galliæ interuertente, ac rege Bohemiæ Iohãne, & duce Bauariæ Heinrico de nouo Imperatore eligendo nefaria consilia agitantibus, facilè ab absolutione innocentissimi Imperatoris se retrahi passus est: & pace tandem inter Ludouicum & Francum constituta, Pontifex, qui hanc inuitus uideret, eam ratam firmamq; rogatus habere noluit: prætendens, Ludouicum ad arbitrium regis nunc hæreticum, nunc Christianissimum minimè haberi debere. En quibus artibus pontifices, nostros Imperatores tractare, ludificariq; soleant. Hoc itaq; modo absolutionis negocio protracto, Imperator, qui fraudes pontificias animaduerteret, Electores ac principes Rensij conuocat: quos cum facilè comitate, liberalitate atq; clementia sua sibi deuinxisset, res eò deducta est, ut non tantum præstito iuramento, Imperij iura se seruaturos promitterent: sed & decernerent, Iohannis quondam pontificis processus aduersus Ludouicum nullos fuisse, nec decuisse pontificem talia cõtra Imperatorem attentare, cum eorum iurisdictiones distinctæ sint.

Nauclerus ubi supra.

Cuspin. Marius.

Interea Benedicto uitæ finem accipienti, succedit Clemens VI. homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus: qui statim diabolico furore percitus, literis Latinis & Germanicis, foribus templorum affixis grauissimarum pœnarum

Cuspinianus & Paralip. Vrsperg.

rum

rum supplicium Imperatori comminabatur, ni si infra triduũ Deo & Ecclesiæ (se huius nomine intelligens) satisfaceret, & ab occupatione iurium Imperij desisteret: eoq; triduo exacto, & nemine Imperatoris nomine comparente, eum contumacem declarat: ac postea per Oratores ueniam petenti, cum oblatione, se omnia iniuncta pro uirili facturum: formulam reconciliationis durissimam, cumq; perpetua turpitudine coniunctam præscribit: nimirum, ut omnes hæreses atq; errores confiteretur, Imperium deponeret, & se atque filios suos & bona omnia in manus ac uoluntatem ipsius reponeret.

Vbi hic boni pastoris forma? ubi patris aspectus? ubi sanctimoniæ specimen?

Verùm enimuerò, etsi has conditiones ne uilissimum quodq; mancipium acceptasset: optimus tamen Imperator cum bella, cædes, ac sanguinis effusiones, si se non subijceret, exoritura uideret, formulam pontificiam ad se allatam recipit: illam non tantum sigillo corroborans, sed & seruaturum se iuramento affirmans: in tantum sese deijciens, ut pontifex hac humilitate audita, cum toto suo purpurato collegio admodum miratus sit.

Cum autem rem tantam citra Electorum, principum atque ordinum Imperij consilium suscipi minimè fas duceret, ideoq; ipsis Francofurti congregatis formulam reconciliationis perlegendam monstraret: ipsi, qui eam in plerisque in perniciem ac destructionem Imperij conceptam iudicarent, ea reiecta, Imperatori firmum

firmum auxilium, si iura Imperij, ut antè fecerat, strenuè uiriliterq́ propugnaret, promiserunt: simulq́ legatione ad pontificem missa, ipsum monuêre, ut à friuolis illis & in læsionem Imperij excogitatis conditionibus desisteret.

Ea itaque ad Pontificem ueniente, rigoremq́ articulorum in Imperij perniciem conceptorum declarante, nec aliud agente, aut petente: Pontifex, qui horum omnium caussam in Ludouicum transferret, elusæ tigridis instar efferatus, cum Ioanne ac Carolo Bohemiæ regibus, antè à Ludouico deuictis, eorumq́ patruo Balduino Treuirensi archiepiscopo, de Ludouici filiorumq́ eius extirpatione maiori sollicitudinè meditari cœpit.

Anno igitur humanæ liberationis quadragesimo sexto, supra millesimum trecentesimum, in cœna Domini, Ludouicum Imperatorem crudelissimè execratur: ac Iohannis pontificis durissimis processibus innouatis, eum hæreticum ac schismaticum declarat. Ad hæc, ne quid intentatum relinquat, principes Electores admonet, ut alium Imperatorem intra certum tempus eligant. id ni faciant, se daturum operam, ne diutius Ecclesia patrono careat, & aduocato. Postremò, in gratiam Bohemorum prædictorum archiepiscopum Moguntinum Heinricum de Wirtenburg, quòd Imperatori adhæreret, dignitate ac autoritate eligendi priuat, inq́ eius locum Gerlacũ Adolphi Nassauiensis, quondam Romanorũ regis nepotẽ, & pontificium sacellanum sufficit. Nouus itaque

pontificius

pontificius archiepiscopus, quo sui domini cupiditati seruiret, ac officium à Bohemis in se collatum simili officij genere remuneraret, ad nouum Imperatorem deligendum principibus Rensij conuocatis, cum Baldeuino Treuirensi, Vualramo Coloniensi, Rodulpho Saxoniæ duce, & Iohanne Bohemo patre, Carolum Bohemum regem Romanorum statuit.

Paralipomena Vrspergensis. Etsi autem Ludouico uiuo Carolus electus, & Bonnæ coronatus sit: tamen & eius autoritas, & ciuitatum erga eum beneuolentia tanta fuit, ut conuocatis post electionem Caroli principibus ac ciuitatibus Imperialibus Spiram, nullus inuentus sit qui uel electionem Caroli approbaret, uel pontificios processus curaret, sed omnes in fide data se permansuros affirmarint.

Quid itaque, si armis negocium transigere uoluisset? At, cum nunquam, quantumuis contumelijs irritatus, ulli bellum intulisset, sed semper tantum armis inuadentes repulisset: patriæ ac publicæ utilitatis ratione habita, nihil armis tentandum statuit, sed ad sua se recepit: ubi in lætiori conuiuio, ueneno, ex Clementis insidijs (ut quidam literis prodidêre) hausto, dum uenationem ingreditur, quò motu atque labore corpus calefaceret, de equo præcipitatus, indignissimè eripitur bonis omnibus, anno proximo post Caroli electionem, quinto idus octob. anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimo septimo: cum annos tres & triginta inter magnas aduersationes ita tenuisset Imperium, ut quem uiuentem boni omnes spreta Pontificia execratione iuuerant, eius defuncti nomen

atque

atq; memoriá cõtra maledicos eius constanter defenderét:ut cùm ex alijs historijs, tum ex ea quæ de Basiliensi Cõsule literis est prodita, id patet. Nam cùm episcopus Bambergensis, sibi à põtifice cõmisśione (ut uocát) de absoluẽdis ijs qui Ludouico adhæsissent, Auinione transmissa, anno sequẽti post mortem Ludouici Carolum Basileá comitatus, Senatui persuadere conaretur, ut (quandoquidem partium Ludouici à Pontifice excõmunicati fuissent) absolutionem peterent: tum Cunradus de Berenfels, cõsul ciuitatis Basiliẽsis, præsente Carolo, multisq; alijs Ecclesiasticis atq; prophanis masculè respõdit, dicens: Dñe Bambergensis, sciatis quòd nec fateri, nec credere uolumus, dominũ nostrũ Ludouicũ Imperatorẽ Romanorum unquá fuisse hæreticũ: & quẽcunq; Imperij Electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamsi nunquá Papam requirat. Vt aũt hæc mascula uox Cõsulis, animũ uiri, legitimũ magistrátum debito honore agnoscentis, ac innocentiæ, uirtutis amore, testimoniũ perhibere minimæ reformidátis ostendit: sic Ludouicus eo dignisśimus fuit, uir siquidẽ optimus, ac Imperij libertatis studiosisśimus, hostisq; põtificiæ tyránidis acerrimus extitit: ita ut meritò numero eorũ aggregádus uideatur, qui benè de patria merendi studio, nullas aduersitates refugerũt: sed patriæ dignitatem commodis priuatis præponentes, omnis posteritatis memoria dignisśimi censentur.

Paralipomena Vrspergensis. Nauclerus, Vrspergẽsis, gener. 45.

CAROLVS IIII.

CArolus itaq; defuncto Ludouico, cũ cõpetitores imperij sibi à Moguntino Palatino, Saxonico & Brãdeburgico electoribus obiectos, uarijs modis placasset, tandem à liberis ciuitatibus imperialib. occasione pollicitationis, de impetranda ipsis absolutione excommunicationis, quòd Ludouico adhæsissent, susceptus, inq; Italiam profectus, Imperialem coronã obtinuit, sed maiore dedecore quàm superiorum Imperatorum quisquã. Siquidem cũ pedes urbem ingrederetur, Senatorum quidã oratione ad populũ in Capitolio habita: Ecce (inquit) Rex tuus uenit tibi mansuetus. fallè ludos iocosq; de ipso faciens. Et Hostiensis Cardinalis ab Innocentio VI ad eum coronandum Auinione missus, non alia nisi hac conditione eum admittere uoluit, ut neque Romę, neq; in Italia diutius moraretur. Quàm uerò turpis & ignominiosa hæc conditio Imperatori fuerit, ex Francisci Petrarchæ, eius ætatis disertissimi, omniumque bonarum artium instauratoris eruditissimi, epistolis colligere licet, dum ad ipsum Carolum ita scribit: Nescio quid Romano pontifici pollicitus iureiurando interposito, quasi muro ualido seu monte inuio Romanę urbis aditu prohiberis. Quæ nam ista superbia est, principem Romanũ, publicę libertatis autorem, libertate priuare: ut cuius esse debet omnia, ipse non sit suus? Et alio quodã in loco Ne-

Nauclerus generat. 46.

rio Foroliuienſis ſcribens,ab hiſce nō alienà
ſentit: Omnis (inquiens) poteſtas impati-
ens conſortis erit.cuius rei ſi qua antiqua nō
ſufficerent,uereor ne recens nobis exemplū
caſus attulerit: neu iam pontifex Romanus
principem Romanū Romæ eſſe uetuerit, ꝙ
fama loquitur,quę nunc diademate conten-
tum ac imperij titulo,Romni non ſolum pati
tur,ſed iubet: & quem dici Imperatorē ſinit,
imperare nullo modo ſiturus eſt. Vt uerò
Caroli ſocordia,hanc pontificis deteſtandā
ſuperbiam atque tyrannidem diſsimulanter
ferentis, meritò culpanda eſt: ſic Pontifices
odio dignisſimi ſunt,qui Imperatorib. opti-
mis pro ſua libidine remotis,ſuarum cupidi-
tatum miniſtros atq; ſatellites per horribilia
bella ſubſtituerūt: Imperium in eam calami-
tatem,in qua adhuc hodie proſtratum iacet,
ſceleratiſsimè conijcientes. Hic ſiquidē Ca-
rolus, quò competitoribus imperij pacatis,
bonis imperij, quibus ſemp inhiarat, liberè
potiretur. deq; ijs ex animi ſententia nego-
ciari poſſet,Gunthero comiti Schuuartzbur-
gico,uiro ſtrenuo & militari,ab Electoribus
ſibi contrarijs electo, & Imperatori deſigna-
to,uiginti duo millia marcarum argenti, ac
duo oppida Imperialia in Thuringia,ad tem
pus uitę dedit: Friderico marchioni Miſnen.
qui in Schuuartzburgici extincti locum ele-
ctus erat,decem millia marcarū ſoluit,ut Im-
perio cederet: mox Romā ad coronā accipi-
endā ꝑfectus. Ex ea tanta ignominia,quan-
ta Imperatorū nullus, ſub ſpecie uenationis
Cuſpinian. in uita Gunth.
Idem in uita Caroli.

elapſus,

elapſus, atq; Mediolanum reuerſus, familiæ Vicecomitum, qui tum Mediolani plurimū poterant, ingenti pecuniæ ui accepta, ut perpetui uicarij Cæſaris per Longobardiam eſſent, in magnū imperij detrimentū, cōceſsit: regnum Arelatenſe ab Othone primo Imperio adiectū, ſumpto magno prandio in uilla noua prope Auinionē, Galliæ regi tradidit: Gerlaco archiepiſcopo Moguntino, cuius ſuffragio electus erat, ius regis Bohemiæ inaugurandi Moguntinæ eccleſiæ competens ademit, atq; in Pragenſem archiepiſcopum à Clemente VI confirmatum tranſtulit, inq; collegium Canonicorum regularium Ingelheimenſe, Moguntinenſis diœceſis, ſolos Bohemos recipi ſanxit: mox quoq;, ut lucrum ſperatū ex Imperio conſequeretur, ſedecim liberas ciuitates Sueuicas ad Imperium pertinentes, uicinis principibus uendidit: Bopardiam & Vueſaliam Imperiales ciuitates Cunoni archiepiſcopo Treuerenſi arctiori impigneratione obligauit. Luſatiam, quæ Imperialis beneficij nomine multis annis ab archiepiſcopo Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, archiepiſcopo eius temporis pecunia corrupto, ut iura eccleſiæ ſuæ uenundaret, regno Bohemiæ in omne æuum adiunxit: ut filium Vuenceſlaum, hominem ignauia, torpore, ocio, luxu, delicijs, omniq; uoluptatum genere corruptiſsimum, ſucceſſorem ſibi pararet, aduerſus leges auitas & patrias, contra morem maiorum, nouo, inaudito & peſsimo exemplo, cuiq; electorum centena millia au-

Auentinus lib. 7.

Theodoricus de Nyem.

Zieglerus de uiris illuſtribus Germaniæ, cap. 91. et Krantz. li. 10 cap. 3. Saxon. Tritemius in Chron. Hirſaugenſ.

Aeneas Syluius cap. 33. hiſtor. Bohemicarum. Vide autē de his omnibus, et alijs quam plurimis prolixè Theodoricū de Nyem, in Nemore ſuo iā edito, cap. 71.

ſeorum promiſit: quæ cum ſoluendo non eſſet, quibuſdam uectigalia, Palatino autem (ut memoriȩ proditũ eſt) Cæſareã Luthreã, Oppenhemium, Odenhemiũ, Ingelhemiũ, pro centum millib. aureorum oppignorauit. Vnde Imperatoria maieſtate ad nihilũ redacta, Imperiũ hucuſq; caput attollere nequit. Illis ſiquidẽ uectigalibus, quæ Imperij patrimoniũ erant, partitis, deplumata eſt Aquila, ut cȩteris animantib. contemtui ſit. His ergo ſe ita habentibus, quis Imperialis maieſtatis patriȩq; amans, Pontifices horum malorum autores, tanq; filios perditionis, atq; teterrimas Chriſtiani orbis peſtes, nõ execraretur?

Zieglerus de uiris illuſtribus Germaniæ, cap. 83.

VVENCESLAVS IGNAVVS.

POſt Carolum Vuenceſlaus filius, Imperij gubernaculis ſuſceptis, cum durante ſchiſmate inter Vrbanum VI & Clementem VII (quo nullum pernicioſius aut diuturnius unquam in eccleſia fuit) Vrbano ſeſe adiungeret: Clemens, legatos ipſius, inter quos quidã honeſti ſacerdotes fuiſſe memorantur, miſſos ad ſe magnis cruciatibus inclementiſsimè interfecit. At, cum cenſũ eccleſiaſtico ab Vrbano per totũ imperium, in ſubſidium Romanæ profectionis impetrato, auarus rex, auariſsimos Romanos, pecuniæ ex reditibus eccleſiaſticis coactæ inhiantes, aduentus ſui ſpe fefelliſſet, & is totũ ſe ab amicitia eius auertit. Sed morte præuentus, quod in ipſum haud dubiè attentaſſet, Bonifacius IX eius ſucceſſor perfecit.

Nauclerus generat. 47.

 Nam

Nam is Vuenceslai deiectione ab Imperio, non tam quòd uitæ genere ac educatione corruptissimus esset, quàm quòd Romanos fefellisset, approbata, Ruperti comitis Palatini electionem per archiepiscopos Moguntinensem, Coloniensem & Treuirensem factam, ratam firmamq; habuit.

Theodoricus de Niem, li. 2. cap. 14.

RVPERTVS CAESAR.

Vt uerò Bonifacius Nonus in odium Vuenceslai eius deiectionem, ut diximus, facillimè promtissimeq; approbauit: sic Ruperto rerũ potiente Alexander V maliciosissimus Cretensis, tertius à Bonifacio Romanus pontifex, animo in Rupertũ mutato, non tristius in imperio, quàm tunc in ecclesia esset, schisma sceleratè excitare conatus est. Nam statim postquam in concilio Pisano cathedræ piscatoris præfectus esset, iure Ruperti, iusto titulo imperij possessione gaudentis, penitus neglecto, Vuenceslaum unanimi electorum ac principum sententia imperio remotum, literis suis regem Ro. nominauit. Vnde Rupertus hanc iniuriam ac uiolentiam ægerrimè ferens, de ea principib. uehementissimè conquestus est: ac Alexandri obedientiam in Germania fortiter turbauit: maiora in ipsũ suscepturus haud dubiè, ni incendij gliscentis scintillæ, unà cum Pontifice, pharmaco Marsilij Parmensis medici extincto, magno totius orbis Christiani commodo, sopitæ fuissent. Porrò uerò dum Rupertus ijs emendandis, quæ auaricia Caroli, & ignauia Vuenceslai corrupta fuissent, intendit,

Theodoricus de Niem, li. 3. cap. 53.

tendit, anno imperij decimo uitam amittit: imperio ad Sigismundũ, principẽ sapientia, eruditione & ꝓbitate clarissimũ, transmisso.

SIGISMVNDVS.

Sigismundus itaque cum eo tempore ad Imperium accersitus esset, quo Ecclesia grauissimo schismate per tres Antipapas, Iohannem XXIIII Bononiæ, Gregorium XII Arimini, Benedictum XII in Hispanijs se continentem, miserrimè dilaceraretur, ut schismate sublato, Romana sedes in portum collocaretur, tantos labores pertulit, quantos ante ipsum pro Ecclesię salute paucissimi regum uel Imperatorum subijsse leguntur. Etsi enim iure suo, atq; exemplo antecessorum, faces istas dissensionum sede pontificia deijcere, easq; coercere potuisset, ac debuisset: tamẽ moderatione ac autoritate concilij generalis, quàm armis ac uiolentis remedijs dissidiũ hoc tolli maluit. Ideoq; quo cæteri reges in concilium coirent, non sine grauissimis laboribus, sumptibus & periculis, regna ferè omnia totius orbis Christiani peragrauit, Galliam & Hispaniã adijt, in Angliam nauigauit: cumq; regibus istarũ terrarum egit, ut pium ac necessarium consilium eius approbarint, idq; se adiuturos polliciti fuerint. Postea in Italiam profectus, Iohanni pontifici Mantuę persuasit, ut Constantiam ad concilium ueniret: Concilioq; congregato effecit, ut remotis tribus Antipapis, Ottho Columna patricius Romanus, assumto nomine Martini V, Pontifex omniũ

Nauclerus gener. 48. Paral. Vrsperg. Cuspinianus.

Platina in uita Martini V. præter alios.

nationũ ſuffragijs eligeretur. Adhęc Huſsiũ & Hieronymum Pragenſem, uiros eruditione & pietate excellentiſsimos, contra fidem datã publicè condemnari, & crudeliter comburi tulit, ut diſsidijs ſublatis pax in eccleſiã reduceretur. At quam gratiam ab ingratiſsima iſta ſede retulit? ſanè talem, quæ quemlibet prudentem, à benefaciendo ipſi meritò deterrere debeat. Nam cum aliquo tempore pòſt, pontificatum Eugenio Quarto Veneto occupante, in Italiam pro corona Imperiali accipienda ueniſſet, ac ſe Philippo Mediolanen. duci, tunc cũ Venetis & Florentinis belligeranti, paulò benigniorem exhibuiſſet: hi potentiã Imperatoris ueriti, facilè Pontifici perſuaſêre, ut is Imperatori corona denegata, ſuas copias Venetorùm ac Florentinorũ adiungeret, ac ipſum à tranſitu Arni Senas præterfluentis, arcere conaretur. Egregia ſanè gratia Sigiſmundo relata, ac digna pontifice Romano. Ac licet multorũ interceſsione aſsidua res tandem eò deducta ſit, ut cum Imperator Senis ſex totos menſes, ſpe coronationis, magnis impenſis ſubſtitiſſet, bona Eugenij gratia Romæ coronatus diſceſſerit: tamen ſanguinarius iſte Pontifex, aliquanto tempore pòſt, pontificatu deiectus, quòd decretum concilij Conſtantienſis (quo ſancitum erat, ut Pontifices ſeptimo quoque anno, pro ſeruanda Chriſtianorum unione, generalia celebrarent concilia) euertere, Conciliumque Baſilienſe à Martino indictum, & à ſe confirmatum, impedire conatus

Platina in uita Eugenij IIII.

tus

ſus eſſet, maximas Germaniæ calamitates ſub Friderico III Auſtrio ſuſcitauit: Ludouico Caroli regis Franciæ filio, quem Delphinum uocant, contra Germanos concitato. Hic namq; quò Conſilium Baſilienſe ad placitum Eugenij diſsiparet, cum ſuis Armeniacis & cæteris gentibus, Alſatiæ uicos & nõnullas ciuitates, dolo, perditione, ac blandimẽtis ingreſſus, Alſatiã omnem uini atq; frumẽti feraciſsimã miſerè uaſtauit: ac ædes, domos, caſas ciuiũ, pauperũ, orphanorũ, uiduarumq;, & ipſa Dei noſtri ſacratiſsima templa crudeliter ſuccendit. Cæterũ cum omni crudelitate in Alſatia perpetrata, tãdem Baſileã cũ triginta millibus acceſsiſſet, à tribus militibus Heluetiorũ fortiter pro patria pugnantium cęſus, ęgrè tertiam partẽ mutili fractiq; exercitus in Gallias reduxit: dignam militia pontificia mercedem referens.

Vuimphelingus in Epitoma rerum Germanicarum.

Naucleras generat. 49.

FRIDERICVS III.

SIgiſmundo ſucceſsit Albertus. at eo, biennio pòſt quàm electus eſſet decedente, rerum ſumma Friderico Auſtriaco delata eſt: qui cum natura clemens, manſuetus ac pacis ſtudioſiſsimus eſſet, ne põtifices pacis turbatores ac hoſtes perpetuos offenderet, ſedulò cauit. Non tamen ipſorum aduerſationes euitare, ſuperbiã emollire, uel fraudes penitus effugere potuit. Nam cũ tempore concilij Baſilienſis, nimirũ anno Domini 1441, publica deliberatione Mogũtiæ tractaret de Concilij Baſilienſis, quod Papa euerte

Syluius de Baſilienſi cõcilio.

Epistola extat in fine Clemangis, et in Fasciculo rerum expetendarum ante aliquot annos Coloniæ impresso.

re conabatur, authoritate conseruāda, & exactionibus quibus Papæ ecclesias Germanicas exugerent, minuendis, literis ea de re scriptis ad regem Galliæ, ut uel ad eum conuentum ueniret, uel aliquot eximios uiros mitteret. Papa eo cognito, id per legatos egit, ne rex Galliæ uel ipse proficisceretur: uel ullos legatos, se incōsulto, eò mitteret: atq; hac ratione optimi Imperatoris præclari conatus tunc temporis frauduléter elusi fuêre. Mox quoque pôst sceleratissimi nebulonis Eugenij arte, ea, cuius meminimus, Alsatiæ uastitas illata est. Ac, etsi qui hunc tres Pontifices subsecuti fuêre, eos ita humanitate sua demulserit, ut nihil imperij sui tempore contra se molirentur: maioraq; de successore ipsorū Pio II, uetere ministro suo, speranda habuerit: is tamen pestilentiæ cathedra conscensa, Friderici agnatum Sigismundum, archiducē Austriæ, diris execrationibus deuouere, Germaniamq; horribilibus bellis intestinis, nulla Imperatoris authoritate habita, inuoluere non dubitauit. Siquidem cum Sigismundus Nicolaum Cusanum à Pōtifice ad deglubendum episcopatum Brixinensem in Tyrolim missum, post longas cōcertationes, quòd suę ditionis homines Romanistarum rapacitati exponi nollet, in uelitatione equestri captū, custodiæ mācipasset: Pontifex ob læsam maiestatem in sua creatura acriter cōmotus, Sigismundum grauissimæ censuræ subdidit: nec prius ipsum, quantūuis Friderico interceden-

Historia hac extat in Antilogia papa, exposita à Vuolfgango Vueissemburgio.

cedente ea liberauit, quàm Pluto deprecatũ ueniret: nil regibus, nil populis unquã timore concedens, ut eius adulatores scribũt: sed insatiabili pecuniæ cupiditate, quoslibet ei refragantes, pontificio fulmine atq; horribilib. bellis prosequẽs. Hinc cũ mortuo Theodorico Erbachense Moguntino archiepiscopo, Dietherus Eisenburgicus in eius locum suffectus, pallium episcopale X X. millibus sexcentis quinquaginta aureis Rhenẽsibus redimere tardaret, quòd authoritate Cõcilij Basiliensis annatæ dãnatæ abolitæq; essent: Pius grauissimè Diethero indignatus, cõfirmationẽ ei denegauit: eamq; æmulo eius Adolpho Nassauiensi, quod multos haberet amicos & consanguineos, quorũ auxilio possessionem Ecclesiæ adipisci posset, contulit. Diethero uerò uiriliter deiectioni suæ sese opponẽte, & cùm alios, tum uerò Fridericũ Palatinum, & Fridericũ Brandenburgicum, ac Philippum Catzenelbogicũ comitem, in suas partes magnis muneribus pertrahente, tãta belli incẽdia sunt nata, ut præcipui Germaniæ proceres ijs implicitị, insignẽ rerum suarũ iacturam fecerint. Marchio siquidẽ Badẽsis Carolus, episcopus Metẽsis Georgius, & Vlrichus comes Vuirtenbergicus, Adolpho Nassauiensi opitulãtes, memorabili prælio cũ sua nobilitate ad Seckenheimiũ à Friderico Palatino cęsi, capti, & in Heidelbergẽsem arcẽ abducti, nec prius dimissi fuêre, q̃ Badẽsis centũ, Metẽsis quadragintaquinq;,

Vide Paralipomena Vrsperg. Monsterũ in Cosmograph. Naucler. in ultima gen.

Vir-

Virtembergicus quoq; centū millia floreno rū soluerent: aliaq; iura, cuilibet summæ ferè paria, Palatino uel cederēt, uel remitterent. Hanc suæ factionis procerū cladem, Pius ut uipera læsa grauissimè tulit: ac literis querulis de calamitate sociorū, ad Philippum Burgundiæ ducē, tam prudentia quàm armis eo tempore florentem, scriptis, eum post cohortationem ad auxilia Adolpho ferenda cōtra Palatinū, Dietherum & Comitē de Catzenel bogē, illisq; adhærentes, belli ducē cōstituit. Ipso uerò, uel pro prudentia sua, qua eximia præditus fuit, hanc belli molē detrectāte, uel uoluntate pontificis diutius cunctante: Moguntia à Ludouico Nigro Palatino, ac Comite Veldensi, alijsq; procerib. partiū Adolphi, ꝓditione duorum ciuiū, scalis noctu muris admotis occupata, direpta, incensa, ac quingentis ciuibus occisis, in perpetuā seruitutē redacta, totaq; nobilissima diœcesis ita afflicta est, ut ea hodierno die adhuc cōpluribus eius oppidis, uillis ac pagis, partim alienatis, partim grauissimè oppignoratis, belli isti⁹ calamitates sentiat. En piū Pij pontificis factū: qui, ut Germaniam pecunia contra ius ac fas omne emūgeret, horridis bellis excitatis, eius procerescōmisit, eosq; in extremas angustias coniecit. Vt uerò hic Impius II in principes: sic qui ei successit Paulus II Venetus, atrociora in ipsum Imperatorē attētauit. Nā cum Cōstātinopoli capta, secundò Fridericus Romā proficisceretur, ut cū pōtifice Pau

lo

Io II de expeditione in Turcas suscipienda deliberaret, eumq; ad excitandos Principes, q multis iã cladib. animos abiecerant, secũ in Germaniã adduceret: Pontifex posthabitis Cæsareis postulatis, sub specie humanitatis, uitæ ipsius perfidè insidias struxit. Quib. ille prudenter declinatis, & improbitate pontifici ciã cognita, postea legatis Innocentij, ab Ecclesiasticis personis decimas p totã Germaniã postulãtibus, Norimbergę in publicis comitijs sese fortiter opposuit: ita ut inanes, ut uenerãt, Romã quoq; reuerterẽtur harpyiæ. Quis quęso tam cerebri uacuus, tam prudentię expers futurus esset, ut se perfidissimo hominũ generi crederet: cum tam præstantes Imperatores, Reges & Principes, eius insidias euadere non potuisse perspiciat?

Hubertus Goltz. & Hutenus.

Mutius lib. 29.

MAXIMILIANVS I.

POst mortẽ Friderici, Maximilianus Imperio, cuius consors legitimo Electorũ suffragio patre uiuẽte designatus erat, assumptõ; infulas illas solẽnes Cæsarũ, cum facilè posset, suscipere nõ laborauit: q princeps rerũ peritissimus, eorũ quę superioribus Imperatoribus fulgore coronæ Romã pellectis accidissent, haud dubiè recordaretur, & pontifices capitales Cæsarũ hostes fugiendos esse statueret. Veruntamẽ sæpius fraudi sceleratissimorum pontificũ, synceritas optimi Imperatoris subiecta ẽst. Nã initio Alexander ille VI, luxuriosissimus & auarissimus tyrannus;

Nauclerus gẽnerat. 50. Mut. lib. 29. Cuspinianus in uita Ma-

ximiliani, & Zelymi Othomanni. nus, qui Zizymũ Turcarũ regem à fratre Baiazete pulsum, cũ perpetuo Christiani nominis opprobrio, ingenti pecuniæ summa uno die uiuum & mortuũ uendidit: pari pecuniæ cupiditate raptum Annæ Britannicæ, quæ ritũ regio Maximiliano desponsata erat, pecunia à Gallo accepta approbauit: matrimonio, quod inter Maximiliani filiã Margaritã, Carolumq; Gallorum regem contractum erat, nefaria dissipatione soluto, & inuito ac contradicente Imperatore: per Raymũdum cardinalẽ Germaniæ prouincias præcipuas nouis & inauditis expilationibus uexauit: cũm immensa Apostolicarum clauium potestate, indulta eius se in mortuorum ante multos annos animas extenderent. *Mutl. lib. 30.*

Ab eo ut nomine, sic quoq; ordine secundus Iulius, tantis perfidiæ tendiculis Maximilianum circumduxit, quantis pontificum quisquam ullum Imperatorum. Nam cum ad bellum Venetum omnium maximũ, grauissimumque, inclytum heroem impulisset, ac is Venetos pontificiæ sedi rebelles, captis eorum præstantissimis urbibus ad summam necessitatem adegisset: Iulius, contra fidem Imperatori coram ordinibus Imperij Augustæ sanctissime datam, ac omnes publicæ honestatis rationes, non tantum Venetos pacem petentes in gratiam recepit: sed & percusso cum ipsis fœdere, exercitum suum aduersus Cæsarẽ, iniquissimus perfidissimusque bellator eduxit, cum ea uoce quæ ipsum *Hubertus Goltz. Parab. Vrsperg.*

non tam Petri, quàm pessimi & impijssimi latronis successorem fuisse, liquidissimè testaretur. Siquidem (ut memoriæ proditum est) cum exercitu urbem egrediens, Petri clauem in Tyberim furibundus proiecit, hisce uerbis: Quia clauis Sancti Petri non amplius ualet, ualeat gladius Sancti Pauli. hoc facto, se suosque successores potestate clauium Petro concessa, scelerata dementia priuans, iusque suum omne Tyberino flumini cedens. Non itaque minus uerè, quàm eleganter, quidam in gladium hunc Iulij hoc carmine lusit: *Arnoldus Feronius.*

Ille sui longo successor in ordine Petri,
More nouo tantas res agit, & studio.
Nam neq; pro populis orat, paciq; relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet:
Verùm bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet:
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira uenenato soboles, latro prodite partu,
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum?

Verùm hanc Pontificis inauditam perfidiam, cum pari impietate coniunctam, optimus maximus Deus, iustissimus scelerum uindex, non diu impunitam dimisit. Cum etenim rex Gallorum Ludouicus, Cæsari ex formula fœderis opem ferens, pontificem Venetorum presidio elatum, omnesq; pacis conditiones respuentem prosequeretur, *Hubertus Goltz. Mut. lib. 30. Paralip. Vrsperg.*

tur,

tur,prælio ipso die Paschatos prope Rauennam commisso,tanta eum clade affecit,ut pacē quàm antè recusauerat, ultrò expeteret: experireturq́;,Pontifici non tā gladio,quàm claue Petri belligerandum esse.

Vt uerò non diu post hanc cladem,aliasq́; cædes innumeras, è rebus humanis exemptus, successorem in Pontificatu Leonē X; sic quoq; eundem æmulum pontificiæ perfidiæ habuit. Siquidē cum ab initio pontificatus,à Gallo alienior,Maximiliani Cæsaris & Sfortiæ Mediolanensiū ducis amicitiæ, contra Gallos tunc Mediolano imminentes, studuisset:mox à Frācisco Gallorū rege,Heluetijs ad Marignanum cæsis, & Maximiliano Sfortia in potestatem redacto, ad regē Gallorum Franciscū,fœdere Cęsareo uiolato,uenit:ac cū datū ei esset,ut pragmatica sanctio, nouis cōuentionib. in eius locū substitutis, in Gallia aboleretur, fœdera cum Francisco sanxit,eiq́; imperij Cōstantinopolitani infulas cōtulit.An ne hic magis pontificis de alieno largiētis liberalitas,uel pfidia in Imperatoré laudatissimū Maximilianū mirāda erit?

Arnoldus Feronius in uita Francisci Valesii.

Fertur uulgò Maximilianus, cum à Leone (nescio in hac re,uel alia) deceptus fuisset,dixisse Germanicè: Iam se uerè affirmare posse,quòd nullus Paparum sibi fidem seruauerit:atq; Leonem, ultimum futurum cui cōfideret:idq; ut dictū, sic quoq; seruatū ab ipso rei euētus docuit. Nā paucis pòst annis in p fluuiū uētris incidens, spiritū Deo reddidit,

Catalogus testium ueritatis.

anno

anno humanæ Salutis millesimo quingentesimo decimo nono: futurum fuisse, ut qui toties peruersissimis Pontificum strophis elusus esset, de ipsis euertendis pia consilia, in tanta religionis mutatione initurus, atq; ad exitũ deducturus fuisset. Verùm præmatura morte abreptus, quæ uoluisset, Caroli successoris, atq; ex filio Philippo nepotis potentiæ reliquit.

CAROLVS QVINTVS.

Quis uerò pontificum perfidiam, in Carolum ter maximum Imperatorẽ usurpatam, eà qua par esset, oratione cõmemoret? Quis non, in tanta religionis mutatione, quanta post Apostolorum ætatem non accidit, clementiam pontificum in exagitando Imperatore cùm felicissimo tum, potentissimo admiretur? Quis studio Imperatoris in sede pontificia tuenda fulciendaq; cognito, ingratitudinem perditissimorũ hominum non execretur?

Nam, cum ab obitu Maximiliani, Electoribus pro eligendo nouo Imperatore Frãcofurti congregatis, Carolus & Franciscus rex Galliæ Imperij dignitatem ambirent: Leo decimus amicicia cum Francisco firmata, eum magnis innixum largitionibus, innata quadam pontificibus improbitate; cõtra Carolum fouit & adiuuit, cùm quòd huius, amplissimorum regnorum hæreditate locupletati, potentiam uehementissimè formidaret: tum quoque Carolum antiqui Vatis cuiusdam carminibus, non obscuris formæ ac ingenij lineamẽtis designa-

Iouius lib. 4. de uita Leonis decimi.

ri conijceret, per eum, qui à Septentrione toti Italiæ, Romæq́ præsertim, summas clades esset illaturus: hoc interim literis ad Electores scriptis astutissimè prætendens, Caro o ad honorem Imperij aspirare non licere, quòd reges Neapolitani, Pontificis Romani beneficiarij sint & fide data iam olim cum pontificibus pepigerint, se Romanum Imperium non appetituros, sed alterutro contentos fore. Cæterùm integritate Friderici Saxoniæ ducis, & fide eiusdem erga Maximilianum, cui toto uitæ tempore deditissimus fuisset, Imperio ad Carolum translato, Leo uulpina arte fortunam sequutus, Gallo ad tempus fauere desijt: Carolo, quem gratia superare uidebat, suffragatoribus commendato. At cum hic consensum eius in electione requireret, cum ea dispensatione, ut sibi cum Imperio regnum Neapolitanum retinere liceret, lege inuestituræ minimè refragante: tunc Pontifex ad ingenium reuersus, de nouis uijs, quibus Caroli authoritatem deprimeret, cogitauit. Nam literis & nuncijs per Germaniam missis, id egit, ut Caroli coronatio apud Aquisgranum, & conuentus Vuormaciæ indictus, retardarentur. Cumq́ eluss conatibus suis, uirtutem Electorum (qui nec ui, nec metu, nec ullis artibus à suo decreto dimoueri potuerunt) maiorem pontificia improbitate cerneret, fœdus iteratò cū Gallo iniit: inter alia id agens, ut utriusq́ Siciliæ regna Carolo adimerentur: & Italico imperio subuerso, protectiones ciuitatum Italiæ inter sedem pontificiam Gallumq́ diuiderentur.

Sleidanus libro 1.

Appendix ad Platinā. Sleidan. ubi suprà.

Respōsio Cæsaris ad breue Apostolicūm.

tur.

tur. Tamdiu uerò in hoc fœdere constans perstitit, quo ad id è re sua esse, atque sedi Romanæ expedire uidit. Cum etenim Franciscus rex fœdere pontificio fretus, uiolato eo quod cum Carolo antè percusserat, Robertum de Marchia Caroli rebellem, ad Belgicum turbandum submisisset: Gallicq; duces & milites in Italia agentes, urbem Rhegium sedi pontificiæ clanculum adimere conati fuissent: Leo Gallorum potentiam horrescens, ac de ipsorum fide hæsitans, quò suam dignitatem tueretur, & Romanæ ecclesiæ per Gallos adempta recuperaret, tertiò ad partes Cæsareanas transit, id à Cæsare perbenignè ipsum in fœdus recipiente impetrans, ut Parma & Placentia sedi Romanæ restitutis, & Francisco Sfortia in ducatum Mediolanensem reducto, Gallisq; ex Italia pulsis, sedes Romana in tuto collocata, omni Gallorũ metu liberaretur. Paulo uerò post Leone febri mortuo, pontificia rabies in Carolum successione Hadriani sexti põtificis Germani aliquãto subsedit. Hic etenim sui perbreuis pontificatus tempore in Caroli amicitia, ut bonus præceptor constanter persistens, eum aduersus Gallos pecunijs exercituq; iuuit: & præter Florentinos, Senenses, Lucẽses, aliosq; regulos Italię, sedem quoq; Romanam, Heinricum Angliæ, & Ludouicum Hungariæ, reges fœdere ei iunxit. Verùm Hadriano, anno pontificatus sui secundo, non sine ueneni dati suspicione extincto, fatalis pontificum rabies tanto uehementius prorupit, quanto interea temporis plus uirium collegerat.

Gerardus Moringus in uita Hadriani sexti. Iouius in uita eiusdem.

Feronius in uita regis Francisci. Iulius namq; Medices, qui postea Clemens septimus uocari uoluit, Hadriano post uarias disceptationes suffectus, cum antè pontificatum maximis à Carolo beneficijs affectus fuisset, aureorum decem millium pensionem annuam ex prouentibus ecclesiæ Toletanæ consecutus: & in tantam pontificis Hadriani gratiã, unde exciderat, repositus, ut nihil in rebus quę alicuius momenti censerentur, ab Hadriano tentaretur: mox pontificatu inito, contra Carolum fœdera fœderib. accumulans, beneficia accepta pessimis maleficijs rependit. Siquidem Francisco rege Galliæ, post Mediolani occupationem arma per Lombardiam circumferẽte, Clemens fœdere Hadrianico, cuius antè meminimus, dirempto, pecuniam quam Florẽtini, Senenses atq; Lucenses, ex formula eius Carolo mittere statuissent, solui uetuit: & per Albertum Pium Carporum principem fœdus clandestinũ cum Francisco rege inijt: hoc interim apud Cæsarianos duces subdolè agens, ut sub specie sequestri & depositi Mediolanẽsem agrum ad se transferret. Hoc uerò non succedente, sed fortuna ita commutata, ut Franciscus gloriosa memorabiliq; uictoria ad Ticinum captus, in Hispanias ad Cæsarem abduceretur: tunc mira inconstantia ac leuitate, Cæsareanis ducibus magnam pecuniæ uim in stipendia dependit. Interea tamen cùm uereretur, ne Cæsar occupato Mediolano, quod esset reliquum Italiæ inuaderet cũ Ludouici Francica, regis matre, Heinrico Britanniæ rege, Venetis, alijsq; quibusdam de rege liberando, Cæsareq;

Responsio Cæsaris ad breue Apostolicum.

Feronius.

Sleidan. libr. 4.

Feronius in uita Francisci.

Iouius lib. 7. de uita Ferdinandi Dauali.

Italia

Italia pellendo consilijs initis: Ferdinandũ Daualum, amplissimæ authoritatis atq; peritiæ uirum, inter duces Cæsarianos in suam factionẽ, oblato regni Neapolitani titulo, perducere tentauit. At eo, cum sagaci contectoq; ingenio hostiũ consilia uiresq; explorasset, cuncta Cæsari patefaciente, hic pontificis perfidiam risit: qui cum totius coniurationis architectus esset, se tamen admonuisset, ut rebus suis, sibiq; caueret, ac de ducibus suis sibi fidelius deuinciendis cogitaret.

Sic ergo à Daualo elusus, alia uia rem aggrediendam statuit. Quare Francisco rege interea à Carolo dimisso, & à fœderis Madritiani conditionibus resiliente, cum ipso, à iurisiurandi uinculo, quo Cęsari tenebatur, authoritate Apostolica soluto, alijsq; nonnullis, nouũ fœdus sancit; idq; Ligam sanctissimã appellat, ueluti natam eo authore, quem orbis Sanctissimũ nomine salutat. Inter alia hoc quoq; eius capitulis adijciens, posse Cæsarem participem eius fœderis fieri, si prius liberos Regios, qui obsides pro patre in Hispanijs seruabantur, æquo precio redemptionis soluto reddiderit, Mediolanumq; Sfortiæ: neq; Italiam adeat ad infulas Imperij accipiẽdas, nisi eo comitatu, qui arbitrio relinqueretur põtificis & Venetorum. *Ferenim.*

Quis uerò æquus rerum æstimator, considerans à quibus id fœdus initiũ habuerit, & quo potissimum tempore, quibusq; occasionibus sancitũ sit, nõ iudicabit, eo nõ paci ac tranquillitati publicę cõsultũ, sed acerbissimis odijs, bellisq; sæuissimis materiã suppeditatam fuisse?

Pacis siquidem leges, conditionesq; Carolo Principi ter maximo à Sfortia Mediolanensi suo beneficiario præscriptæ, fides à Gallorum rege debitè legitimeq; data, ei uno breui Apostolico remissa est. Cæsar liberos Francisci regis obsides, iussus est reddere: quasi non satis fuisset, se semel elusum fuisse. Iussus Italorū potentatuum tyrannidem non perferre modò, sed & tueri. Iussus Italiæ ingressu abstinere, in eam familiam adduceret, quæ pontifici & Venetis apta conueniensq; uideretur. Iussus, maiestatis accusatis, noxam omnem remittere: id ni faceret, bellum ei terra mariq; sustinendum.

Quid itaq; in tanta conditionum iniquitate Carolo aliud faciundum fuit, nisi ut bonitate causæ iusticiaq; fretus, abominabiles conditiones tanta constantia reijceret, quanta superbia sibi proponerentur: hac fiducia, plus spei in innocentia, quàm multis triremibus, equitibusq; repositum esse?

Et sanè, Deus omnium actionum æquissimus iudex, ita iusticiæ suæ executionem est moderatus, ut quas architectus omnium malorū consiliorum pontifex in Cæsaris caput conceperat technas: his ipse, qui belli spectator tantum esse cupiebat, diuino admirandoq; consilio caperetur. Nam cum Cæsar ad tantæ coniurationis famam Burbonium atque Fronsper gium, toties iam ducum munere in proximis bellis summa cum laude functos, in Italiam cū exercitu misisset, ut Neapolim, quæ hastæ, sectioniq; ex formula fœderis subiecta erat, defenderent: hi, dum Florentiam, cum pace diu-

Sleidanus libro 6. Feronius ubi suprà.

tuina

turna & ciue summo Pontifice, tum nouo fœdere elatam, petere se simulant, per montes & loca confragosa profecti, Romam Maij die sexto oppugnatione hostili ceperunt: & Clemētem, qui in Adriani molem (diris pontificijs quos in Germanos atque Hispanos coniecerat, nihil proficientibus) secesserat, urgente rerum inopia ad deditionem compulēre, tanta insolētia & atrocitate in Romanos sæuientes, quanta uerbis explicari non potest.

Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, deuastationes, contumeliæ ac ludibrij genus nullum in pontificem ac Cardinales prætermissum fuit, omnibus sine discrimine cùm ad captiuitatem, tum sæuissimam torturam abductis: sæpius etiam his qui se pecunia redemissent, iterum in captiuitatem ab alijs tractis. Cæsar quidem literis cùm ad pontificem, tum Angliæ regē scriptis liquidò testatus est, id iniussu suo factū: nec se milites eos pro suis agniturum, qui tantum nefas ausi fuissent: iusto tamen Dei iudicio, qui uim & iniuriam sibi factam sit ultus, id adscribere minimè dubitauit. Pontifex autem captiuitate liberatus, & si uerbis amicum se Cæsari simularet, infensissima tamen quæque contra ipsum moliri non destitit.

Nam siue spe regni Neapolitani, prout in fœdere conuenerat, occupandi, siue uindictæ cupiditate, apud Gallum effecit, ut is bello renouato, Lautreco in Italiam cum exercitu iam misso, expeditionem Neapolitanam imperarit. At ea hunc euentum sortiente, ut Lautrecus peste in exercitu grassante, re infe- *Arnoldus Feronius in uita Francisci.*

ęta fato concederet: & rex pecunia exhaustus, amore liberorum, qui in Hispanijs adhuc obsides erant, pacis conditiones oblatas facilè acceptaret: pontifex, qui semper scenæ ac tempori seruire consueuisset, pacę inter Cæsarem & Gallum aliosq; reges Cameraci sancita, Carolũ diademate Imperiali Bononię donat, eiusq; auxilijs Florentiam obsessam in suam potestatem redigit, ciuibus Florentinis inclementissimè punitis: dignam mercedem Carolo redditurus, si longior ei uita contigisset.

Tilius in Chronologia. Vix etenim tribus annis ab hoc elapsis, cũ Massilię noua fœdera de Mediolano Cęsari eripiendo, & Sabaudiæ ducatu occupando, cũ Gallorum rege Francisco inijsset: huius filio Heinrico nepte Catharina despõsata, magno totius reipub. commodo, non sine ueneni dati suspicione extinguitur. Quæ maior perfidia, hac Clementis inueniretur? qui quoties eum Carolus in fœderis societatem recepit, toties fœdissimè ex socio hostis euasit? Extat de hac eius perfidia, Epistola ad Carolum Cæsarem carmine scripta, à Germano Eleutherostomo: quam, quia tunc temporis est edita, & quia huic proposito conuenit, ascribere libuit.

DE

DE PERFIDIA ROMANI Pontificis Epiſtola, ad Carolum Cæſarem: authore Germano Eleuthe-roſtomo.

Nunquid adhuc dubitas terrarum maxime Cæſar,
Pontificem ſanctum ſcilicet eſſe uirum?
Cui ſint ſoluendi pariter, commiſſa ligandi
Iura, & concluſi ianua firma Poli;
Cuiq; ſit humanæ concredita ſumma ſalutis,
Cœlorum claues cui Deus ipſe dedit?
Noſti? an diſsimulas tantæ periuria linguæ?
Mirum eſt, ſi ſcelus hoc diſsimulare potes.
Sed quæ tanta piæ poterit patientia mentis,
Hoc adeò infandum diſsimulare nephas?
Clemens, quem fecit superûm inclementia Puppam,
Cum Gallo iunxit fœdera facta duce.
Cum Gallis iunxit Clemens ſocia arma ſuperbis,
Perfidus Imperij proditor ille tui.
Quæ nunquam Cæſar uoluiſti credere nobis,
Cogeris hæc tandem credere uera uidens.
Pontifici ne quid Romano fidere Cæſar
Suſtineas: mendax, diximus, eſſe ſolet.
Perfidior Pœnis Latius ſolet eſſe ſacerdos,
Et leuibus Gallis uanior eſſe ſolet;
Vt quem nulla datæ conſtringant fœdera dextræ,
Quiq; colat nulla relligione fidem.
Auribus iſta tuis ſæpe inculcauimus: at te
Tum perſuadebant talia uerba parum,

Vtpote cui nondum mens improba nota dolosæ
Vulpis, erat fraudis plena, referta mali.
Obstabat sancti species, & hypocrisis effrons,
Quo minus hunc poteras Carole nosse lupum.
Sumpticij obstabant tituli, simulataq; uerba,
Quo minus hanc poteras cernere perfidiam:
Perfidiam, qualem iurato Cæsar ab hoste
Nunquam sperasses posse uenire tibi.
Qualem Pontificis fidum simulantis amicum
Obiecit Latij uana reperta fides.
Obstabant alij, quorum tibi perfida lingua
Clementem falso pinxerat esse probum.
Sed quæ nunc animo superest sententia Cæsar,
Postquàm decepto sunt data uerba tibi?
Dumq; patent liquidò fraudis commenta malignæ,
Dum patet instructi pessima techna doli:
Et cum periuri pateant stratagemata Pœni,
Et mala uersutæ retia perfidiæ.
An iterum Latiæ reparato fœdere Puppæ,
Decresti certam Cæsar habere fidem?
Improba blandiloquæ cuius mendacia linguæ
Iam tibi tam miris imposuêre modis.
Sit satis ô Cæsar falsum semel esse dolose,
Et semel amissam sit satis esse fidem.
An iterum in laqueum à Clemente inducier optas,
Vt prius? & tonsa ludibrium esse comæ?
Perfidus imperio si te potuisset auito
Exuere, & regnis te spoliare tuis,

Atq;

Atq; hæc ad Gallum quiſſet transferre ſuperbum,
Captiuus Cæſar iam traherere miſer.
Hoſtibus impoſtor ſceptris te Cæſar ademptis
Feciſſet prædam perfidus ille tuis.
Caro le iam ſpolijs Gallus geſtiret opimis,
Si res, ut Clemens ſtruxerat, acta foret.
Hinc ſtuduit ſemper fidum mentitus amicum,
Vt falſo ſanctam fingeret ore fidem.
Quo melius Gallo te incautum proderet hoſti.
Tunc ubi prodendi copia nata foret.
Indicio eſt huius, quòd nulla iniuria Cæſar
Iuſſerit hunc partis linquere caſtra tuæ.
At ſola improbitas animi, ſtudiumq; nocendi
Gallica Clementem compulit arma ſequi.
Aut dicat Clemens: Si uult Sanctiſsimus eſſe,
Nec uult perfidiæ dicier eſſe reus,
Quæ'nam cauſſa fuit? quæ tanta iniuria? qua ſit
Linquere compulſus Cæſaris arma boni
Hæc niſi iam fuerit cauſsis adducta probatis,
Conſtat te profugum SANCTE fuiſſe leuem.
Heus ubi palpo ſenex, ſoboles præclara Gnatonis,
Quin tua nunc aperis ora diſerta colax?
Fac ut pernicioſa tuæ aſſentatio linguæ
Pontificem tantis uendicet à uitijs.
Egregium audebas medicum affirmare futurum:
Dic mihi, non'ne tui te pudet, atq; piget?
Eſt'ne, quod dicis, Clemens Sanctiſsimus? unde has
Sanctus habet labes perditus ergo nigras?
Proditor, impoſtor, periurus, perfidus, aut hunc

Eſt Roma

Est Romæ sanctum forsitan esse uirum?
Hoc aluit monstrum Clemens Sanctißimus: hoc te
Opprimere incautum spes sua, Cæsar, erat.
Sed bene consuluit sceleris grauis ultor iniqui,
Omnipotens rebus pronior ipse tuis.
Quandoquidem Gallus campo comprensus aperto,
Incidit in casses præda petita tuos.
Parta est de magno insignis uictoria Gallo,
Et sunt uictrici fixa tropæa manu.
Est inquam elati deiecta superbia Galli,
Contrahe nunc cristas Galle superbe tuas.
Nunc superest, ut in hanc foueam quã fecerat hostis,
Non læsus Clemens perfidus ipse ruat.
An tantum patiêre nephas hunc Cæsar inultum
Ferre? nec audaci præmia digna dabis?
Ne facias, Cæsar: meruit grauiora superbis
Gallis, illi hostes, hic sed amicus erat.
Iuris erat belli, quòd Gallus sumpserit arma:
Perfidiæ, Clemens quod capit arma, fuit.
Perfidiæ pœnam iustum est hunc pendere dignam,
Cæsaris ut discant sceptra timere mali.
Propterea est gladij tibi tradita summa potestas
Cæsar, & à magno regia sceptra Deo:
Vt tua compescat grauiter reuerentia prauos,
Submotisq; malis ut tueare bonos.
Parcere subiectis, & debellare superbos,
Hoc magni est proprium Cæsaris officium.
Hoc impunè ferens, quid non audebit? apertis
Rebitur insidijs cuncta licere sibi.

Quò

Quò non euadet concessa licentia tandem,
Si non innocuè crimina tanta feret?
Effera quid rabies tentare uerebitur, hoc te
Si tulit impune dissimulante scelus.
Carole, ne facias ut tanta potentia sceptri,
Ludibrio Romæ sit uiolanda tui.
Pone modum sceleris, uesano obsiste furori,
Pontificis rabiem comprime quæso grauem.
Tandem intentatæ capiat fac præmia fraudis,
Atq; luat meriti tormina supplicij.
Et factum grauiter tibi fucum ulciscere tandem:
Non facis hoc maius iam pietatis opus.
Sic plebem Christi, quæ sæuo oppressa tyranno est,
Eripies, Cæsar te simul ultus eris.
Hic te non moueat ratio pietatis habendæ,
Ipsa iubet pietas perdere sacrilegos.
Hic nihil est sanum, nihil est sanctum atq; uerendũ:
Cui sit parcendum, cernis adesse nihil.
Hic mera colluuies fraudisq;, & lerna malorum,
Sunt etiam hic uitijs æquora plena malis.
Ille colit Romam, quò toti illuditur orbi,
Omnis qui semel est impietatis homo.
Impius Ausonia dominatur ab urbe sacerdos,
Qui semel est omnis perditionis apex.
Vt qui sceptrigeros excusso fœdere reges
Committit, belli classica dira canens.
Cuius Pontificum sunt multa exempla priorum,
Quæ bene uix magnis sunt memoranda libris.
Constat enim furiarum instar discordibus armis

Hos

Hos turbasse pijs sæpe prophana sacris.
Nec tibi sit soli hæc iniuria Carole, nunquam
Seruat promissam perfida Roma fidem:
Sed quæ quisq; tulit scelera, hæc tibi uindice dextra,
Carole sunt pœna corripienda graui.
Obstrue Romanam populantem cuncta charybdim,
Reges, & populos, oppida, regna, duces.
Obstrue tartareum, quod Roma est, magne barathrū
Pone modum immensæ Cæsar auariciæ.
Quid non exuxit? quid non spoliauit auaræ
Vrbis fraus, astus, machina, techna, dolus?
Dic, ubi per totum restat miser angulus orbem,
Qui potuit fauces Roma cauere tuas?
Iam certè tellus raptis Germana medullis,
Penè etiam pelle est dispoliata sua.
Vtpote Romulidûm quæ longo passa rapinam
Tempore, nutriuit guttura uasta Papæ.
Vendiderat precio quæ sunt terraq; mariq;,
Vendiderat manes, uendiderat superos.
Christum uænalem, cœlum uænale ferebat,
Peccandi precio libera iura dabat.
Quippe sibi in superos, terras & tartara, summum
Ius tribuens, uoluit subdita cuncta sibi.
Quin etiam Christo medios ostenderat ungues,
Dum quæ decrerat, irrita quæq; facit.
Credere per diras commenta humana iubemur,
Diuinis non est legibus ullus honor.
Namq; Deum sese sceleratus homuncio cunctis
Ostentans, Christo par cupit esse Deo.

Deposcitq;

Depoſcitq; coli uice numinis impius ille,
Cum Chriſto ſimili uult quoq; laude uehi.
Regibus imponit tam belua fœda coronas,
Accipiuntq; ſui baſia milie pedes.
Dum prodire libet, portatur beſtia, Chriſtus
Confecit longum ſæpe uiator iter.
Scilicet in Chriſto pater eſt Sanctiſſimus ille,
Qui quæ ſunt belli curat, adornat, obit?
Qui ſpargit lites, & pugnis cuncta cruentis
Temperat, & Reges ſeditione iuuat.
Fare age, dic heus dic inclementiſſime Clemens,
Fecerat hæc Chriſtus? fecerat iſta Petrus?
Nam illius uice, uis huius ſucceſſor haberi,
Belua & in ſancto ſpurca ſedere loco.
Te ſucceſſorem'ne audebis dicere Petri
Eſſe? & te Chriſti dicis habere uicem?
Abſterſiſti omnem meretrice à fronte pudorem,
O canis, ingenuæ nil tibi frontis ineſt.
Tu uis Petrinæ cenſeri nauta carinæ?
Quanquam perficias munera nulla Petri.
Succeſti Iudæ potius, qui uendere Chriſtum
Sueuerat, & loculos geſſerat ære graues.
Quandoquidem Chriſtũ dum uendere ſæpius audes,
Congeſti cunctas totius orbis opes.
Hoc melior Scariotha foro ſemel uſus iniquo,
Non dubitat precium pendere morte malum.
O utinam Iudæ exemplum quoq; Puppa ſequutus,
Suſpenſus raptas reddere uellet opes.
Cum ſis omnigeni iuris peruerſor & æqui,

Et facilè

Et facile es cuncti fons & origo mali.
Et qui nobiscum fictis agit omnia uerbis,
Quærens ex nostris commoda certa malis.
Qui fit, ut Petri hoc titulo succeßor haberi,
Atq; locum Christi solus habere cupis?
Quantum respondet claræ nox atra diei,
Tam tua respondet perdita uita Petro.
Mobile quantum ima cœlum tellure remotum est,
Tam procul à Christo Psychotyranne manes.
Quod si pastoris decreras munere fungi;
Eße nec horrendis par feritate lupis:
Ducere debebas ad pascua sueta misellas,
Et uerbo Christi pascere semper oues.
Non deuastare, & raptos ab ouilibus agnos
Perdere, sed trepido mitis adeße gregi.
Comiter errantes monitis superare benignis;
Qualia sunt literis plurima docta sacris.
Debebas furem, à septis arcere latrones:
Nunc præ te nullus creditur eße latro.
Omnibus innocuus; debebas nemine læso,
Vt Christus, cunctis utilis eße parens:
Inter discordes placidæ componere pacis
Fœdus, & iratos conciliare duces:
Nullius insanum flammis augere furorem;
Nec magis ardentes extimulare faces.
Nunc tibi non studio est motos sedare tumultus,
Sed laceras rupta fœdera pace ferox.
Te quoq; flammiuomos oleo nutrire caminos,
Et iuuat insanis addere calcar equis.

In summa;

In summa, humanis es fax ipsissima rebus:
Vnde nocens terris pestis, & unde lues.
Officij fuerat, neutri te iungere parti,
Rem tamen arbitrio composuisse tuo.
At fuit hoc studium cunctis commune Papistis,
Romanos solida ludere fraude duces.
Et tu (sis quanquã dubio patre) sanguinis huius,
Non potes à patribus degenerare tuis.
I nunc, dic blandè dilecte, ô Carole fili,
Si tuus est natus, spurius alter erit.
Tu nam connubij condemnas iura beati,
Vnde ergo nati spurce cynæde tibi?
Ne nos quæso tuos dicas spurcissime natos,
Corpore es haud noster, sed neq; mente parens.
Est pater in summo, quẽ nos ueneramur, Olympo,
Ille suos iugi sedulitate fouet:
Hinc tibi Apostolicam serua priuigne salutem,
Quam nobis Latia mittis ab urbe frequens.
Quin etiam affectus simulata mente paternos,
Posthac seruato sæue tyranne domi.
Iam satis elusa est plumbatis Teutona bullis
Terra, subolfecit ludificata dolos.
Quæ prius immodico fuerat Germania lucro
Ebria: nunc damno est sobria, Roma, tuo.
Hoc tu deploras inclementissime Clemens,
Hoc te angit, mordet, uellicat, urit, agit.
Hinc ulciscendi meliorem cernere caussam
Non poteras, quàm si Celtica castra iuues.
Quanquam ficticijs nunc perfide fingere scriptis
Adproperas aliud stans, aliudq; sedens.

Sed tua te modicum mendacia ficta iuuabunt,
Si dux officij uult memor esse sui.
At memor esse uelis, precibus te poscimus omnes
Carole, fac pœnam te duce Puppa luat.
Si te nulla mouet tantarum iniuria fraudum,
At saltem populi commiserere tui.
Cogitur hic Latio miserè seruire tyranno,
Legibus oppressa est libera turba feris.
Fert Christi indignum adflicta Ecclesia regnum,
Fert etiam durum debilitata iugum.
Mitius immitem sensit Iudæa Pharonem,
Dum tulit immensi pondera seruitij.
Huic deglubendos quàm longo tempore Cæsar,
Tandem permittes Carole magne tuos?
Qui tibi non dubitat uerbis obtrudere palpum,
Ille ruit Cæsar in tua iura ferox.
Ecce tuos populos damnosa legibus amens
Oppressit regni proditor ille tui.
Te simul Imperio uoluit nudare: ferenda
Ista putas? non sunt ista ferenda tibi.
Qui struit insidias, & fidum fingit amicum,
Est equidem hic hostis terq; quaterq; nocens.
Pessimus est igitur Clemens etiam hostis habendus,
Quod pariter nobis hostis amicus erat.
Ne te mellitò lethalia mulsa loquelæ
Posthac decipiant, Carole magne, caue.
Si non Romanam cupis hic perdiscere fraudem,
Hanc Cæsar nunquam discere uelle cupis.
Vos quoq; Germanæ proceres exurgite terræ,
Hactenus illusit bestia spurca quibus:

Quo-

Quorum præstigijs oculos uitiauit apertos,
Et uos quo libuit Puppula nare trahit.
Quin Antichristum tandem cognoscitis hostem,
Cuius uos seruos non tædet esse Duces.
Vestra opera stabilem bipedum nequißimus orbem
Poßidet, & uestra ualde superbit ope.
Crudelis per uos, per uos est mente feroci,
Et uobis fretus cuncta nephanda facit.
At quam decepti proceres errore locastis
Huic operam, posthac oro tenete manus.
An cupitis scelerum Latiali fraude peractûm,
O proceres fieri uos quoq; participes?
Vos quoq; iudicij sententia dura futuri
Ad Phlegethonteas, credite, mittet aquas.
Illic perpetuò cruciandos flamma cremabit,
Quæ semper uiuas est habitura faces:
Quod Pseudochristi collapsum & debile regnum,
Gnauiter exhibita fortificatis ope.
At tu magne Ducum Cæsar cessantibus illis,
Fac tua non cessent arma quieta simul:
Quin etiam hanc laudẽ meritis adiunge triumphis,
Vt te uesanus uindice Puppa cadat.
Mollis sacrificus cum semiuiro comitatu,
Fac tua præsenti sentiat arma malo.
Et tu pressa diu pugnax Germania, tandem
Excute Romanum libera terra iugum.

Porrò Clementi mortuo Alexander Farnesius, qui se Paulum tertium dici uoluit, suffectus est, senio ferè confectus: qui cum disſidia in religione mota indies augeri, la-

Hæc omnia latè exposita extant apud Sleidanum à lib.17.usq; ad lib.23.

tiusque ſerpere cerneret, anteceſſore ſuo aſtutior, amicitiæ Cæſariæ ſtudium ſingulare præ ſe tulit, quo Carolum aliosque reges aliquando ad arma in Lutheranos capienda, ſanguinis Germanici ſitientiſsimus, concitaret: interea callidè omnibus fidem faciens, futurum uti mox Concilium ſacroſanctum toties à Germanis petitum indiceretur. Indixitque tandem, primùm ad Mantuam, inde Veronam, poſtremò multos poſt annos Tridentum, non ſanandæ reipublicæ cauſa, aut inſtaurandæ religionis gratia: ſed ut Germanorum animis Concilij exitu ſuſpenſis, ipſe, quæ occultè conſilia agitarat, ad effectum deduceret: & ueritate cōculcata, Germaniam ſub iugum tyrannidis ſuæ, quod luce Euāgelij illuſcente excuſſerat, captiuitate Babylonica redigeret. Itaque dum anno poſt milleſimum quingenteſimum quadrageſimoſexto Concilium Tridenti celebrat, ac omnia amica Germanis ſimulat, cum Carolo confœderatione facta, eum ad expeditionē contra Germaniæ principes & ciuitates Imperiales Euangelicæ profeſsionis ſuſcipiendam impulit; cuius exitus, licet initio lætiſsimus Cæſari affulgere uideretur, captis Electore Saxoniæ Iohanne Friderico, Lantgrauioque Haſsiæ, Vvirtenbergico omnibus facultatibus exuto, mulctatisque ingenti pecunia pleriſque ciuitatibus quæ contra ſe arma tuliſſent: tamen dum impenſius Pontifici fauēs, principes captiuos arctiore cuſtodia cōtinet,

tinet, & religionem ad placitũ Pontificis refingit: ea Mauricio Electore Saxoniæ ac Alberto Brandẽburgico, cum alijs in ipsum de nouo insurgentibus, rerum conuersio est facta, ut dimissis principibus captis, ac religionis libertate Germanis cõcessa, amicitiæ Papalis fructus spe multo minores senserit: malueritq; se, post impensa Papæ seruitia, Germanorum Principum amicitiam, Pontificiæ cõfœderationi ꝑposuisse. Etsi enim in ipsum minores Pauli, tardioresque, quàm aliorum Pontificum, machinationes fuerint: quòd is aduersus Dei sanctos, horrida bella, cruentasque pugnas, sibi mouendas duxerit: tamẽ filio Petro Aloysio, Parmæ atque Placentiæ duce, ob tyrannidem per coniurationem trucidato: ac Placentia Ferdinando Gonzagæ præfecto Mediolanensi, ducique Cæsareo, tradito: Pontifex, qui cædem filij Cæsare authore factam suspicaretur, ac de restitutione Placentiæ hunc frustra sollicitaret, à Carolo alienatus, de transitu ad Gallię regis Heinrici partes consilia suscepit: transijssetque haud dubiè, si longior sibi uita contigisset: maximè cum Heinricus principibus, quos dixi, captis, ac Placentia præter spem omnium occupata, Cæsaris potentiam suspectam habens, fœdere cum Heluetijs renouato, se aliorum quoque amicitia muniret. Verùm dum miser uindictam agitat, dolore atq; mœrore magis quàm senio confectus extinguitur, die decimo Nouembris, Anni 49.

Mambrinus Roseus lib. 4. appendicis ad historiã Neapolitanã Pandulphi Collenutij hæc latè explicat.

Sleidanus libro 21

In eius locum post longam Cardinalium in conclaui disceptationem, Anno Domini 1550, Pontifex renunciatus Iulius tertius, cũ antê Gallicarum partiũ fuisset, pontificatum adeptus, nihil in Carolum attentauit: Veneri ac uentri ita deditus, spurcissimus senex, ut ueterno interijsse dicatur.

Sleidanus libro 26.

Verùm alter ab eo Paulus IIII, pessimus hypocrita (Marcello secundo paucorũ dierum Papæ, consensu Cardinaliũ, Gallorum regi Heinrico gratificari studentium suffectus) cum Cardinalis adhuc, maleuolentia in Cæsarẽ suffusus, Paulo Tertio suasor fuisset, regni Neapolitani, tanquam sedi pontificiæ aperti, occupandi: tunc maiorem nocendi occasionem adeptus, occultatum in Cęsarem odium euomere, eiusque partibus addictos incredibili rabie persequi cœpit. Vix etenim coccineæ istius bestiæ sede conscensa, Alexandrum Farnesium cardinalem Sanflorianum, Camillum Columnium, ac Iulianum Cæsarinum, cum fratre archiepiscopo, ob suspicionem initæ cum Cæsarianis cõtra se conspirationis, in carceres conijcit: Cæsaris nuncios atque ministros hinc inde per Italiam discurrentes, quotquot potest intercipit, interque hos Tassum ueredariorum Cæsariorum magistrum, & Garziam Lassum, nõ obscuri nominis apud Hispanos ducem. Bona Marci Antonij Columnij, quem absentem ut infra triduum se sisteret, citarat, non comparentis publicat. Et Ascanij Columnij facul-

Mambrinus Roseus li. 4. appendicis ad histor. Neopolit. Hieronymus Rosellus de bello Romano.

facultates per Latium, Ioanni Comiti Montoriano, cū titulo ducatus Palliani attribuit. Proſcriptos è regno Neapolitano in odium Cęſaris receptos, officijs ac munijs publicis præficit, Pallianū ex conſilio Petri Strozzæ, pro recipiendo Gallico pręſidio ad infeſtandam Neapolim munit. Poſtremò inducias quinquēnales, inter Carolū Cæſarē & Heinricum Gallorum regem, in Belgico pactas, per propinquū Caraffam cardinalē in Gallias miſſum, ſceleratè turbat. Et ne quid maleuolentię pontificiæ in Carolū deſit, Philippo filio, in quem pater Imperio à ſe abdicato adminiſtrationē omniū regnorū contulerat, Siciliæ Neapolisq; regna, beneficiario titulo eccleſiæ Romanæ obnoxia, cōferre renuit. Vnde tá horrida, tamq; funeſta bella exorta fuêre, ut potentiſsimorum regum uirib. inter ſe hoſtiliter commiſsis, Italia Galliaq; bello pontificio implicita, ſanguine ſuorū maduerit. Namq; nō ſolū Roma obſidione & fame, ab Albano duce Cęſareo preſſa, direptionis qualē antea ſub Clemente pertuliſſet, periculo uicina fuit, ita ut tandem conditiones pacis à duce Hiſpano remiſsiore quàm par fuiſſet latas, facillimè acceptaret: ſed & Galli, duce Guiſiaco, ad res Italicas ac Neapolitanas in gratiam pontificis turbandas miſſo, dum Auguſtam Veromanduorū contra Philippi Hiſpaniarum regis exercitum è Belgico in Veromanduos erumpentem, nouis auxilijs communire conantur, grauiſsi-

Guilhelmus Zenocarus de uita Caroli V.

mas militię pœnas subiêre: exercitu ipsorum ab equitatu Germanico profligato, Connestablio cum multis Galliæ proceribus, Rheniq́ue Comite capto, Augusta quoque Veromanduorũ à rege Philippo expugnata. Nec diu pòst, cum capto Caleto, per Grauelingẽses angustias redeunt, ab Amurate Gaueriorum principe, Egmondæq́ue comite, minore clade affecti: Termæo atque Villæbono, duobus præclarissimis tribunis, cum toto exercitu partim cæsis, partim captis. Quis pontificem, horum malorum authorẽ, Christi uicarium agnosceret? & quis ipsum Sauli, quàm Pauli, nomine digniorem esse non fateretur?

FERDINANDVS CAESAR.

INterea uerò Carolo ad solitudinem uitæ in fano Iusti degendam in Hispanias profecto: atque Imperio ad Ferdinãdum fratrẽ, multo antè regem Romanorum electum ac coronatum, publica Electorum ac principũ Francofurti congregatorum approbatione translato: cum hic, pro sua erga sedem Romanam obseruantia, Saulum pontificem de administratione Imperij suscepta, per Guzmannum, supremum Maiestatis suæ camerarium, certiorem reddere statuisset, cum significatione uoluntatis de diademate Imperiali primo quoque tempore, cum sese occasio daret, petendo, recipiendoq́ue: tam improba maleuolentia elataq; proteruia Cæsa-

reæ obseruantiæ respondit, ut se non uel Petri cum cæteris Apostolis, magistratum tanquam ordinationem diuinam debito honore cultuque prosecuti, successorem, uel hominem ad mutua beneuolentiæ ac humanitatis officia propensum: sed ipsissimum Antichristum, quem sacræ Scripturæ authoritas supra omne id quod diuinum est se elaturum affirmat, esse, dicique debere, ostenderet. Effera namque bestia, quæ Ferdinandum Imperatorem minimè agnoscere uellet, prætendens, à Carolo nemini nisi sedi pontificiæ imperium cedi potuisse: nec Ferdinando, citra consensum eius, administrationem Imperij suscipere licuisse: legatum Cæsareum uenientem minimè ad colloquium admittere uoluit: sed explorata causa aduentus ipsius, Cardinalibus, Iurisque peritis quæstiones, non ex oraculis doctrinę cœlestis, uel promptuario Legum petitas: sed ex imis tartareis sedibus, ab omnis maliciæ, superbiæ, mendacijque autore Lucifero prolatas, discutiendas proposuit: quæ, ut postea, per Romanistas disseminatæ sparsæque fuêre, huiusmodi extiterunt.

An non Guzmannus, qui missum se asseret à Domino suo Ferdinando, ad Sanctissimum Dominum papam, legitimè docere deberet, quid circa Imperij cessionem, fratri Ferdinando factam, Carolus V fecerit: & econtrà, quid frater ipse admiserit & acceptauerit, I.

II. An ijs sufficienter edoctis, illa omnia facta fuerint ritè & legitimè, maximè nō interueniente consensu sanctissimi Domini papæ, & sanctæ sedis Apostolicæ.

III. An remotis ijs difficultatib. nihil de præsenti, personæ serenissimi Domini Ferdinandi resisteret, quo minus Imperialis dignitatis capax sit: cuiusmodi sit mala educatio filij sui regis Bohemiæ, qui ad manifestā hæresin inclinet: permisso, quòd in ditionibus sibi subiectis passim hæreses impunè uigeát, Catholici opprimantur, Ecclesiæ uiduentur, & monasteria despolientur, profitentes Augustanam confessionem promiscuè cum Catholicis conuersentur & habitent. Concessisse Ferdinandum colloquium Vuormaciense sine consensu & licentia S. sedis Apostolicæ, de rebus religionis inter Christianos & hæreticos. Iuramento se adstrinxisse in conuentu Francofurdensi, seruaturum omnia quę in Comitijs pręteritis statuta fuissent, inter quę plura hæretica & damnata reperirentur. Imperatoris nomen propria authoritate assumpsisse. Decretum cōtra communicantes sub utraq; specie publicatū, suspendisse, hoc pręsertim tépore quo maximè executioni mandari debuisset. Violasse iuramentum, quo in electione prima, in regem Romanorum, ad Ecclesiæ & fidei Catholicę defensionem, hæresium ac schismatum extirpationem; nec non hæreticorum auersationem, sese adstrinxerit. Alia quoque eius generis quamplurima,

plurima, contra iuramentum & sacros canones ab ipso commissa.

Quid itidem è persona nonnullorũ Principum electorũ dicendũ sit, qui notoriè ecclesia Romana relicta, huic cessiõi cõsenserint: IIII.
& quomodo tandẽ cum Christianæ reipub. pace & tranquillitate, hisce omnibus consuli ac prospici possit. Et hæc Cardinalibus tunc discutienda proposita fuêre. Licet autem nunc ordo narrationis exigeret, ut quid ad ea Cardinales responderint, subijcerem: & neutiquam mei muneris atque officij esse uideã, in propositas quęstiones inquirere: tñ uęsana Romanistarũ supetbia oẽs leges superãs, ac rerũ propositarũ indignitas ab ordine ꝓposito me remouẽt, & ab instituta narratione pręter historię legẽ nõnihil digredi cõpellũt. Id quod dũ facio, ueniã mihi ab ęquo Lectore dari peto. Nam quis, quęso, hisce quæstionib. ꝑpensis, autorẽ à quo ꝓpositæ fuêre cõsiderãs, etiã lege historiæ neglecta, uesanã dominandi libidinẽ, cũ horibili impietate ac impudẽtia cõiunctã, in pontificib. Romanis nõ execretur? qui nõ contenti seruitute, qua Christi Ecclesiã multis annis tyrãnicè pressere: reges ac principes, in tanta ueritatis luce, sub tyrannidis ac captiuitatis Babylonicę iugum, rursus quoq; redigere conantur.

Vult hæc bestia sese doceri, quid circa Imperij cessionem Ferdinando factam Carolus fecerit, uel Ferdinandus acceptarit. Quo iure id postulat? An non Apostolorum,

eorumque successorum potestas, hisce limitibus ac metis arctata atque circumdata est, ut ipsi ministerium Euangelij docentes, non solùm Imperijs relictis, reges gentium dominari permittant, sed & ipsi sese eorum potestati ac iurisdictioni obedienter subijciant? Quis itaque abominabile non iudicet, quòd papa Christi mandato spreto, ipsum Imperatorē sibi subijcere, & de eius electione ac authoritate iudicandi potestatem usurpare nitatur?

Consensum suum in cessione & acceptatione Imperij interuenire debuisse asserit. At quæ lex diuina uel humana id præcipit? An non pontificū ambitione crescente, cum hi authoritate sua electum Imperatorem approbari contenderēt, iam multis abhinc annis luculenter & copiosè doctissimi quique demonstrauêre, Electum concordi principum suffragio ad approbationem Pontificis petendam, uel recipiendam, minimè astringi. Dum itaque hic Saulus contrarium exigit, an potius Germanos uel meretricis magnæ amore adhuc insanire, uel iurium suorū oblitos esse existimat?

Vide Leopoldū de Babenberg, de iurib. regni, &c. cap. 8.

Dantem & alios, qui eo tempore scripsere.

Porrò Ferdinandi confirmationi, malam filij Maximiliani tunc regis Bohemiæ, nunc Imperatoris laudatissimi, educationem obijcit: in quo non insignem, immò diabolicam Pontificis maliciam cernere licet. Quæ enim bonæ ac laudabilis educationis pars est, quæ omnibus eius membris diligentissimè

mè discussis, in principe Maximiliano desideretur? Siquidem ueræ atque incorruptæ religionis Christianæ cognitione à teneris annis, magno totius Ecclesiæ commodo imbutus, ad iusticiæ omniumque uirtutum amorem assuefactus, literis bonis ac artibus honestis præ cæteris Europæ regibus atque principibus liberalissimè eruditus, à uitijs teterrimis gubernatorum, libidine, rapacitate atque ingluuie auersus: denique uariarum linguarum peregrinarum cognitione, cum incredibili mansuetudine, humanitate, continentia, temperantia & frugalitate ita instructus est, ut quemadmodum in opalo gemma, multarum gemmarum dotes eminere dicuntur, cunctæque hæ pariter incredibili mixtura lucere: ita in Maximiliano multitaria ingenij atque uirtutum ornamenta effulgere, & quæcũq; apud alios placere possunt, in illo inueniri conspiciuntur. ut nemo tam à iudicio auersus, uel à uirtute alienus sit, quem pulcherrimus uirtutum chorus in hoc Principe, in admirationem eius non conuertat ac rapiat.

Verùm quid bestiam istam septicipitem urat, minimè obscurum est. Potuêre superioris ætatis pontifices, Imperatorum, quos odio haberent, filios, amore meretricis Babylonicæ dementatos, in parentes nefariè ac parricidialiter armare: ut exempla Turbani II. Paschalis, atque Gregorij Noni, superius commemorata in Heinrico Quarto, & Friderico II,

rico II, demõſtrant. Hic Saulus ergo quartus, cũ Maximilianũ melioris, ſpectatiorisq; indolis, pietatis & ſanctimoniæ eſſe deprehẽdit, q̃ ut optimũ ad mala agenda impelli poſſe exiſtimet, malè educatũ eſſe uituperat. O Draconis uerißimam ſobolem, filiamq; diaboli: quæ, bona, mala dicere non erubeſcit. Nam quod ad oſtendendam malam Maximiliani educationẽ allegat, permitti ab eo, ut cõfeßionẽ Auguſtanã profitentes, liberè cũ his quos Catholicos nomināt, conuerſentur: qs ab aſtutißimo Theatino hoc q̃ri nõ uidet, ut Euãgelicis ab aliorũ cõſortio excluſis, noua genimina impietatis ſuæ, in ædes muliercularum, ad captiuãdas earũ cõſciẽtias, tenerãque ætatẽ in captiuitatẽ Babylonicã ſeducẽdam, liberè irrepere, ſoliq; quaſi hoſtib. ꝓfligatis in ditione Cæſarea dominari queant? Quis etenim à põtifice Saulo, Catholicis Euangelicorũ conuerſatione, metu corruptionis, interdici credat? An nõ iſta meretrix Babylonica, nullã ſuorum contagionem uerita, ipſos cum peſtilentißimis ſcortis, annua etiã penſione ab hiſce accepta, liberè atq; ſecurè non tantũ cõuerſari, ſed & fœdiora perpetrare concedit? An non Turcos atq; Iudæos in ſua ditione, maximè Anconæ, cum ſuis negociari, cõtrahere, cõuerſari, comeſſariq; ꝑmittit? Qua igitur fronte criminari audet, liberã conuerſationẽ his qui Euangelio nomen dedêre, cum alterius religionis ſectatoribus cõcedi? Perditam hanc meretricem à facie ſua in abyſ-

in abyssum repellat Dominus, quę Christi rē ligionem piè ac syncerè amplectētes, deterio res Turcis atq; Iudæis habere non erubuit.

Ac ut hoc cum singulari impudentię ac iniquitatis nota: sic q, Catholicos opprimi, monasteriaq; in regno spoliari prętēdit, cum insigni uereq; papali mendacio coniunctū est. Vbi namq; locorum, & quo tempore hoc factum fuisse probaret? At quid uelit, facile est conijcere. Inspectio namq; & cura, ne à Papę gurgitib. opes Ecclesiæ uorentur, & per summam luxuriam nequiter disiipentur, Romanistis iampridem Catholicorum oppresio, ac monasteriorum spoliatio dicta est. Quę uerò hæc peruersa calūnia est? Annon Spiritus sancti elogio rex sanctissimus Iosias prædicatur, quòd cum oblatiōes à sacerdotib. ingurgitari uideret, scribam suum exigendis rationibus præfecerit? Eius ergo exemplo, si principes quoque Germaniæ ad uindicandum sacrilegium manus admoueant, quid piaculi committere dicentur? O' iniquissime Saule, qui cum Ascanio Columnio, nihil tale merenti, facultates suas paternas eripere, easq; tuo cognato Comiti Montoriano asignare non reformidares: aliorum iustas ac pias inspectiones, ne Ecclesiastici bonis Ecclesiæ malè utantur, improbè condemnas.

Culpat deinde colloquium Vvormaciense, à Ferdinando citra cōsensum Romanę ecclesiæ inter hæreticos & Christianos permissum. At quare ea fidei magistra, libera de religione

religione colloquia non inſtituit? & cur à colloquijs de religionis diſsidijs, uitijsq́: Eccleſiæ tollendis, uiros pios, ac ueram Euangelij doctrinam amplectentes, tyrannicè excludit? An itaque Ferdinandus in tanta Romanæ ſedis, non negligentia, ſed fraudulenta ac impia idolomaniæ, peſsimorumq́; abuſuum tolerantia, conuentu de diſsidijs religionis componendis permiſſo, rem uel à pietatis uel officij rationibus alienam feciſſe putabitur? An non ueteres Chriſtiani Imperatores ac reges, inconſultis & inuitis epiſcopis Romanis concilia celebraſſe leguntur? Quis primum Synodum Nicenã, quis Epheſinã, quis Conſtantinopolitanã, quis Chalcedonenſem coegit? & ne in enumerãdis ſingulis prolixior ſim, quis totis quingentis annis ſynodos uniuerſales, quæ multæ habitæ fuerunt, inter id tempus cõgregauit, præter unum Cæſarem?

Quid uerò in hoc peccauit Ferdinandus, quòd ſe ad obſeruationem eorũ quæ in præteritis comitijs decreta fuiſſent, iuramento obſtrinxerit? An non bonum Imperatorem ac Regẽ publicis regni ſtatutis teneri, quàm uoluntate atque libidine pontificum ferri, ſatius eſt? Et an nondum hic delyrus atque ueſanus pontifex, ea quæ æquè à Romanæ Eccleſiæ cultoribus, atque à Lutheranis (ut eos uocat) decreta fuêre, condemnat, ſuæ religionis quoq; ordines uel hæreſeos uel defectionis imprudenter inſimulat? Agnoſce

itaq;

itaq; meretricis Babylonicæ cerebrum, quæ in laqueũ tortuosum delapsa, hic sua pudenda turpissimè denudat, atque pudendorum quàm cerebri se plus habere in hac causa ostendit.

Imperatoris nomen, citra Pontificis consensum à Ferdinando assumptum, quoq; indignatur. Cum uerò iàm olim à legibus Imperij sancitum & cõsuetudine receptum sit, electum ab electoribus concorditer, uel maiori parte eorũdem, ex sola electione uerum Romanorũ Imperatorem esse censendum, nec papæ aut alicuius alterius approbatione uel consensu indigere: quid noui quæso hic à Ferdinando commissum? uel quæ pontifici indignandi debacchandique causa? nisi uel ambitio, uel dementia diabolica?

Vide de hoc cõstitutionem Ludouici IIII apud Albericum de Rosate. L. Benè à Zenone C. de quadriẽ. præscrip.

Damnat, decretum contra communicantes sub utraque specie, suspensum. Quæ uerò hic in magistro ueritatis, atque Sacrarum literarũ interprete, scientia apparet? An non Christus communione Cœnę Dominicæ instituta, eã sub utraq; specie obseruari iussit? An nõ hanc ut Christi testamentum Paulus apostolus mutari uetuit, hoc argumẽto: Cũ hominis testamentum rescindere nõ liceat, nec Christi rescindere licere? An non Ecclesia primitiua Christi institutioni insistens, eandem sub utraque retinuit, usque quò uix ducentis abhinc annis, Christi ordinatione per Pontifices scelerate mutata, Ecclesiæ altera species adẽpta est? An ne Paulus quo-

que III, & ipse pontifex, edita bulla sua Germaniæ episcopis, potestatem communicandi populo sub utraque specie concessit, eaq; Imperator non minus quàm quiuis illorum gaudere potuit?

Ferdinandus itaq; suspenso mandato contra communicantes sub utraque specie, rem ne institutioni Christi, atque mandato eius, bullæque Pontificiæ dissonam, ac Christiano Imperatore indignam fecit? An nō, dum Saulus contrarium exigit, se non Christi uicarium, sed uerissimum Antichristum: non cultorem primitiuæ Ecclesiæ, sed cōtemptorem: & antecessoris non sectatorem, sed hostem manifestum esse demonstrat?

Periurij denique notam Imperatori (quo iurisiurandi, fidei datæ, atq; promissi nullus tenacior, uel cultor religiosior extitit) perfidiæ author papa, aspergere conatur. At qua de causa alia, quàm quod ad nutum & uoluntatem sæuę istius meretricis, ebriæ de sanguine Sanctissimorum martyrum, sanguinē innocentium, quos hæreticos impiè afferit, effundere, atque Christi doctrinam amplectentes, triremibus, aquis, laqueo, securi, igne, ferroque persequi noluerit: ea semper consilia secutus, quibus certamina in Ecclesia nata, moderatione magis quàm ui & armis componerentur? Et iurarit Ferdirandus, quòd Pontifex prætendit, se omnem hæresim atque hæreticos exterminaturum: idque non præstiterit: ob id ne in periurij notam incidisse

dicisse dici poterit? An non, cum hi qui à pontifice hæreseos insimulātur, eius minimè cōuicti & condemnati fuerint, quod canones exigunt, iustius à cæde eorū iustissimus Imperator abstinuit, quàm iuramento adimpleto sanguinem innocentem effudit: ipsis pontificum decretis statuentibus, iuramentum iniquitatis uinculum minimè esse, sed tres comites (ueritatem, iudicium atque iustitiam) habere debere: ac si quid fortè nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum in peiorem uergat exitum, illud liberè salubriori consilio mutandum, ac magis instante necessitate peierandum, quàm pro uitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum? Præterea, an ingens scandali atq; periculi imminentis necessitas, quæ alijs ex sententia præstantissimorū Iurisperitorum in simili facti specie prodesse uisa est, nil Imperatori ad excusationē prodesset, quòd ad uoluntatem pontificis id quod promiserat, necessitate compulsus, non seruarit?

c. nos in quē quam. 2. q. 1. c. cum contumacia de hæret. nu. 6.

22. q. 2. c. animaduertendum 22. q. 3. c. si aliquid.

Mant. Tomo secundo consilior. consil. 241. ferè per totum.

In electorum quoque uota inquirit. At quid illi iuris in ea tributum? A' pontificene, an à procerib. Germaniæ, ea ipsis collata fuêre? Ac sint electorum quidam hæresi aspersi, ob id ne uota eorum infirmabuntur? Sanè si gesta ab hæreticis irrita sunt, quæ decreta Romani episcopi ualida firmaq; erunt. Ipse namq; non solum hæreticus est, sed hæresiarcha, adeoque omnium hæreseon & impietatum impurissima lerna atque latrina.

Ad extremum, omnia ita examinari postulat, ut quieti & tranquillitati publicæ consulatur. At quæ furia unquam, ex Styge Tartarea, paci ac tranquillitati infestior, quàm uolucris illa inuisa atque immunda Romana exorta est? Hæc namque cum inter principes Christianos, discordias atque bella serere & fouere omni studio, pollicitationibus, largitionibus, proditionibus, uarijsq; dolis contēdat, in causa est, cùm ut Christiani principes inter se dissidentes, aduersus Turcam per Ecclesias Christi in Europa ferro, ac miserrimo Mahometici dogmatis iugo debacchantem, nunquam conuenire possint: tum ut ipsi inter se bellis ciuilibus atque domesticis conflictentur: ipsa interim tyrannidem suam, tanquam diuinum quoddam numen conseruante, hac cum specie, ut rerum imperiti existiment, aduersus ipsam inferorū portas non posse præualere? Sed quò oratio delabitur? Reuocetur ad quæstiones, à pontifice propositas, unde digressa est.

Cardinales quæstionibus hisce propositis, etsi ob nouitatem facti eas tanti ponderis esse faterentur, ut nō solum personarum, de quibus ageretur, sed & temporum perturbatissimorum ratione habita, maturiore sapientum consilio examinādas esse censerent, maximè cum & potentia infidelium imperio uicinorum extimescenda esset: tamen uel cupiditate pontificiæ authoritatis conseruandæ, uel metu beluæ istius sine discrimine in quē-

libet debacchãtis adducti, ea respódêre, quæ ipsos libidini pontificiæ magis quàm ueritati seruire testarentur. Nimirum necesse esse publicis documentis probari, quomodo Imperium per cessionẽ Caroli V. aut alia ratione uacarit: & dispiciendum, quomodo Ferdinandus se succesisse prætẽderet: oratore interim ad obedientiã præstandam, uel ad actũ aliquem publicum tractandum, neutiquam admisso. Omnia quæ Francofurti circa Ferdinandi electionẽ acta & gesta essent, nullius ualoris, momenti, uel ponderis esse: cum authoritas sedis Apostolicæ, cui primitùs claues cœlestis & terreni imperij datæ sint, defecerit: ijs personis interuenientibus, quæ hæretica prauitate laborãtes, omnẽ gratiam & facultatem, olim ipsis circa electionem Imperatoris concessam, amiserint. Quæ in tertio capite Ferdinando opponerentur, maximi ponderis esse. opus illi itaq; esse pœnitentia: qua acta, in illum paterna clementia procedi posse. Quocirca ab ipso Procuratorẽ ad renunciandum omnibus actis & gestis Francofurti constitui: eaque renunciatione facta, ac stante Imperij uacatione, nouũ mãdatum ad confirmationem petendã confici posse: cum constet uigore electionis, ac Clementis VII confirmationis, Ferdinandũ in Imperio succedere debere. Cum uerò impedimentũ aliqua sua culpa contractum ei obstet, examini subijciendum, ut absolutione impetrata, ad obedientiam exhibendam & consuetum iu-

 ramen-

ramentum fidelitatis admiſſus, ſedis Apoſto licæ confirmatione potiatur: cuius illud proprium ac peculiare ſit, extenſa brachia tenere, ut quemcunq; pœnitentia ductum, & uiua fide ad eam confugientem, amãter & obuijs (quod aiunt) ulnis complectatur. Hic uerò ex uobis (ô Romaniſtę) quis denuò nõ ſcire deſideraret, an quiſquam ueſtrûm ſe Imperatore Ferdinando ſanctiorem uel iuſtiorem dicere auſit? Quodnam ipſe delictum patrarit, dignum pœnitentia tanta? Qualis pœnitentia, quam poſtulas, eſſe debuerit? Quid deniq; ei de ueſtro animo ſperandum fuerit? Væ uobis, qui uerbis religioſi ſanctique uidemini, & in cordibus ueſtris ne micam quidem pietatis uel ſanctitatis habetis? Væ uobis, qui pœnitentibus obuias ulnas offertis, & uenietes ungulis urſinis crudeliter protritos deglubitis. Væ uobis hypocritæ, qui alijs pœnitẽtiam iniungitis, & ipſi eam nõ agitis? Quando etenim horribili ueſtra ethnica idolomania relicta, ueram Chriſti, Apoſtolorumq; doctrinam amplectemini? Quando piorum atq; innocẽtium, quos falſò hęreticos dicitis, ſanguine ſatiabimini? Quando Sodomitica ſpurcitie abiecta, dignam ordine ſacerdotali uitam inſtituetis? Quando tandem immenſis Chriſtiani orbis expilationibus expleti, inexhauſtæ rapacitati ueſtræ modum finemq; ſtatuetis? Quando à fraudibus excudendis, diſſenſionibus alendis, belliſq; cõflandis, & orbe terrarum

-tur

turbando desistetis? Quando infinitorum aliorum scelerum, quæ pellis Madian, uel tota Ilias non contineret, pœnitentia uos capiet? O generatio praua, quæ alijs regnum cœlorum claudis, & ipsa non intras, nec intrabis illud.

Interea uerò dum hæc in collegio Cardinalium, uexamine magis quàm examine diligenti discutiuntur, Guzmānus legatus Cæsareus cognitis his quæ papæ machinatione tractarentur, se indies à pontifice audiri postulat. Ac tandem post trium mēsium spaciū, seriasq; ac graues expostulationes, Imperatoris iussu seueriore accepto, ut aut admissus mandata iniuncta exequeretur: aut nulla interposita mora, Roma discederet: rem eò deducit, ut in præsentia septem Cardinaliū auditus, hanc responsionem referret: quandoquidem postulata ipsius, maturam ac diligengentem Cardinalium Iurisq; peritorum deliberationem requirerent sibi, prout à Domino iussus esset, recedere licere: interea Sanctissimum rem totam ad accuratiorem deliberationem reuocaturum. Quæ per Deum immortalem hæc deliberatio alia, nisi deliberata ac frustratoria elusio fuit? Nam re antè satis deliberata, Sauli istius arte, confirmatio Imperatoris ita protelata est, ut dum splendidissimis Cæsaris titulis officere conaretur, ipse uitalia lumina linquens, cum memoriæ suæ condemnatione, tartara obscura, iamdiu ijs dignissimus,

 subie-

ſubierit: Imperatorem Ferdinando aliquot pôſt annis quoque ex hoc terreſtri regno ad cœleſte euocato, ut confirmationem, quam Saulus cõtrouerſam reddere ſtatuiſſet, à Pio IIII eius ſucceſſore oblatam, animo excelſo uereque regio reſpuerit: legitima principum Germaniæ electione, exemplo Rodulphi Habſpurgici progenitoris, auique Maximiliani, contentus.

MAXIMILIANVS II.

NVnc denique poſt longa bonorum deſideria Imperij gubernatione Maximiliano, omni uirtutum decore præſtantiſsimo principi delata, etſi Pius IIII dum uixit, ita ſe erga eum geſſerit, ut conſueta pontificum in Imperatores improbitate apertè uitata, labem perfidię atq; maliciæ ab anteceſſoribus cõtractam, eluiſſe uideri poſſit: tamen cum Paulus IIII iam antè maleuolentiæ in Imp. conceptæ, documentum inſigne ediderit, nec uitia (ex Senecę ſentẽtia) unquam bona fide manſueſcant, ſed repreſſa, aliquantiſper tamen erumpant: lupuſq; pilum quidem, non animum, iuxta prouerbium, mutare dicatur: minimè dubitandum erit, quin Pio iam extincto, alij poſt eum peſtilentiæ cathedram conſcenſuri, animo ad inueteratam pontificum maliciam conuerſo, Maieſtatem Imperialem omni arte doloque ſint impetituri. Nunquam etenim ſepticeps iſta beſtia, quæ ſe falſo Eccleſiæ titulo

Ferrarienſis ꝯ inſirma re-

titulo uenditat, quietura putetur, donec ciuitates, arces atq; castella posidet: & cómentitia donatio, ei à Constantino facta, per aliquem probum & potentē Imperatorem non sit reuocata, cum non concordet psalterium cum cithara: nec datū sit à Christo, nec à beato Petro, quòd posidere debeat talia: Sed quod est Cæsaris, reddatur Cęsari: & quod est Dei, Deo. Faxit itaque Deus, ut Imperatores ac Principes fraudibus atq; iniurijs, quas sustinuêre hi qui se seruos ecclesiæ isti fecêre, ad animum reuocatis atq; perpensis, necessarias ac pias cogitationes de reprimenda tyrannide ipsius suscipiant, ac tandem Apocalypticum mandatum exequantur, Deo rem gratam, Reipublicæ atque Ecclesiæ salutarem hoc ipso facturi: *sponſ. rei conuent:, in uerbo præscriptionis §. Nonus.*

AMEN.

TESTIMONIA EX VARIIS AVTORIBVS COLlecta, Romam Babylonem esse, eiusq; Episcopū iure Antichristum dici.

QVia superiùs Romam aliquoties Babylonem, eiusque episcopum Antichristum nominaui, ne quis id me citra autoritatem fecisse existimet, testimonia aliquot ueterum scriptorum, qui itidem fecerunt, subiungere libuit: ut ex ijs elucescat, & ab ipsis Romam pro Babylone, eiusq; præsidem pro Antichristo habitum fuisse.

1 Initio itaq;, urbem Romam Babylonem esse, ipse angelus Dei affirmat, exponens Apocalyp. 17 Ioanni euangelistę uisionem bestiæ, habentis septem capita, & gestantis turpissimam adulteram seu meretricem, atque dicens: Septem capita esse septem montes, in quibus mulier, quæ tenet Imperium in reges, sedet: uidelicet rerum pulcherrima Roma,

Septem quæ una sibi muro circumdedit arces,

seu montes: Palatinum, Capitolium, Auentinum, Celium, Esquilinum, Viminalem & Quirinalem.

2 Post Ioannis euangelistæ testimonium meritò secundus locus tribuitur Areziæ, uel Aretiæ, excellentissimæ in omni uirtutum genere fœminæ, quæ sanctissimi patriarchæ

Noachi

Noachi uxor fuit, Deum ualde timens, sapientissima & religiosissima, ac prophetiæ spiritu mirabiliter illustrata. Hæc omnium Sibyllarum antiquissima, Chaldæa uel prophetissa à priscis autoribus, à quibusdam etiam Sambetha siue cœlestis dicta, 24 libris (quos uaticinos edidit) omnium gentium ac populorum momenti præcipui res descripsit: Dominiq; Christi negocia principalia, eiusq; æmulum nefarium & Pseudochristũ suis depinxit coloribus. Nam eum uocat mendaciorum prophetam, peritissimum artium magicarum, ueneficiorum amatorem, magnificè gloriantem tyrannum, regem teterrimum, Gog uel immanẽ hostem populi Dei atq; impostorem: & ecclesiam eius, regnum nefarium ac iactabundum (quòd iustum populum persequeretur) appellat, pellicem impudicam, Babylonem: & (ne quis aliam existimet quàm Romam) impuram ciuitatem Latinæ terræ, ueneficiorum operatricem, ac puerorum (proh nefas) mixtionem nefariam admittentem. Alio item loco uaticinans, Romam expressè Babylonem hisce uerbis nominat:

Veniet (inquit) cœlo stella magna in mare uastum,
Et inflãmabit mare profundum. ipsamq; Babylonẽ,
Italiæ terram, cuius gratia multa perierunt
Ebræorum sancti, fideles, & templum uerum.

Et de ultimo certamine militantis ecclesiæ sub finem mundi, sic cecinit: Nouissimæ ætatis uiri malefici erunt, praui & stolidi, quando

quando in terra erunt prædicantes menda-ces, ſeductores loco prophetarũ. Et Belias ueniet (ſic Antichriſtum uocat, notans eum autorem uniuerſi mali eſſe) & ſigna multa edet hominibus. Tunc uerò ſanctorum ui-rorum deiectio erit, & profligatio electorũ atque fidelium.

3 Hanc Angeli & Sibyllæ interpretatio-nem, Vetuſtas quoque ferè omnis ſecuta eſt. Siquidem Irenæus epiſcopus Lugdunenſis, qui uicinus temporibus Apoſtolorum, Po-lycarpum Iohannis euangeliſtæ diſcipulum uidit, lib. 5. aduerſus hæreſes Valentini & ſimilium, explicans numerum nominis be-ſtiæ *666* annorum, inter cętera Latinum ſeu Romanum fore Antichriſtum, indicat ex nomine Λατεῖνος, cuius literæ numerum *666* præciſè continent, ac de nomine ita ſcribit: Hunc numerum nominis oſtendit, ut cauea mus illum uenientem, ſcientes quis eſt. Et ualde ueriſimile eſſe dicit, nomen eius eſſe Λατεῖνος. Nouiſsimum enim regnum hoc ha-bet uocabulum: Latini enim ſunt, qui nunc regnant. Porrò literarum numerus hic eſt:

λ	30
α	1
τ	300
ε	5
ι	10
ν	50
ο	70
ς	200

Summa

Summa *666*. cui etiam congruit Ebrææ dictionis numerus, qua significant suis literis Romanum.

4 Irenæo meritò succedit Q. Septimius Florens Tertullianus, quo ex ueteribus, qui rem Christianam aduersus Ethnicos tutandam susceperunt (teste Lactantio) omni genere literarum nullus peritior fuit. Is uerò inter alia libro 3. aduersus Marcionem, sic de Roma scribit: Nec enim hoc nouum est Creatori, figuratè uti translatione nominū, ex translatione criminum. Nam & ἄρχοντας Sodomorum, appellat ἄρχοντας Iudæorum: & populum ipsum, populum Gomorhæ uocat. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud ipsum, superstitionis & maledictionis eulogio. Sic & Babylon etiam apud Ioannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde magno regno superbæ, & sanctorū Dei debellatricis. Hactenus Tertullianus. Ideo uerò Roma Babylon figuratè dicitur, quia inter utramq; insignis est collatio. Babylon prima fuit monarchia, Romana est ultima. Babylon grauiter afflixit Dei populum: ita grauiter exercet Roma ecclesiam Dei. Babylon graui captiuitate attriuit Israhelem: ita Roma uexat plusquā diuturna captiuitate Ecclesiam. Babylon uicit populum Dei, inflammataq; urbe Hierosolymorum, & exciso templo, captiuum abduxit Israhelem: ita & Roma uastata urbe Hierosolymorum, & templo exciso, triumphauit

phauit de Israhele. Babylon idolatriam, superstitionem & omnem abominationem plantauit, prouexit, defendit, & obtrusit omnibus: tandem uerò cum minimè putasset, liberato derepentè DEI populo, ipsa funditùs interijt: ita & Roma genitrix est & nutrix, & uegetatrix omnium in Ecclesia postremi seculi abominationum, in quibus peribit tandem, liberatis omnibus uerè in Christum credentibus.

Hieronymus 5 Quàm uerò ut cæteros Orthodoxos dotibus ingenij ac eloquentiæ, sic quoque eosdem iudicij de Babylonica Roma, intrepida libertate Hieronymus Stridoniensis superat, dum ad Marcellum scribit, ut Bethlehem commigretur: Et hic puto (inquit) locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpius fulminata ostendit, quòd Domino displiceret. Lege Apocalypsim Iohannis: & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere: Exite, inquit Dominus, de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis: fugite de medio Babylonis, & saluate unusquisque animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmonum; & custodia spiritus immundi. Est quidem ibi sancta ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & martyrum, est Christi

uera confeſsio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides: & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens uocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia, magnitudo urbis, uideri & uidere, ſalutari & ſalutare, laugare & detrahere, uel audire uel proloqui, à propoſito monachorum & quiete aliena ſunt. Quòd ſi hæc Hieronymus circiter annum à Chriſti natiuitate 360, quo tempore omnia adhuc Romæ caſtiora & incorruptiora erant, ſcripſit: quid eum hoc tempore ſcripturum fuiſſe exiſtimas, quo omnis impietatis, omniumque uitiorum ſentina illic inundauit? Similes loci complures apud eundem inueniuntur: ut Tomo tertio Epiſtolarum, ubi Algaſiæ undecim quæſtiones ediſſerit, maximè quo ſenſu accipienda ſint, quæ Paulus ſcribit 2 Theſſalonicen. 2. Niſi diſceſsio uenerit primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Itidem in Præfatione Dydimi, de ſpiritu ſancto, ad Paulinianum. Item in fine ſecundi libri contra Iouinianum. Sed unum adhuc ex Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſubiungam, ubi de Marco diſcipulo & interprete Petri ſcribit: Et Papias (inquit) Hierapolitanus epiſcopus meminit huius Marci, & Petrus in Epiſtola prima, ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: Salutat uos quæ in Babylone cum electa, & Marcus filius meus.

Augustinus 6 Nec aliud Augustini iudicium de Roma fuisse apparet, ex lib.18. de Ciuitate Dei, ubi scribit: Condita est Roma uelut altera Babylon, & uelut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum.

7 Gregorius Magnus, qui anno Domini 604 confessor obijt, omnium pontificum Romanorum doctrina & uita præstantissimus, quem Antichristum fore putauerit, scriptis suis abundè testatus est, cum in ipso papatus initi limine aduersus papistici regni primatum pugnans, libro 6. capite 194. ad Mauritium conquerens scribit: Nunquid non, cum se Antichristus ueniens Deum dixerit, friuolum ualde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si uerò pondus iniquitatis, uniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico: Quia quisquis se Vniuersalem sacerdotem uocat, uel uocari desiderat; in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris pręponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur. Et libro 4. Epistolarum, capite 82. scribens ad Ioannem Ieiunatorem, patriarcham Constantinopolitanum, qui œcumenicus & uniuersalis episcopus haberi uoluit, comparat eum Lucifero, qui Esaiæ 14. dicit: In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem

nem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim, fratres tui omnes uniuersalis ecclesiæ epscopi, nisi astra cœli sunt? quorum uita simul inter peccata erroresq; hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum uocabulo elationis præponere, quid aliud dicis, nisi In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum? Quos dum uestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinē nubium? Quæ cuncta ergo cum flens respicio, &c. Et ad eundem Constantinopolitanū præsulem, epistola 38. parte quinta Registri, hæc rursus: Secundum quod ueritas prædixit, pestilentia & gladius per mundum sæuit: gentes in gentes insurgunt, terræ concutitur orbis cum habitatoribus suis: terræ dehiscentes soluuntur: omnia quæ prædicta sunt, fiūt. Rex superbiæ prope est, &(quod dici nefas est) sacerdotū ei præparatur exercitus: quia ceruici militāt elationis, qui positi fuerant ut ducatum præberent humilitatis. Dum ergo Bonifacius tertius ciuis Romanus contra tam graues & uere Apostolicas antecessoris sui cohortationes à Phoca crudelissimo Cæsaricida impetrat, ut Roma sit caput omnium ecclesiarum, & episcopus Romanus superior Constantinopolitano habeatur, & œcumenicus uocetur, an non ex sententia antecessoris Gregorij, uiri uere Magni, Antichristi nomen meretur, uel eius præcursor dicendus est, cum omnibus successoribus suis idem nomen diabolico fastu nō tantum usurpantibus,

ſed & horribili tyrannide,ac piorum perſecutio ne defendentibus, ut Satan à facie Domini egreſſus uideatur ad percutiendum Iobum ulce re peſsimo? Etſi enim titulum Serui ſeruorum, quem Gregorius ab omni ambitione ac dominandi libidine alieniſsimus introduxit, Vniuerſalis Epiſcopi nomine penitus abrogato, retineant: id tamen faciunt more Chanaan, atque filiorum eius, Gen.9. qui mundi imperium ad ſe rapuerunt, ac tyrannicè fideles fratres oppreſſerunt, tanquam totius terrarum orbis domini.

Brigitta.

8 Inter Papiſtarum aduocatas ſanctiſsimas, nulla à ſcriptoribus eorum ſuperſtitioſis magis celebrata eſt quàm Brigitta, ob mirabilia multa quæ cum aqua luſtrali feciſſe fertur. Ea librum ſuarum reuelationum unum compoſuit, ac edidit (ut Geraldus Cambrenſis ait) angelo dictante, Brigitta orante, & ſcriptore notante: tantæ apud Papiſtas autoritatis, ut in ſcholis Oxonienſibus magni doctores magiſtraliter eum expoſuerint. in eo quæ continentur, ſi Papiſtis probentur, quomodo negabunt Papam uerißimum Antichriſtum eſſe? Etſi enim aliàs in uerbis ipſius tanta obſcuritas ſit, ut ad ea enucleanda Delio natatore opus uideatur: tamen ubi de ſede Romana conqueritur, ita perſpicuis ac claris uerbis utitur, ut etiam à puero intelligi queant. Sic enim libro 1. Reuelationum, capite 41. de Romano epiſcopo ſcribit: Nunc ergo conqueror ſuper te caput Eccleſiæ meæ, qui ſedes in ſede mea: quam Petro &

tro & successoribus eius tradidi, ad sedendum in ea triplici dignitate & autoritate. Primò, ut potestatem haberent ligandi animas, & soluen di à peccato. Secundò, ut aperirent cœlum pœnitentibus. Tertiò, ut clauderent cœlū maledictis & cōdēnatis. Sed tu, qui deberes soluere animas, & ad me presentare: tu uerè es animarū interfector. Ego enim institui Petrum pastorem ouium mearum; tu autem es dispersor & lacerator earum. Tu autem peior es Lucifero. Ipse enim habebat ad me inuidiam, & nullum concupiuit occidere nisi me, ut pro me dominaretur: tu autem tanto deterior es, quòd non solum occidis me, remouendo me à te per mala opera tua: sed & animas occidis, per malum exemplum tuum. Ego redemi animas sanguine meo, & commisi eas tibi tanquam amico fideli: tu autem tradis eas iterato inimico, à quo redemi eas. Tu es iniustior Pilato, qui nullum iudicabat ad mortem nisi me: tu autem non solum iudicas me quasi nullius dominatorem, & nullius boni dignum, imò & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis. Tu es immitior Iuda, qui me solum uen didit: tu autem non solum uendis me, sed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo & uano nomine. Tu es abominabilior Iudæis, ipsi crucifixerunt corpus meum solum; tu autem crucifigis & punis animas electorum meorum, quibus malitia tua & transgressio amarior est omni gladio. Et ideo quia tu similis es Lucifero, iniustior Pilato, im-

mitior Iuda abominabilior Iudæis, ideo meritò conqueror super te. Obijt autem Brigitta anno 518.

9 Oecumenius in fine epistolæ prioris Petri, & ipse per Babylonem, Romam intelligit. Babylonem autem, inquiens, hic Romam uocat, ob excellentiam imperij, & claritatem: id quod olim Roma multo tempore obtinuit.

10 Porrò ut Orthodoxi patres, sic quoque alij qui eos subsecuti fuêre Ecclesiastici scriptores ac pij uiri, Romam pro Babylone acceperunt. Nam episcopi Belgici circa annum Domini 860, cum Nicolao primo papa contentionem quandam de quodam matrimonio habentes, epistolam ad ipsum satis acrem scripsêre, in qua inter alia Romam Babyloniam uocant, his uerbis: Spiritus (inquiunt) sanctus autor est omnium Ecclesiarum, quâ longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Ciuitas Dei nostri, cuius municipes sumus, ad uniuersos cœli cardines pertinet: maiorq; est urbe quæ Babylonia à sacris uatibus appellatur, ut quæ diuinitatem usurpet, cœlo se æquet, se æternam fore iactitet, perinde ac si esset Deus, immortalisq; sapientia: nec unquam errasse, neque errare posse mendaciter gloriatur. Extat epistola apud Auentinum lib. 4. Annalium Boiorũ, fol. 428.

11 Legimus quoque Arnulphum Aurelianensem episcopum, ante annos amplius quingentos & quinquaginta, in concilio Remensi liberè & acriter aduersus Romani episcopi grauem dominatum publicè hæc uerba pronunciasse:

Quid

Quid hunc in sublimi solio residentem, quid hunc (inquam) esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaq; scientia inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & sese ostentans quasi Deus sit. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur: in templo Dei tanquam idolum est. Tantum ille: qui uidetur hisce uerbis suis allusisse ad loca sanctæ Scripturæ, Apocalypſ. 19. 2. Thesſalon. 2.

12 Extat epistola Leodiensis ecclesiæ contra Paschalem II. Pontificem, qui eam Ecclesiam & prouinciam Roberto comiti Flandrensi, igne ferroq; uastandam concesserat, quòd Heinrico IIII obediret. In ea epistola uocant Romam Babylonem, dicuntq; eam à Petro sic prophetico spiritu uocatam esse, quòd Romanis turbinibus & procellis Ecclesia esset perturbanda. Scripta est circa annum Christi 1100: & inuenitur in tertio tomo Conciliorum, quæ Coloniæ sunt edita.

13 Eodem quoq; ferè tempore pleriq; alij tum priuatim tum publicè pro concione Gregorio maledixêre, ac Hildebrando malè precati fuêre, ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi uociferantes, Antichristum esse prædicantes: Pietatis sub specie (inquibant) debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi cogitat: In Babylonia, in templo Dei sedet, super omne id quod colitur, extollitur quasi Deus sit, se errare non posse gloriatur. Hæc & alia Auentinus lib. 5. fol. 573 Annalium Boiorum.

14 Petrus Blesensis, qui (teste Tritemio) sub Friderico Imperatore primo claruit, scripsit multa, in quibus grauissimè uituperat uitã moresq; spiritualium. In quadam uerò epistola, ad quendam Officialem (ut uocant) episcopi, monet eũ, ut quamprimum ex illa Babylone exeat, his uerbis: Quia te affectuosissimè diligo in uisceribus Iesu Christi, proposui te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestiuè exeas, ut ministerium damnatissimæ uillicationis omittas. Clerum alioqui sæpe nominat Syriam, uitulos Bethel, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, iudices qui condunt leges iniquas: Cantantur (inquit) eorum turpitudines in tentorijs Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.

15 Valdenses quoque, inter alios suæ doctrinæ articulos, quos circiter annũ Domini 1160 hinc inde docuêre, & hunc asseruerunt: Romanam ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi: & Papam esse omnium errorum fontem, & uerum Antichristum.

16 Fridericus etiam secundus Imperator, cum præter meritum à Gregorio Nono exagitaretur, cùm alia aduersus ipsum, tum uerò & hoc scripsit, captum ipsum Imperij consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atq; commiscere: cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum uniuersa ferantur. Iampridem eos qui Babyloniæ, hoc est, Romæ templo Dei incubent, diuinitatem affectare, & astutè id dissimulare.

Auentinus

Auentinus lib.7. Annal. Boiorum fol.679. Et paulo pòst: Paulus armarium philosophiæ diuinæ præcipit, Subiecti inuicem in timore Christi estote. Hoc interesse inter Christianorũ & prophanorum principes, cœlestis doctor & præceptor noster, summusq; atq; immortalis pontifex docet, quòd hi dominantur subditis, illi seruiunt. Formam serui suprema maiestas suscepit, ut discipulis suis seruiret, eorũq; pedes lauaret. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt · non desistent donec omnia pedibus suis cõculcauerint, atq; in tẽplo Dei sedeãt, extollãturq; supra omne id quod colitur: fames opum, sitis honorũ inexplebilis est.

17 Adeò porrò multi in Germania, Italia, Francia & Anglia Friderici huius tempore, crediderunt Romam Babylonem & meretricem illam magnam esse, ut impostores quidam Apocalypsin Iohannis abolere conati fuerint: maximè quidã Cyrillus Carmelita Græcus, qui tã Moysis quàm Iohannis exemplo, nouam Apocalypsin è cœlis circa annũ à Christi natiuitate 1192, Dei ipsius digito in argenteis tabulis grecè scriptam, super futuro Ecclesię statu se accepisse gloriatus est. De quo Balæus lib.5. de actis Romanorum pontificum, sub uita Gregorij Noni.

18 Salisburgensis archiepiscopus Eberhartus, imperãte hoc Friderico, in cõcilio frequẽti principum & episcoporum, papam Romanum pronunciauit ipsissimum Antichristũ esse, à Daniele & alijs uatibus prædictum. Theodorus Bibliander in Chronologia sua, Tabula decima.

19 Abbas Ioachim Calaber, homo eruditionis

& etiam ſanctitatis uitæ nomine celebris, quæ de Romana eccleſia ſenſerit, in ſuis ſcriptis ſatis oſtendit. Nam ſuper Hieremiam ſic ſcribit: Eſt & alia ficus, quæ maledictione præuaricationis iam aruit, Latina eccleſia, ſiue naucula Sancti Petri: cuius folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata, ad excuſandas excuſationes in peccatis, quibus in honeſtatem uitæ ſuæ tam Adam ſummi pontificis, quàm Eua eccleſiæ ſubiectorum operiant, & in ligno Eccleſiaſticæ gloriæ ſeſe miſerabiliter abſcondant: Sed quia patrimonium Ieſu, quod ipſi Pontifices à principibus Chriſtianis quaſi boni & mali ſcientiæ lignum ſumunt: boni, quò ad ſuſtentationem uitæ: mali, quò ad diſſipationem & libidinem uitæ & abuſum: cupientes gigantes fieri ſupra terram, Reipubl. famoſiq; uiri per totam latitudinem imperij Chriſtiani, non contenti ſtipendijs, &c. Et aliquanto pòſt: Nam ſecundum ſententiam ſanctæ Brigittæ, potens eſt Deus & Francos ſuſcitare aduerſus Eccleſiam. Cum enim eccleſia Romana deficiet quo ad obedientiam, & Pontifices ex Alemannis theſaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis ſecularis promouent, uolante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Chriſtianus: tum finis, clamor & ululatus uniuerſæ carnis, ueniet ad Dominum aſtrorum, &c. Idem in Commentario ſuper Hieremiam, tempus æſtimat eſſe periculoſum futurum ab anno Domini 1200, uſque ad ultimos dies: in quibus apparebit (inquit) Lex libertatis. Euangelium

regni

regni Christi tunc prædicabitur, & ecclesia purgabitur, ut à palea & zizanijs triticum. Verùm historia, quam ex Rogerio Houedeno de eo refert Foxus Anglus, in Commentarijs rerum in ecclesia gestarum, præcipuè notanda esse uidetur: Richardus (inquit) Angliæ rex, in expeditione Hierosolymitana, accepta fama Ioachimi Calabriēsis abbatis de Curacon, qui spiritu prophetico uentura prædicebat, quo tempore Siciliæ ageret, eum ad se accersit, auditurus quid de Antichristo inter cætera denunciare posset. Hic ergo explicans mysterium septem regum in Apocalypsi, quorum quinq; ceciderint, &c. Reges septem, inquit, septem sunt persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus. De Antichristo sic aiebat, quòd is iam in urbe Roma prognatus esset, & in sede Apostolica sublimabitur, de quo Apostolus: Extollitur & aduersatur super omne quod dicitur Deus. Hæc Houedenus. Annus uerò huius abbatis erat, 1290.

Anno Domini 1345, quidam Minorita nomine Hayabalus, propterea quòd solitus est publicè concionari, & affirmare se diuinitùs iussum concionari, ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam & Cardinales esse meros Antichristos: Auinione à Clemēte, coram quo id constanter & intrepidè affirmaret, miserum in modum uexatus est: ut refert Heinricus de Erphordia, chronographus, in opere historiarum de Factis memorabilibus.

21 Volquini cuiusdam homelia super Euange-

lium de interseminata zizania, ante tempora Lutheri extat Basileę anno 1555 impressa, in qua autor: proh dolor & proh dolor hodie meretrix inquit) antiqua, quę habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, fornicatione & immundicia, qua mirabiliter inebriat sacerdotes & clericos? De qua in Apocalypsi: Vidi mulierem ebriam de sanguine uirorum, & de sanguine martyrum Christi. Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de sanguine suorum scortorum siue scortatorum. Hæc est illa sanguisuga, quæ sugit sanguinem m nistrorum Dei, & martyrum Dei, qui martyres Christi esse debuerant, & fiunt martyres diaboli, in honorem eius & obsequium carnem & sanguinem consumentes. Cum uidissem, inquit, homines, miratus sum. Quis non miretur & horreat & obstupescat sacerdotem Domini, ministrum Dei, calice epotato si tibundum, & potare feces de calice Babylonis?

Dantes. 22 Dantes Florentinus, quòd & ipse Papam meretricem Babylonicam esse senserit, non obscurè ostendit in cōcione 32 Purgatorij: dum eius ministris, id est Episcopis, tribuit bicornia capita, quatuor uerò quibusdam, quibusdam unum cornu, qui & sunt Patriarchæ: ipsi uerò meretrici, instar cuiusdam arcis. Floruit sub Ludouico Bauaro, sub quo etiam inter cætera composuit librum de Monarchia: in quo probat, Imperium nullam dependentiam habere à Papa, sed à solo Deo: ut refert Nauclerus generat 45.

Eiusdem

23 Eiusdem Ludouici Secretarius fuit quidam Vlrichus de Augusta, qui in regijs literis summum pontificem uocauit bestiam ortam à mari, eoq; discordiæ causam inter Iohannem 22 Papam & Imperatorem præbuisse fertur: ut Paralipomena Vspergensis testantur. *Secretarius Ludouici Imperatoris.*

24 At, qui hosce paucos post annos subsecutus est, Franciscus Petrarcha, omnium artium instaurator eruditissimus, Romam multo acerbius est insectatus. Appellat enim Epistola uigesima, Papæ curiam Babylonem, & meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omnium idololatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt principes & reges terræ: asylum hæresium & errorum, de qua in Apocalypsi Spiritus sanctus prophetarit. In Italicis etiam rhythmis scribit inter alia de Roma: *Franciscus Petrarcha.*

Schola di errori, & tempio de hæresia:

id est, Schola errorum & templum hæreseos. Sic & sæpè aliàs in eodem poemate eam uocat impiam Babyloniam: item, matrem errorum: item, nidũ proditionum, in quo totius terrarũ orbis uenenum fouetur, crapulis & ebrietatib. obstrictum, meretricẽ execrabilem, in qua luxuria undequaq; uagatur & uiget, hæresiũ errorumq; asylum, carcerem ubi bonum extinguitur, & quoduis malũ scelestumq; alitur: Christo eiusq; Apostolis rebelle, ut Venerẽ Bacchumq; deos colat. Item dicit, eam crescere ex alienis calamitatibus. Ait quoque, eam se extollere contra suos fundatores: id est, Imperatores, qui ipsi multa antea largiti sunt. Sed eius uer-

ba ex alia quadam epistola ascribamus: Romą non iam ciuitas, sed laruarum & lemurum domus est: & (ut breuiter dicam) scelerum ac dedecorum omnium sentina, atq; ille uiuentium infernus, tanto antè Dauidico ore notatus, quàm funditatus aut cognitus. Quid euenturũ cẽses, ubi extincta prorsus & sepulta uirtus est? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, liuor, luxus, auaricia, cum artibus suis regnant? ubi pessimus quisq; prouehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, iustus pauper opprimitur? ubi simplicitas amentiæ, malicią sapientiæ nomen habet? ubi Deus spernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridentur boni? Noui expertus, quòd nulla ibi sit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil æqui, nihil pensi, nihil deniq; uel humani: amor, pudor, decor, candor, inde exulant. De ueritate equidem sileo. Nam quis usquam uero locus, ubi mendacijs omnia plena sunt? aer, terra, domus, turres, uici, atria, plateæ, porticus, uestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria ædium, penetralia templorum, iudicũ subsella, Pontificum sedes? ad postremum, ora hominum, nutus, gestus, uoces, frontes, animi? Quid ait? An mentior? an uerò de mendacijs uerum loquor? In illa nefaria scelerum scena, omnia sunt uirtute uacua, plena criminibus, plena fallacijs, pleną fucis, plena blanditijs, plena pessimis artibus, ambitionis, auariciæ, superbiæ, liuoris. Corrupti enim sunt, & abominabiles facti in studijs suis. Non est qui faciat bonum,

bonum,non est usq; ad unum. Visa loquor, nō audita, fato meo pessimo in eas terras puer euectus,&c. Ecce iam oculis uides, iam manib. palpas, qualis est Babylonilla nouissima, feruēs, æstuans, obscœna, terribilis. Nilum & Euphratem Roma uincit, imò tartarea flumina uincit: Cocytum uincit,& Acherontem. Quicquid uspiam perfidiæ ac doli, quicquid inclemētiæ & superbiæ, quicquid impudicitiæ effrenatęq; libidinis, quicquid deniq; impietatis & morum pessimorū sparsim habet, aut habuit mūdus, id totum cumulatim occupat, aceruatimq; tenet. hactenus Petrarcha.

25 Anno 1528, Cōmentaria quędam in Apocalypsin à Luthero, sine autoris nomine sunt edita: quæ sibi aliunde ex finibus Liuonicis & Polonicis, ut testatur, transmissa fuêre. Compertū autem est postea, & Iohannis Vuicleui esse, per Iohannem Puruęum Anglum ex prælectionibus magistri collecta. In eo opere idē Ioannes apertissimis uerbis ecclesiam Romanam, Babylonicam meretricem, ea Papam Antichristum probat, eò quòd neglecto Dei uerbo, suas traditiunculas ac nugas doceat, Euangeliū piosq; doctores opprimat. Item, quia quæstus gratia indulgentias excogitauerit, potentiā & splēdorē regni sub falso donationis Constantini nomine ad se traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, moresq; Papæ & prælatorū: præcipuè uerò, quòd ex mādatis Christi consilia faciant. Hortatur etiā omnes, ut fugiant ex illa Babylone. Idē Puruæus, Romā in Dei spiritu diaboli prostibulum esse dicebat:& ecclesiam eius magnam,

Vuicleum.

Puruaeus

gnam, affirmauit esse ex fœda superstitionum colluuie, meretricem illam magnã in Apocalypsi descriptam, quę sedens super aquas multas, incredibili tyrãnide & hypocrisi Christiana regna omnia seduxit: Apocalypsis 17. Balæus de scriptoribus Anglicæ, Centuria septima.

Anno Domini 1408, durante schismate inter Gregoriũ XII & Benedictum Nonũ, Manfredus Vercellensis, ordinis Prædicatorũ theologus, præsentẽ sentiebat adesse Antichristũ. Ac contra eundem Manfredum statim prædicabat Bernardinus Senensis, Franciscani ordinis monachus. Matthias Parisiensis, sed patria Bohemus, parũ antea, scripsit de Antichristo librum ualdè prolixũ, in quo Papæ ac sui cleri turpitudines insectatur. Locustas in Apocalypsi descriptas, dicit esse hypocritas in ecclesia regnãtes. Iacobus Misnensis etiã composuit de aduentu ipsius Antichristi librum, in quo mentionẽ facit cuiusdam docti uiri nomine Miltizy Bohemi, quẽ famosum ac uenerabilem prædicatorẽ appellat: qui anno Christi 1365 docuit, Antichristũ adesse, ac nullã in Papa, Cardinalibus, Episcopis, prælatis, sacerdotibus atq; alijs religiosis ueritatẽ inueniri: ac propterea à Ioanne Pragẽsi archiepiscopo fuisse incarceratum. Hæc Balæus centuria septima de scriptoribus Britanniæ, in appendice, de Thoma Kolby.

27 Petrus Iohannes Minorita cùm alia multa contra Papam docuit, tum etiam, quòd Papa sit Antichristus, & Synagoga Romana sit magna Babylon ante annos 260. Vnde cum uiuũ nequiuisset exurere Papa, longè post mortẽ ossa

eius

eius effossa exussit. Balæus in Laurentio Anglico, in catalogo Britannicorum scriptorum.

28 Michael Cesennas generalis Minoritarū, floruit unà cū alijs qui tyrānidē pōtificiam tēpore Ludouici Bauari oppugnârūt, & accusauit Romanā ecclesiam tanquā Babyloniam meretricem piorū sanguine ebriā: dicens duas esse Ecclesias, alterā impiorū florentem, alterā afflictā piorum. Atq; ob eā causam à Papa sua dignitate priuatus est. Veruntamē nihilominus in sententia permāsit. Catalogus testium ueritatis.

29 Vuolffgangus Aitinger, clericus Augustanus, qui prophetias Methodij cōmentarijs illustrauit, contendit Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum. Ea uerò, teste Petro, Roma est.

Hisce alia quoq; similia testimonia quāplurima adduci possent: sed his ipsis cōtēti, omniū qui unquā fuerunt frater culorum doctissimi, ac uitæ seueritate morumq; sanctitate clarissimi uatis Bapt. Mantuani carmina aliquot subijciemus, in quibus Babylonicæ illius meretricis impuritates atq; tyrannidē, sicut & alij pij ante sua tempora, ad liquidum detestatus est.

IN ROMAM, EX PRIMO libro Syluarum.

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quò uesana ruis? studioq; armaris inani,
Iam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta domat.

Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas:
Nec feritas requiem ferre superba potest.
Tu similis colubro, quoties grauis ira uenenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, ut spumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineo quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea uincula mandit
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella uocas, in pignora patres;
Et scelus omne audes, & paris omne nefas.
Fas & iura negas, homines & numina fallis:
Nec Iouis imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem conuicia deseret ætas,
Tantum ac tale tuæ est improbitatis onus.
Romanis pater est Mauors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores ingeniumq; docent.
Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Romæ
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

IDEM LIBRO TERTIO
Calamitatum.

Interea nostras odijs flagrantibus urbes
Exercent furiæ, per rura, per oppida sæuit
Martis opus: Petriq; *domus polluta fluenti*
Marcessit luxu. nulla hic arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat uulgata referre,
Sic urbes populiq; ferunt: ea fama per omnem
Iam uectus Europam, *mores extirpat honestos:*
Sanctus ager scurris, uenerabilis ara cinædis
Seruit, honorandæ diuûm Ganymedibus *ædes.*

Quid

Quid miramur opes, recidiuaq; surgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama uendit
Mollis Arabs, Tyrij uestes & muricis imbrem:
Indus ebur, croceum Cilices & Tmolus odorem:
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuißima Seres
Vellera, Cretenses mollißima uina, Tanager
Pernices mercatur equos: uenalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ:
Ignes, thura, preces, cœlum est uenale, Deusq;.
Hi quoq;, qui nomen de relligione superbum
Vsurpant, quanquam sanctis à patribus ortos
Se iactent, ouium molli sub uellere fraudes
Mente Lycaonias seruant, & crimine sordent.
Quod speciem uirtutis habens, scelus omne colorat:
Inuisi superis, fœdaq; libidine olentes
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,
Polluti circum quoties altaria uultus
Conueniunt, celebrantq; choros & carmine mixto
Sancta Deum uanis penetralia uocibus implent:
Irritant, irasq; mouent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus est: nil adiutoribus istis
Auxilij sperate, nouis date templa ministris.
Sacrilegum genus ex adytis, templisq; deorum
Pellite, nec longos scelera hæc uertantur in usus.
Tempora Martigenæ quid inania perditis? Ite,
Ite lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluuiem scelerum, &c.

ORATIO REVERENDIS. EPISCOpi Ioannis Staphilæi Siburicensis, habita ad Rotæ auditores anno Christi M. D. XXVIII, die XV Maij, post direptionem urbis Romæ: qua ostenditur excidij urbis causa, & Romam esse ipsissimã Babylonem, de qua Prophetæ & Apostoli uaticinati sunt: impressa ante annos 38. cum testimonijs Prattici Ferrariensis, commonstrantibus Cæsaris maiestatem esse supra Papam & omnem clerum.

MOs erat priscis illis Romanis, reuerendiss. Patres, uosque cæteri uiri præstantiss. parta de hostibus uictoria, necnon in natalicijs Cæsarum, uel aliàs pro cõmodo Reip. reb. sic exigentibus, paucis admodum diebus, clauso foro, indicere iusticiũ, quò Senatus populusq; Romanus prõptius rei sacræ uacaret: & dimissis aliquãtisper tribunalibus, ac strepitu iudiciorum, ocio uel negocio liberius pro arbitrio fruere tur. At nobis miseris, & huic infelicissimæ Vrbi, anno superiori lõgè aliter euenit. Nos etenim nõ sponte & pro arbitrio nostro, sed Deus ipse acerrimus scelerum uindex, & flagitiorum nostrorum, pro gratulatione commodorum Reipub. Christianæ, & huius sanctæ sedis, sed pro grauissima calamitate & afflictione eiusdèm, nõ pro natalitio Clementis VII. Pont. max. sed pro captiuitate, & durissima (ut ita dicam) seueritate, illius deni-

que

que non paucis diebus, sed integro anno, & ultrà: Deus inquam, per manus sceleſtimorum hominũ, uel (ut uerius dicã) sæuiſsimarum ferarum, iuſticiũ indixit, tribunalia noſtra ſubuertit, locum hunc ſacrariũ iuſticiæ, cum omnibus ad diuinum cultum pro more ibidem exiſtẽtibus expilauit, prophauauitq; libros noſtros, diuinas ac humanas leges cõtinentes: quibus pro adminiſtranda iuſticia toti orbi ſeduló utebantur. Quoſdam ex illis dilacerauit, quoſdam igni conſumpſit, reliquos aut ijs quorum fuerunt uenales expoſuit, aut ad indignos inhoneſtosque uſus ludibrio habuit. Denique poſt inuaſionem direptionemque ædium noſtrarum, nos ipſos, cum omnibus domeſticis & familiaribus noſtris, in arctiſsimas nephandiſsimorum ſatellitum cuſtodiás coniecit; propoſitis paſsim uarijs tormentis, ſæpe etiam adhibitis, etſi nõ corporibus noſtris forſitan, familiarium tamen noſtrorum nihilominus, quò precioſiorem ſupellectilem, tot uigilijs & laboribus partam, in ſecretiora fortè loca depoſitã, indicarent. Illos interim, & nos per diuerſa urbis hoſpitia diligentiſsimè obſeruãtes, pane doloris & aqua anguſtiæ miſerrimè ſuſtentãtes, ita ut nobis omnibus uita eſſet ſupplicium, & mors ſolatium.

Excidium et calamitas urbis Romæ.

Quapropter directis nunc in cœlum oculis, lamẽtabiliter poſſumus deflere cum Propheta: Recordare Domine quid acciderit nobis; intuere & reſpice opprobrium noſtrum:

ſtrum. Hæreditas noſtra uerſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos, pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ uiduæ cer uicibus noſtris iugiter minabantur, lapſis non dabatur requies.

Adde his malis ſæuiſsimam peſtilentiam, quæ longè lateque debacchata eſt, totam ferè hanc miſerrimam urbem inuadens.

Iunge inſuper extremam famem, ac neceſſariorum omnium ad uictum humanum ſummam penuriam. Tandemq; eò uentum eſt, ut qui paulo antè cunctis omnino rebus copioſsimè affluebamus, repētè neceſſarijs omnibus fuerimus deſtituti.

Poſtremò, urbe ueteres coloni propulſi, uix urbes, uiciniqùe montes receperunt fugam noſtram. At mala hæc nobis cum cæteris omnibus Romæ nunc exiſtentibus communia fuêre.

Nos, nos, qui huiuſce ſumus profeſsionis, noſtra inſuper propria damna ſenſimus, qui domeſticam huius urbis iacturam fecimus: nos inquam, reuerēdi Patres, integerrimos grauiſsimosque collegas noſtros eodem anno amiſimus. Vos honorandi aduocati, totidem collegas ueſtros ſupra quartū, quem ſuperiori anno tota hæc Curia deplorauit: uiros nempè doctiſsimos, conſummatiſsimosque eo ipſo tempore perdidiſtis. Vobis quoque cauſarum patroni, uobis inſuper tabelliones & notarij, profeſsionis ueſtræ dāna non defuerunt. Sed unde hæc quæſo?

Quâ

Quásue ob causas tot, & tam grauissima incommoda nobis euenêre?

Nempe, quia omnis caro corruperat uiam suam, eramus omnes ciues & inhabitatores, non Romæ urbis sanctæ, sed Babylonis urbis peccatricis. de qua impletum est temporibus nostris uerbum Domini in Esaia: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicio & sanctitate? Iusticia prius habitabat in ea, nunc nunc sacrilegi & homicidæ: prius gẽs sancta, populus acquisitionis, nũc populus Gomorræ, semen nequam, filij scelerati, sacerdotes infideles, socij furum, diligentes munera, sequentes retributiones. de quibus idem Dominus conqueritur per prophetam Esaiam: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem me spreuerũt: dereliquerunt uias meas, blasphemauerunt sanctum Israel: alienati sunt retrorsum. Propterea per curiam uos ultra addentes præuaricationem, protinusque uolens ostendere quibus percussionibus affligendi simus, subiungit: Terra uestra deserta, ciuitates uestræ succensæ igni, regionem uestram coram uobis alieni deuorant. *Causa direptæ urbis Romæ.*

Sed ne quisquam arbitretur, uaticinium hoc Prophetæ iamdudum fuisse impletum in euersione Babylonis & Hierusalem, sub Vespasiano & Tito Imperatoribus Romanis: cum uerba prophetiæ uideantur respicere tempus illud præsens Prophetæ, non futurum: animaduertendum censeo, iuxta Ec- *Romam esse Babylonem.*

clesiasticam ueritatem futura fuisse præsentia Prophetis, quasi iam futura præsentia cernerent oculis mentis, ut pasim ex Sacris paginis facilè deprehendimus. Sed ne longè exempla petamus, hoc ipsum in hoc eodem proposito nobis idem Propheta innuit, declarans seipsum uerbis de futuro, subiungés: Derelinquetur filia Sion, & desolabitur sicut in uastitate hostili. Hanc filiã Sion Ioannes apostolus in Apocalypsi interpretatur non Hierusalem, sed Romanam prorsus urbem: quod ex illius descriptione, si introspicimus, in aperto est: dum exponens Ioãnes, seu uerius unus de septem Angelis Ioanni uisionem, quam uidit super damnatione mulieris meretricis, sub nomine Babylonis intelligit hanc urbem: Mulier, inquit, quam uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum quod de regno spirituali uult intelligi) super reges terræ. Dicit illam sedere super septem montes, quod propriè Romæ conuenit, quæ ab antiquis ob hoc potissimum dicta est Septicollis. Ponit sedem quoque illius super aquas multas, quæ significant populos, gẽtes, ac uarias linguas: ex quibus magis, quàm ulla alia, in orbe præsertim Christiano collecta est hæc urbs, ut uidemus. Et propterea dicitur cõmunis patria omnium undecunque uenientium. Dicit præterea plenã esse nominibus blasphemijs, matrem immundiciæ, fornicationum & abominationum terræ. Hæc quippe uerba demonstratio-

tione huius urbis magis ſpecificam non exigunt: cum hæc flagitia (& ſi ubique ferè regnent) hic tamen ſedem & imperium habeant.

His tot & tantis flagitijs, præuaricationibusque illius enumeratis, ſubiungit ſeueriſſimam Dei ſententiam, quæ contra nos hoc tempore funeſtiſsimam executionem ſortita eſt. Formula autẽ ſententiæ hæc eſt: Quoniam peruenerũt peccata illius uſque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum: ideo in una die uenient plagæ eius: mors, luctus, & fames deſolatam facient illam, & nudam, & ipſam igne cõcremabunt.

Quòd ſi quiſpiam pertinacius defendere uelit, Apoſtolum loqui ſpecificè de Babylone: huic ego reſpondeo, quòd potius quàm Apoſtolus in prima Epiſtola (teſte diuo Hieronymo de Viris illuſtrib.) ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificat, dum inquit: Salutat uos Eccleſia in Babylone collecta. Poſtremò, ſi his locupletiſsimis teſtibus non credimus, ſcilicet per Babylonẽ urbem hanc ſignificari, effectibus ſaltem hoc tempore lamentabiliter ſubſecutis credere oportet. Ex quibus manifeſtiſsimè conſtat, quòd plura & longè peiora, ut inquit beatus Gregorius, in his noſtris tribulationibus uidimus, quàm in noſtris codicibus inuenimus. Nam ſanctuario quoque ſuo, miniſtriſque ſacrorum hoc tempore non pepercit Deus. Ducti ſunt indecenter per uicos

urbis cardinales, capti epiſcopi, presbyteri interfecti, ſacræ Virgines ſtupratę ad altaria. In Apoſtolicoque palatio ſtabulati equi martyrum effoſſæ reliquiæ, aperta, immò fracta mortuorum ſepulchra: & denique quod animus luctu abhorret dicere, ſacratiſsimū Saluatoris corpus, uaſculis pro more aureis, argenteisúe reuerenter conditum, cùm ob prędam uaſorum, tum propter contemptum (proh dolor, proh nephandum ſcelus, omnibus ſeculis deteſtādum) terræ colliſum, pedibusúe plus quàm ſacrilegis calcatum. Heu nos miſeros, uiſio Apoſtoli in Apocalypſi, pœnas minatur huic urbi, ut diximus, ad modum graues. At certè his noſtris quas paſsi ſumus, longè mitiores. Magna eſt profectò ira, quando in ſua caſtra, in ſua tentoria, in ſuos denique milites ſæuit Imperator. Mitius olim egit noſter Imperator, dum ſeruato templo, & illæſis ſacerdotibus templi, ſat habuit, eijcere ex caſtris ſuis: hoc eſt, è tēplo ementes & uendentes, aſſerens domum ſuam non negociationi, ſed orationi fore deſtinatam. At hoc lacrymoſo noſtro tempore, templa, orationes & ſacrificia noſtra deſpexit, & aſpernatus eſt. Cur quæſo tam ſeuerè & abſquę ulla pietate & miſericordia? Profectò audiamus ipſum Dominum per Prophetam tātæ ſeueritatis ſuæ reddentem cauſam: Quoniam inquit, manus ueſtræ ſanguine plenæ ſunt: Quo mihi multitudo uictimarum ueſtrarum? Plęnus ſum, nę offeratis ultrà

ultrà sacrificũ frustra. Incensum abominatio est mihi. Peccatis.n.& sceleribus uestris me ad iracundiam prouocastis. Ideo incipiens à sanctuario meo, diuina & humana, sursum & deorsum miscebo omnia, ita ut ubique sit luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis imago. Sed iam ad nos ipsos reuertamur, qui, si uerum amamus, ingenuè fateamur necesse est, his tot & tantis nostris, & aliorum communibus, sceleribus non defuisse, propria nostra factionis scelera & peccata.

Nos enim, qui ministri sumus iusticiæ, iusticiam fortè, ut par est, non ministrauimus. Quid si in sinistrum nos ignorantia traxit? si fauor inflexit? si acceptio muneris, uel personæ corruperit? Vos spectabiles aduocati, qui adstatis (ut de mortuis & absentibus taceam) responsa & consilia uestra plus iusto forsitan diuendidistis, ponentes tenebras lucem, quærentes mendaciũ, dicentes bonũ malum, & malũ bonum. Vos quoq; patroni caussarum, uos insuper tabelliones cum ministris, & cooperatoribus uestris, patrocinia uestra, operas (ne dicam quid deterius) uestras minus fortè diligenter clientulis & partibus exhibuistis, Quas ob res, quum omnes grauiter deliquerimus, emendemus deinceps in melius quę ignorantes, aut ex animo peccauimus, conuertamur pariter ad Dominum, & miserebitur nostri: quia pius & misericors est, & præstabilis super maliciam. Ipse enim hortatur per prophetam, dicens: *Iusticia curia Romana.*

Quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresśis, iudicate pupillos, subuenite oppresśis. Postremò diligite iusticiam, uos qui iudicatis terram. His mundisśimis holocaustis, si iratū nobis Dominum placuerimus, absq; dubio & hic (prout ipse pollicetur) bona terræ comedemus, & in futuro pro bene gestis sempiterna prẹmia consequemur. Quod nobis omnibus prẹstare dignetur idem Dominus, qui est benedictus in secula, Amen.

Petrus de Ferrarijs in forma libelli, in actione Reali, in gloss. Iure dominij nu. 53.

HAbes amplum ecclesiarum priuilegium, quod habuit & habet consumere statum laicorum. Sunt etiā alia multa Ecclesiarum priuilegia, à stultis Imperatoribus eis collata: ut patet in tit. de sacrosanct. eccles. & in tit. ext. de immu. eccle. per quæ destructus est status Imperij. inter quẹ est secundum aliquos, ut ecclesia non teneatur ad expensas murorum ciuitatis: tantum teneatur ad refectionē pontium & uiarum. quod est falsum. Imò etiam tenetur ad expensas murorum, maximè si muri fiant potius ad necesśitatem, quàm ad ornatum. ut probatur per textum l. ad portus. C. de operibus publicis.

Id in forma respon. rei conuen. §. præscriptionis.

Nec unquam quiescet Italia, donec ipsa eccle-

ecclesia possideat ciuitates, uel castra, & donatio eidem facta per Constantinum fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus reuocata: cum non bene conueniat psalterium cum cithara: nec datum sit à Christo, nec à beato Petro, quòd possidere debeant talia: sed quod est Cęsaris reddatur Cæsari, & quod est Dei Deo.

Idem in eadem forma resp. rei conuenti. §. tanquam publicè. nu. 10.

Et sic nota, quot modis isti clerici illaqueant Laicos, & suam iurisdictionem ampliant. Sed heu miseri Imperatores, & principes seculares, q̄ hoc & alia sustinetis, & uos seruos ecclesiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis usurpari uidetis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ & scientiæ non intenditis, ideo attendite & memoriæ commendate, &c.

In forma sententiæ diffinitiuæ. §. sed ad quemcunq; iudicem competentem.

Ad Papá, quocunq; omisso medio, appellare licet. Quod ideo prouiderunt, ut quæstiones in Curiam traherent, & eorum auariciam satiarent: quod tamen nunquam facient. Quia clericorum animus & appetitus est enixus præ cæteris in pecunijs cumulandis contra honestatem cōmunem, & fidem Deo promissam: non attendentes, nec studentes bonis moribus, nec Scripturis tam

diuinis

diuinis quàm moralibus,& potissimè illi documento Senecę,sic dicentis: Multis parasse diuitias,non finis fuit miseriarũ,sed mutatio Non est .n. in rebus uitiũ, sed in ipso animo. Et alibi idem inquit: Quemadmodum nihil differt,utrũ ægrum corpus,ligneo aut in aureo lecto colloces,quocunq; illud transtuleris, malum suum secum transfert: sic nihil differt, utrum æger animus in diuitijs uel in paupertate ponatur,malũ suũ illũ sequitur.

In forma lib. quo agitur ad red.ra.tute. §. Ad executores.

Executores ultimarum uoluntatum prohibētur esse fratres minores,de quo immensè tristantur & condolent: quia manus & pedes uellent tam ipsi,quàm cæteri mendicantes clerici, ponere & immiscere in bonis laicorum,& eos rodere usq; ad ossa,prout quotidię faciunt.ut est lex,in Clem.exiui.de uer. sig. Quia in tali officio uertitur utplurimùm tactus & contrectatio pecunię.quod est contrarium regulæ beati Francisci.

In forma libelli,quo agitur ex substit. §. Ex suo corpore,&c.

Scire debes,tu ignare laice,quòd imperiũ aliquandò habuit utrũnq; gladium,temporalem scilicet, & spiritualem: adeoq;, quòd tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per uniuersum orbem, & amplius eligebant Papam. ut habetur in c. Adria-

Adrianus. xiij. dist. cum. & no. per Inno. in c. ij. ext. de maio. & obed. Vnde eo tempore quo studebant Imperatores ampliare fidem Christianã, quæ tunc modica erat, & in paruo statu, oportuit conferre multa priuilegia ecclesijs, & ijs qui se ad fidem Catholicam conuertebant: ut patet per tit. C. de sacrosan. eccles. & in tit. de episc. & cler. & in Aut. de sanc. episc. & in tit. de eccle. tit cum multis titulis: inter quæ priuilegia fuit istud: Quia bona ingredientium monasteria, applicarentur ipsis Monasterijs. propter quod priuilegiũ multiplicata & fundata sunt monasteria infinita, per uniuersum orbem, olim causa deuotionis: licet hodie causa rapinæ & auariciæ in tantum, quòd destruxerunt hodie mundum, & annihilauerunt statum imperij, & omnium laicorum: possunt ergo dici meritò, alia loca facta uel fienda retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes: Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

APOLOGVS PROPHETICVS IOANNIS DE RVPESCISSA;

quem dum Auinione in carcere esset, circa annum Domini M. C C C. L. *Cardinalibus recitauit: conuersus ex secundo libro Froissardi, nobilissimi historici Gallici.*

PEr id tempus (inquit Froissardus) Auinione fuit quidam frater Franciscanus, prȩditus ingenio & eruditione summa, uocatus Ioannes à Rupescissa, quem Papa Innocentius VI tenebat uinctum in castello Baignosi, propter res miras, quas euenturas ille dicebat, præsertim super prȩlatos & prȩsidentes in Ecclesia; scilicet ob immensum luxum & ambitionem, quibus dediti erant: atq; itidem super regnum Franciȩ, & potentiores Christianitatis principes, quoniam plebem tenuem tam miserabiliter opprimerent. Probaturum se uerò aiebat Iohannes, omnia sua dicta per Apocalypsin & ueteres libros sanctorum prophetarum, qui ipsi per gratiam sancti Spiritus essent retecti, sic ut diceret multa creditu difficilia. Conspiciebantur sanè quȩdam euenientia eo ipso tempore, quæ pronunciauerat: neque dicebat quicquam uti propheta, sed per Scripturas ueteres & sancti Spiritus gratiam; qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas ueteres prophetias, ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus quibus debebant impleri: & confecit plures libros,

libros,magna doctrina benè fundatos. Horundem in uno quodam,composito Salutis MCCCXLVI, res complexus erat tam mirabiles,ut eas ægrè quisquã esset crediturus: sed earũ complurium euentus iam est uisus. Et quando interrogabatur de bello Anglorũ in Francos,dicebat iam antem uisa nihil quidem esse, præ illis quæ superessent uidenda. Neq; enim fore pacem, neq; finem bellandi ullum, donec regnum Franciæ per omnes undequaq; regiones esset uastatum & exhaustũ: idq; omne est uisum postea ita accidere. Nam nobile regnum Franciæ fuit afflictum, & omni calamitate prostratum,in primis eo tẽpore quod Franciscanus ille denunciarat, scilicet añο salutis 56. 57. 58. supra MCCC.

Porrò uerò de eodẽ,sub finem uoluminis secundi hæc subiungit,dicens:Scribenti autẽ mihi de hoc statu rerũ, quem meo seculo conspiciebã in orbe, & in ecclesia quæ hunc ad modum uacillabat, & de Principibus secularibus qui ita durabant & dissimulabant, redit in memoriam,quomodo in mea iuuentute Papa Innocentius Auinione regnans, in carcere, asseruabat Franciscanum quendam hominem benè eruditum, nomine fratrem Ioannem à Rupe scissa. Iste frater (uti papa aiebat, & ipse referri audiui) pluribus in locis,priuatim tamen,non publicè,propo suerat ac proponebat cõplures antoritates & notabiles collectiones,& præcipuè de aduersis casibus qui ipsius tempore,atq; etiam

post

pòst euenerunt in regno Franciæ. De capti-
uitate Ioannis regis Franciç loquebatur ual-
de planè,& exponebat quædam rationi con
sentanea: scilicet quòd ecclesia adhuc multũ
haberet sufferre, propter enormem luxum,
quem uidebat inter eos qui baculũ regimi-
nis tenebant. Atq; eo ipso tempore,quo eum
uidi carcere contineri, recitabatur mihi ali-
quando in palatio Papæ apud Auinionem,
quoddam exemplum,quod ipse recensuerat
cardinali Hostiensi, qui dicebat ab Arthesia:
& cardinali Auxerrensi,qui eum accesserunt
uisum,& de ijs quę dissereret castigatũ. Itaq;
dũ suas uicissim affert defensiones, id quoq;
addidit simile,q; subijciam. Referebat Ioan-
nes Rupescissanus hoc modo: Cũ aliquando
uolucris in lucẽ prognata esset absq; plumis,
re ad alias aues delata, uenerũt illam uisum:
& quia conspiciebãt esse bene formosam, ac
gratiosam in primis,contulêre super ea con-
silia,quid gratificarentur,quũ sanè absq; plu-
mis neq; uolare,neq; uiuere cõmodè posset.
Voluêre aũt ob insignem formę elegantiam,
omnino ut uiueret: neque fuit ibi auis ulla,
quę de plumis suis aliquid ei non largiretur.
Quo aũt fiebat formosior,eo plus donabant
plumarum: ita ut tandẽ uolucris illa prorsus
esset pulchrè pennata, ac uolare inciperet.
Atque etiamnum dum illam uolantem intu-
entur aues pennas suas elargitæ, magna uo-
luptate adficiebantur oẽs. Volucris aũt illa
cum uideret se adeò opulenter pennatam,
&

& pariter ab omnibus, honorari auibus, cœpit superbire, neq; amplius habere rationem ullam earum à quibus euecta fuerat: imò illas rostro pungebat, uellicabat, & passim infestabat. Tum uerò aues in consilium congressæ, delibe rabant de uolucri illa; quam pennis induerant atq; auxerant, mutuoq; se interrogabant quid factu esset optimum? nam de suo tantum se uolucri illi elargitas, ut iam plus satis auctа, & in superbiam elata, ipsas facilè contemneret omnes. Ibi pauo respondit: Nimium quidem meis plumis exornata est, itaq; easdem repetam. Subijcit falco: Sanè & meas ego repetam. Ac breuiter, eunt istam in sententiam aues reliquæ omnes; incipientes mox unaquæque reuellere, ac sibi uendicare quod plumarum donauerat. At uolucris ista fastuosa ita secum agi uidens, ilico demisit grandes spiritus: & palàm agnouit, omne id quod tenebat bonum, honorem & plumarum cultum insignem, non ab se ipsa profectum, sed per alios sibi donatū aues; quæ editam prius nudam & implumem uti uestierant, ac pennis exornarant, ita & dona sua repetere poterant. Quare supplex ueniam rogauit, pollicens admissa omnia se correcturam sedulò, neq; commissuram ut posthac unquam per superbiā aut luxum plumas perderet. Iterū ergo generosæ aues quæ prius plumas deuouerant, cum uiderent illam ita demissam ac supplicem, commotæ miseratione, omnes quas abstulerant pennas eidem restituunt, his tamē adiectis uerbis: Lubentes quidē te inter nos constantem aspiciemus, tantisper dum in animi

humilitate officio tuo fungi uelis: id quod egregium in primis habet decorem. uerùm hòc planè ita habet, si posthac te in superbiam extuleris, mox plumis omnibus te exuemus, eumque redigemus ad statum, in quo primum inuenimus. Hunc prorsus ad modum (dicebat frater Iohannes) domini Cardinales, uobis eueniet. NAM IMPERATOR ROMANORVM ET ALEMANNIAE, REGES'QVE CHRISTIANI, AC POTENTIORES TERRARVM PRINCIPES, VOBIS DONARVNT BONA, FVNDOS ET DIVITIAS, VT SERVIRETIS DEO: ET VOS EA PROFVNDITIS PER SVPERBIAM, NEQVITIAM ET LVXVM. Quare non legitis uitam S. Syluestri papæ Romani, & uobiscum (uti par est) expēditis, quomodo & qua lege Constantinus Imperator donauerit bona ecclesiæ? Profectò non prodeambulabat per mundum S. Syluester, stipatus ducentis aut trecentis equitibus: sed humiliter se Romæ continebat, & sobriam cum ecclesiasticis solùm suis uitam degebat. Quum igitur Imperator Constantinus ecclesiæ donaret munera præclara multa, & ditiones amplas: certè non aliud habuit consilium, quàm ut iuuaret religionem nostram, & ecclesiam proueheret, atque hæc ipsa bona & ditiones administrarētur in humilitate & iusticia, neutiquam per superbiā & luxū. Sed hodie fit planissimè contrariū, eoque nomine Deus irascitur. Et irascetur quidē aliquando magis etiam, contra eos qui tempore futu-

ro subsequentur: ita quod nobiles qui liberaliter donarant terras, cēsus & ditiones quas possidēt Ecclesiastici, largiri iam, frigidiores effecti, desinant, & fortè etiam prius donata auferant: neq; hîc longè abest euentus. Ita quidem Iohannes Rupescissanus, quem Cardinales Auinione uinctum tenebant, explicabat uerba sua ijs qui intelligere uolebant: atq; eo sanè modo, ut Cardinales sæpè demirarentur. Optabant uerò ipsum è medio tollere, si ullam necis iustā causam inuenire potuissent: sed erat planè nulla. Itaq; uitam concessêre, quàm diu se potuit tolerare: neque audebant è carcere dimittere, quòd argumenta proponeret tam profunda, & Scripturas exquireret adeò sublimes, ut mundum fortè in errorē aliquem abducturus fuisset. At certè interim uisa sunt euenire multa, ut quidā asserunt, qui accuratius quàm ego ipsius uerba obseruarunt, quæ prædixerat, & in carcere conscripserat. Volebat autem cōfirmare quę dicebat omnia, per Apocalypsin: & comprobationes ueræ, quibus se armabat, sæpius ipsum seruarunt, quo minus exureretur. Non deerant quoq; quidam Cardinales, qui misericordia affecti, non erant in ipsum tam seueri, quàm esse poterant. Hæc omnia Froissardus, sub finem uoluminis secundi Chronicorum.

RHYTHMI E' VETVSTO quodam codice descripti, Romanum quendam aduocatū cognomento le Franco taxantes, adeoq; totam sacrosanctam curiam Romanam, depingentes.

Propter Sion non tacebo
Sed ruinas Romæ flebo:
Quoadusq; Iusticia
Nobis rursus oriatur,
Et ut lampas accendatur
Iustus in ecclesia,
Sedet uilis, & in luto,
Princeps facta sub tributo:
Quod solebam dicere,
Romam esse derelictam,
Desolatam, & afflictam
Expertus sum opere.
Vidi uidi caput mundi
Instar maris & profundi,
Vorax guttur Sculi.
Ibi mundi διθάλασσος
Ibi sorbet aurum Crassus,
Et argentum seculi.
ibi latet Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax
Potius quàm nauium.
Ibi pugna galearum,
Et conflictus piratarum
Id est Cardinalium.

Syrtes

Syrtes insunt huic profundo,
Et Sirenes, toti mundo
Minantes naufragium.
Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Informe dæmonium.
Habes iuxta rationem
διδάλκαοσον per Franconem,
Quod ne credas friuolum.
Ibi duplex mare feruet,
À quo non est qui reseruet
Sibi ualens obolum.
Ibi uenti colliduntur,
Ibi panni submerguntur
Byssum, ostrum, purpura.
Ibi mundus sepelitur,
Imò totus deglutitur
In Franconis guttura.
Franco nulli miseretur,
Nullum sexum reueretur,
Nulli parcit homini.
Omnes illuc dona ferunt:
Illuc enim ascenderunt
Tribus tribus Domini.
Canes Scyllæ possunt dici
Veritatis inimici,
Aduocati Curiæ:
Qui latrando falsa fingunt,
Mergunt simul, & confringunt

Carinam pecuniæ.
Iste probat se Legistam,
Ille uerò Decretistam,
Inducens Gelasium.
Ad probandam quæstionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium:
Vti reum prosequatur,
Hic Charybdis debacchatur,
Id est Cancellaria.
Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absq; datis
Gratiani gratia.
Plumbum quod hic informatur,
Super aurum dominatur,
Et massam argenteam.
Aequitatis phantasia
Sedet, teste Zacharia,
Super bullam plumbeam.
Qui sunt Syrtes uel Syrenes,
Qui sermone blando lenes
Attrahunt Byzantium.
Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis
Supinant marsupium.
Dulci cantu blandiuntur
Vt Sirenes, & loquuntur
Primò quædam dulcia.
Frater, bene te cognosco,

Certè

Certè nihil à te posco.
Nam tu es de Francia.
Terra uestra bene cœpit,
Et benignè nos excepit
In portu Concilij.
Nostri estis, nostri, cuius?
Sacrosanctæ sedis huius
Spirituales filij.
Ita dicunt Cardinales,
Ita solent dij carnales
In primis allicere.
Sic instillant fel draconis,
Et in fine lectionis
Cogunt bursam uomere.
Tales regunt Petri nauem,
Tales habent Petri clauem,
Ligandi potentiam.
Hi nos docent, sed indocti:
Hi nos docent, & nox nocti
Indicat scientiam.
Cardinales, ut prædixi,
Nouo iure, Crucifixi
Vendunt patrimonium.
Foris Petrus, intus Nero:
Intus lupi, foris uerò
Sicut agni ouium.
In galea sedet una
Mundi lues importuna,
Camelos deglutiens,

Inuoluta Canopæo,
Cuncta uorat ſicut leo
Rapiens & rugiens,
Hic piratis principatur,
Et Ioannes nuncupatur
Sedens in inſidijs,
Ventre groſſo, lota cute
Grande monſtrum: nec uirtute
Sed rerum emptum uitijs.
Maris huius non eſt dea
Thetis mater Achillæa,
De qua ſæpe legimus:
Imò uerò Carlinorum
Sancta ſoror loculorum,
Quam nos Burſem dicimus.
Nam ſi burſa detumeſcit,
Surgunt uenti, mare creſcit,
Et carina deperit,
Sic à uentis circumlata
Et à ſcopulis uexata
Periculo ſuberit.
Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes ſunt priuati
Tam nummis quàm ueſtibus.
Tunc ſecurus fit uiator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.
Quod ſi uerum placet ſcribi,
Duo portus tamen ibi,

Duæ tamen insulæ,
Ad quas licet applicari,
Et iacturam reparari
Confractæ nauiculæ.
Petrus enim Papiensis,
Qui electus est Meldensis,
Portus rectè dicitur.
Nam cum mare fluctus tollit,
Ipse solus mare mollit,
Et ad ipsum fugitur.
Est & ibi maior portus
Fœtus agri, florens hortus
Pietatis balsamum.
Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradisi thalamum,
Ille fouet literatos,
Omnes male incuruatos
Si posset erigere.
Verus esset cultor Dei,
Nisi latus Elisei
Giesi corrumperet.
Sed ne rursus in hoc mari
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam:
Quia dum securus eo,
Ne submergar, ori meo
Posui custodiam.

FRIDERICVS I. ADRIAno IIII. inter alia.

CArdinalibus uestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non uidemus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ rap ores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores, &c.

Otho Frisingensis.

Sicut ad spiritualem gladium, spirituales quoque possesionis, id est decimæ, primitiæ, oblationes, & alia huiusmodi perinent: sic materiali, omnes terrenæ dignitates, ducatus, ac huiusmodi subiacent. Hoc enim Deus non in una persona, sed separatim in duabus in ecclesia esse uoluit. Proinde sicut illi personæ, quæ gladiũ materialem portat, non licet contingere ea, quę spiritualia sunt: sic & isti ea usurpare quæ huius sunt non conuenit. Vnde & in Euangelio scribitur: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo. Idque Dominus sicut prædicat uerbis, ita factis declarauit, quando tributum pro se & Petro iussit dari. Paulus etiam omnem potestatem à Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum qui tum Ro. cathedræ præfuit, sed flagitiosissimè ex Dei uoluntate super terram Regem constitutum Neronem appellauit.

EX VETERI QVODAM POEmate, cuius initium est, Aurea lux oritur.

Mater Ierusalem, quasi filia sit Babylonis,
Sordet, uilescit, deprimiturq; iugo.
Aspice tot rerum contagia, non reproberis
Cum reprobis, fugias, & reprobanda uide.
Hypocrisim, fraudem, mendacia, iurgia, litem,
Desere, de uita, respue, pelle, fuga.
Consortes Iudæ uendunt patrimonia Christi.
Simonis arte perit spiritualis honor.
Defloret flos Ecclesiæ, languet caput omne,
Membra dolent, pastor deuiat, errat ouis.
Væ regno pueri, quia deficit arte regendi,
Perditur in fatuis pontificale decus.

Hildeberti Episcopi Cenomanensis in Romam distichon.

Vrbs fœlix, uel si dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Alterius cuiuspiam.

Roma tibi quondā suberant domini dominorum,
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.

In peregrinationes ad limina Apostolorum, ex quodam uetusto codice.

Roma uale, uidi: satis est uidisse, reuertar,
Cum leno, meretrix, scurra, cynædus ero.

Aliud

Aliud.

O' Roma, à Roma quantum mutata uetusta est:
Nunc caput est scelerum, quae caput orbis erat.

Ex ueteri quodam Miscellaneorum libro.

Roma manus rodit, nil dantem crimine prodit.
Curia Romana, quasi febris quotidiana:
Clerum corrodit, corrosum spernit & odit.

Incerto autore, ex ueteri codice.

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu malè Roma ruis.
Deseruêre tui tanto te tempore Reges,
Cessit & ad Graecos nomen honorq́; tuum.
Constantinopolis florens noua Roma uocaris,
Moribus & muris Roma uetusta cadis.
Transijt imperium, mansitq́; superbia tecum:
Cultus auariciae te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis:
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.
In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuiq́; tui rura Pelasga colunt.
Truncasti uiuos crudeli funere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Nam nisi te meritum Petri Pauliq́; foueret,
Tempore iam longo Roma misella fores.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LXVI.
Menſe Martio.

HYPOMNEMA,

DE FIDE, OBSERVANTIA, AC BENEVOLENTIA

Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, collectum ex ueris atq; fidelibus historiarum monumentis, à S. S. S.

FRIDERICVS II. IN LIB. I. Epistolarum, Epist. XXXI.

Reuera Imperialis fœlicitas, papali semper impugnatur inuidia.

BASILEAE, PER Ioannem Oporinum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ac Domino, D. GEORGIO Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ, &c. Domino suo clementi,

S. P.

Nemini, Illustrißime Princeps, me ante biennium ad Celsitudinē tuā, ab Illustrißimo Principe D. VVOLFGANGO, *Comite palatino Rheni, &c. agnato Cels. T. ac Domino meo gratiosißimo, misso, Cels. Tuam de alijs rebus quamplurimis mecum benignißimè colloquentem, in hunc quoq; sermonem uenire, ut diceret, optandum esse, hunc laborem à quopiam suscipi, ut ex ueris atq; fidelibus historijs ostēderet, quàm perfide, iniquè, superbè atq; tyrannicè Pontifices Romani cum Imperatorib. Germanicis egissent. hoc etenim, non saltem in-*

ferioris fortunæ homines, à filio isto perditionis alienari: sed & uiros principes, his salubribus exemplis ad diffidendũ homini peccati commoueri. In quo non potui non Celsitudinis tuæ prudentiam, cũ singulari pietate coniunctam, probare. quis etenim, uarijs præstantissimorũ Imperatorum nostrorum casibus, quibus pontificum perfidia ac scelere exagitati fuere, perpensis, de his fugiendis cogitaturus, eosq; ut teterrimas omniũ malorum faces execraturus non esset? Etsi uerò Celsitudinis tuæ oratio cum aliorum piorum sententia atq; iudicio congruens, tunc temporis mihi pergrata esset: non tamen quicquam de eius argumenti tractatione statuere audebam, quòd eas mihi subinde occupationes obijci cernerẽ, quæ eius peramplæ materiæ tractationem minimè ferrent: & quòd pontificiam perfidiam, insolentiam atq; tyran-

tyrannidem tantam esse scirem, ut neque uerbis exprimi, neque ratione ulla ostendi posit. Verumenimuero, dum à tua Celsitudine absui, & hinc inde in uarijs locis multorum bonorum iudicia in eadem sententia cum Celsitudine tua esse cognoui, ita mens mea confirmata est, ut paululum ocij nactus, cùm ex Celsitudinis tuæ, tum aliorum sententia, Hypomnema de perfidia ac tyrannide Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, quàm succinctißimè pertexere aggrederer: hoc obseruato, ut Lectorem ad autores, unde uberior rerum commemoratio petenda est, quasi manu deducerem: nec iustißimo dolori, qui ex indignitate tantorum scelerum naceretur, nimium indulgerem. Quis etenim, nisi natus sit è scopulis, ac nutritus lacte ferino, non doleat, imò toto pectore cohorrescat, legens, pontifices, pie

tate Imperatorum ex latibulis, cryptis, ac specubus, in quibus persecutionum tempore latuerunt, eductos, ac liberalitate eorundem ditatos, Christi ac Apostolorum doctrina neglecta, eò uecordiæ, insolentiæ, perfidiæ, impietatis atque tyrannidis progredi potuisse, ut, Imperatores ac Reges, suos dominos, patronos, ac magistratus post Deum in terris maximè honorandos, conuicijs nefandis proscindere, bellis plusquam parricidialibus prosequi, eos omni scelerum genere, insidijs, ueneno, & proditionibus impugnare, omnibus diris deuotos Imperio priuare, deniq; ipsis in tristissimam seruitutem lecticariorum atq; mulionum redactis, spurcissimos pedes osculandos porrigere, eorumq; uenerandas ceruices ungulis uisinis superbissimè conculcare atq; obterere minimè erubuerint. Sanè cum neminem ita crudelem, ita

ab

ab omni in patriam amore alienum, uel à magiſtratus debita reuerentia auerſum eſſe cenſerem, qui lectione talium uel pauliſper adſuccurrendũ afflictis rebus Eccleſiæ & Reipub. extimulari non poſſet: Hypomnematis huius de perfidia atq; tyrannide Pontificum in Imperatores Germanicos concinnandi laborem alacriter ſuſcepi. In quo ſi quibuſdam iuſtò uehementior atque aſperior fuiſſe uidebor, hi ſciant, non id linguæ petulantia, aut naturæ morbo, ſed rerum ipſarum ratione factum. Nam cum hæ malæ fuerint, quomodo oratio quæ ex rebus naſcitur, naturam earum mutare poterit? Quod apud gentes ualuit, hic quoque ualere neceſſe eſt: nimirum quòd

De peruerſis factis oratio bona eſſe non poßit,

iuxta Sophoclem. Deinde hoc ingenuè fateri non erubeſco, me in ea gen-

te natum, quæ ueritati ac ſimplicitati aſſueta, non auribus hominum, maximé Pontificiorum, ſeruire, uitia eorum fouere, uel mollitie uerborum palliare conſueuerit: ſed quæ ſuis quamque rem terminis circumſcribens, ſcapham ſcapham, ficum ficum (ut rex Macedoniæ Philippus dixit) appellet. Ac ſi hæc ad ueritatis ſcriptionem mihi non ſufficiunt, cogitent, Italicis ſcriptoribus nullam irreuerentiam contra optimos Imperatores & Cæſares noſtros ſatis eſſe potuiſſe. Si itaque propudium ac dedecus deæ Italorum magnæ, rurſus ab Imperij regniq́ Chriſti ſtudioſis, ipſis oſtendatur, neutiquam eis iniuriam factam poſſe uideri: maximè cum ſcri-

Eſaiæ 43. *ptum ſit, Deum reuelaturum propudium ac dedecus effrontis iſtius mulieris, & oſtenſurum gentibus nuditatem, ac regnis ignominiam eius: Nahum 3.*

Et

Et præceperit ad hæc, reddi ei, ſicuti & ipſa reddidit alijs: Apocalypſis 17. Hoc uerò qualecunque Hypomnema, Illuſtriſsime Princeps, Celſitudinis tuæ inſcribere uolui, quòd argumentum eius, oratione Celſitudinis tuæ mihi ſit quaſi ſubminiſtratum: & quòd eam Eccleſiæ ac Reipub. calamitatibus, tyrannide pontificia inuectis, ita affici ſciam, ut quidquid in ijs ſanandis uel auertẽdis præſtare poſsit, in eo nec pietatem, nec uoluntatem eximiam requiri patiatur. Ac, etſi hanc meam compellationem Celſitudini tuæ minimè contrariam fore ſperem: tamen ut eam, tanquam meæ in ipſam ſubmiſſæ obſeruantiæ teſtem benignè admittere atque probare dignetur, etiam atque etiam rogo. Chriſtus Ieſus, æterni patris filius, Celſitudinem tuam ad gloriã diuini nominis ſui, cùm in proſpera ualetudine, tũ uera agnitio-

ne uoluntatis suæ, ac detestatione idolomaniæ pontificiæ, diu saluam, incolumem, florentemq́ conseruet ac tueatur. Data Basileæ, IX Martij, Anno M. D. LXVI.

Tuæ Celsitudinis obseruantiss.

Simon Schardius D.

DE FIDE, AMICITIA AC OBSERVANTIA Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos ὑπομνημάτιον.

CVM multa uariaq; sint, quę Deũ ordinis amantem esse testantur atq; ostendunt: tum uerò illud euidens atq; illustre testimonium suppeditat, quòd, quò ea quibus religio, ueraq; animi in ipsum pietas, uitæq; huius ac ciuilis societatis conseruatio cõtinentur, debito ac legitimo ordine per agerentur, Religioni sacerdotes, Imperio principes ac reges mirabili sapientia inde ab initio multiplicati generis humani præfecit, per proprios actus ac dignitates distinctas, officijs utriusq; potestatis discretis. Etsi enim, qui legis diuinæ promulgationem in ueteri Testamento antecessêre patres, Abel, Seth, Noha, Abraham, Isaac & Iacob, tam sacra quàm Imperium administrasse leguntur: & subsequentibus temporibus apud Aegyptios & alias nonnullas gentes (haud dubiè à patribus memoratis exemplo sumpto) non nisi sacris initiati, reges electi à Platone referuntur; tamen Deus lege per Moysen lata, officia ordinis utriusq; distincta esse uoluit: ac sacerdotes docere, sacrificare & orare: duces cum populo regere, ac custodes disciplinæ & pacis iuxta leges congruentes esse iussit: &

nouo

nouo ſacerdotio in Teſtamẽto nouo,per Chriſtum filium Dei, redemptorem generis humani inſtituto, & ipſe quantũuis Rex & ſacerdos æternus à patre omnipotente conſtitutus eſſet, temporalium adminiſtratione à ſe abdicata,ſola ſpiritualia curanda ſuſcepit:quòd regnum ſuum æternum ac cœleſte,non temporale,mundanum uel politicum eſſet:inq́ eo non corporalia,caduca,fluxa atq; fugacia, ſed æterna atq; cœleſtia beneficia diſtribuenda eſſe ſciret. Itaq; & regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Pilato

Iohan.8. de regno ipſius ſciſcitanti manſuetè reſpondit: nec ſe ueniſſe ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, animamq́ ſuam daret redemptionem

Matth.20. pro multis,dixit. Ac quando turbæ regem temporalem ipſum facere uoluerunt, fugit: petitæ

Iohan 6. hæreditatis iudicium uel diuiſionem recuſauit.

Luc.12. ac non ſolum Cæſari quæ ipſius eſſent, danda

Marc.12. præcepit: ſed & cum didrachma ab ipſo petere-

Matt.17. tur, ne offendiculo eſſet alijs, ſtaterem ex ore piſcis exemptum exigentibus ſoluit. Adhæc, cum diſcipulos ſuos ambitione dominandi ſuffuſos de primatu contendere cognouiſſet, non ipſos,ſed reges gentium dominaturos aſſeuerauit:eò ipſos officij admonens, idq́ à politia ac mundana gubernatione ſecernens.

Ac tandem, poſt glorioſam è mortuis reſurrectionem, eos ad ſacroſanctum Euangelium prædicandum per totum terrarum orbem dimiſſurus, non alia quàm qua ipſe à patre miſſus erat, ratione miſit: mandato hoc innuens. non ad dominandum eos uocatos, ſed ut Euangelij annunciatione, ac legis prædica-

tione

tione æternam Ecclesiam patri colligerent, eum toto corde diligerent, timerent, inuocarent, ac nullis terroribus, odijs uel supplicijs deterriti confiterentur: in inuocatione sedulò, fideliter, constanter, modestè, sobriè ac castè uersarentur: mansuetudinem in offensione, misericordiam in calamitate bonorum, patientiam in afflictione colerent, unitatem Spiritus per uinculum pacis conseruarent: denique sollicitudine rerum corporalium abiecta, paupertatem aliaq; uitæ incommoda placidè ferrent: ita, ut ex ipsorum doctrina & uita Christus glorificetur, Ecclesia crescat, ministeriumq; commendetur.

Et sanè Apostoli, eorumq; successores, ex mandato præceptoris orbem terrarum obeuntes, cùm in alijs, tum in obseruantia discriminis ordinis politici ac sacerdotalis sese ita gessere, ut uerissimi Christi discipuli ac imitatores esse agnoscerentur. Siquidem non solum æternam optimi maximi Dei uoluntatem sine figmentis hominum purè annunciauerunt: sed & Cæsares in terris à Deo secundos, anteq; omnes mortales primos uenerari, dominosq; suos uocare, eisdem tributum pendere, pro eorum salute preces ad Deum fundere, imperata magistratus detrectantibus diuinam uindictã minitari sunt soliti: cùm omnibus negocijs secularibus, tum maximè usurpatione armorum abstinentes: ensem duplicem Ecclesiæ datum ad seruandum uiuificandumq;, non ad occidendum, scientes: tantum abest, ut uel regũ uel principum quenquam, licet impijssimũ, regno pellere,

lere, populum eius sacramento soluere, uel prò principatu cum ipso decertare tentarent: sed asperrimas atque difficilimas persecutiones per annos ducentos & septuaginta, magis fide in Deum firma, ardenti inuocatione, ac gloriosa constantia, quàm frendente impatientia ac uiolenta propulsatione superandas esse existimarent: idq; non sine ecclesiæ Christi incremento ac propagatione. Quando etenim pulchrior, ac suo capiti Christo similior Ecclesiæ facies fuit, quàm cùm post Christi ascensionem discipuli mandata eius adimplentes, & successores ipsorum uestigijs insistentes, primùm per Iudæam, Samariam & Palæstinam Euangelium fideliter ac purè prædicarunt: deinde cum suis synergis ad alias gentes, maximè uerò Romam, orbis terrarum caput, atque in finitimas regiones properantes, in uinea Domini excolenda, à Lino usque ad Syluestrum & Cæsarem Constantinum Magnum, in atrocissimis persecutionum procellis, per ducentos & quinquaginta annos cùm uitæ ac sanguinis effusione, plantando & rigando fideliter elaborauerunt.

At cum diuina misericordia à Constantino Magno Christianorum ecclesijs pace data, episcopi ex latibulis, cryptis ac specubus, in quibus tempore persecutionum latuerant, educti, mundi delicijs ac inutili ocio frui, uitam amœnam ducere, à uia prædecessorum deflectere, ac per uerbi diuini neglectionem & terrenas affectiones Christi ac Apostolorum doctrinam canonibus, decretis, ac cæremonijs uestire, noua dignitatum officia excogitare, Ecclesiam

unam

unam alijs omnibus præferre, discrimenq; ordinis ecclesiastici atque politici conuellere minimè erubuerunt: mox tanta doctrinæ, disciplinæ & ordinis confusio est nata, ut non gregis Dominici pastores, sed lupi rapacissimi: non sacerdotes, sed blasphemi: non rectores, sed eiectores animarum à conspectu Altissimi esse uiderentur. Siquidem non tantum doctrinæ Christianæ syncerita-tem humanis traditionibus mirum in modum obscurârunt, superstitionibus impijs deprauarunt, ac ethnica mortuorum inuocatione, blasphemaq; idolomania impiè polluerunt: & omni honestate ac disciplina conculcata, in omni seductione ac ueritatis oppressione, Sodomiticis fœditatibus, lasciuia, luxuria, impudicitia, scortatione, sacrilegijs, dissidijs, necromantijs, uenefi-cijs, homicidijs, alijsq; sceleribus sua tempora transegerunt: sed & diabolica dominandi cupiditate atque superbia elati, contra diuinum præceptum secularibus negocijs sese implicare, à subiectione regum sese subtrahere, aliena usurpare, falcem proteruam in messem non suam temerè porrigere, utramque personam gerere, iurisdictionem utriusque gladij sibi arrogare, neminem parem; nedum superiorem ferre, alijs ius atque honorem praeripere, regibus imperare atque leges præscribere, Cæsares ut precariò regnantes floccifacere, deuouere, & capite diminuere: principes cum principibus committere, discordias seminare, factiones confirmare: subditos

à fide

à fidelitatis iuramento abſoluere, ac ad illicitam rebellionem ſua improbitate atque aſtutia impellere cœperunt: ita ut poſt conſtabilitam tyrannidem ſuam fraudibus, cædibus, bellis, omniq; ſcelerũ genere Romani imperij maieſtatem maiore ruina, quàm ulli exteri barbariq; hoſtes, ui atque potentia ſua deformarint atq; oppreſſerint.

Nam ne cõmemorem Orientale imperium, Pontificum Romanorum technis ac artibus de ſtructum, initio Græcis per Longobardos Italia pulſis: mox hiſce per Francos, contra Aiſtulphum Longobardorum regem cenſum atq; uectigal à Stephano ſecundo petentem, euocatos oppreſsis: Quis mediocriter in hiſtoriarum lectione uerſatus eſt, quem fugiat, imperio Romano uirtute Caroli Magni à Græcis ad Germanos translato, Imperatores noſtros inauditis technis ac fraudibus, ab epiſcopis Romanis petitos, triſtiſsimis bellis diuexatos, tandemq; ſcelere eorundem Imperij uires inciſas, attenuatas, fractasq; eſſe?

Eſt quidem huius rei commemoratio ita iniucunda ac triſtis, ut lachrymis potius quàm oratione proſequenda eſſe uideatur: tamen cum in eius mentionem noſter ſermo ſit delatus, rem nec ab inſtituto, nec argumento Operis præſentis alienam, facturam me credo, ſi quæ humilitas, obſeruantia, fides ac obedientia Romanorum pontificum erga laudatiſsimos Imperatores Germanicos, qui ipſos ditârunt atq; ornârunt, extiterit, obiter recenſeam.

Vt itaq;

¶ Vt itaq; à Francis, qui primi Imperium à Græcis ad Germanos transtulêre, exordiar: quis est qui nesciat, quantis beneficijs, honoribusque hi sedem Romanam ornârint? Carolus siquidem cognomento Magnus, eam à Desyderio Longobardorum rege durissimè uexatam, Longobardis deletis gloriosè liberauit, ac contra Herigisum ducē Beneuentanorum eiusdem fines defendit: mox quoque Leonem tertium, factione aduersariorum Roma exulantem, sedi Barioneæ restituit.

LVDOVICVS PIVS.

Ludouicus quoque patri Carolo suffectus, ut libri Pontificij memorant, summo Pontificij, eiusq; successoribus Romanam ciuitatem cum ducatu suo insigni liberalitate concesit: ac iura Ecclesiæ & dignitatem constanter, etiam ad superstitionis usq; notam, tutatus est.

Non tamen uel patris, uel filij uirtutis ac meritorum recordatio tanta fuit, ut Gregorij III pontificis improbas machinationes contra Ludouicum reprimeret. Nam bello à filijs contra patrē moto, ipse non (quod pontificis Apostolici fuisset) dissensionem amouit, sed à Ludouico in castra filiorū, pro concordia sarcienda missus ea conditione, ut rediret: Ludouico relicto, in castris filiorū mãsit, ac ueri apostatici instar patricidialem dissensionem iuuit ac fouit: ita ut pater compre

Annonius in historia regum Galliæ. Ioannes Marius Belga in libro de Schismatibus & de concilijs. part. 2. cap. 4.

hensus,ac arctissimæ custodiæ mancipatus, in monasteriũ Suessione unà cum filio iuniore sit detrusus. O insignẽ filiorũ in optimum parentem,ô detestandam Pontificis in pientissimum Imperatorẽ ingratitudinẽ,pari perfidia ac scelere coniunctam. Licet aũt Imperium apud posteros Ludouici aliquot deinde annos manserit:minus tamẽ Pontificum improbitas in ipsos,quàm progenitorẽ Ludouicum,sese exeruit.quòd in hoc unicũ intenti essent,ut potestate, quam Imperatores in ipsis cõfirmãdis habebãt, excussa, facilius eos demum pedibus contererẽt. Atq; id quidem longo tẽpore parturierunt, donec fœtũ editum annò 895 in lucẽ protulêre. Nam eò tempore,Carolo Crasso imperatore ex Italia discedente,ut in Normãnos, qui tum Gallias inuaserant, moueret: Hadrianus tertius hac opportunitate illectus, initio pontificatus sui statim ad Senatum populumq; retulit,ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur,sed Romæ libera semper essent cleri & populi suffragia: hoc decreto Imperatoribus ius omne quod in pontificẽ atq; urbẽ Romanã habuêre,adimens, & successoribus suis maiora attentandi uiam commonstrans. Ac quidẽ exinde deficiente Caroli Magni posteritate,quæ centũ & aliquot annos felicissimè Imperium administrauit, ac ipsis pontificibus de cathedra pestilentiæ horribili rabie inter sese decertantibus, ac se inuicẽ cædib. ueneficijs, omniũq; scelerũ genere

Platina in uita Hadriani III.

genere excutientibus, machinationes ipso-rum in Imperatores conquieuére, donec sub Othone primo rege Germaniæ, improbitatis suæ reiterandæ explicandæque occasionem recepêre.

OTHO MAGNVS.

NAm cum Othone regnante, Ioannes XIII, nobilis q̃dẽ genere, sed morib. turpissimis, sedi Romanę præsideret, Petriq; cathedrã luxu, alea, ganeis, scortationibus, omniq; uitiorum genere pollueret: simul quoq; Berengarius Longobardorũ dux cùm alias ciuitates, tum quoq; Romã durissimè uexaret: Cardinales Epicureã uitã Pontificis, & tyrannidẽ Berengarij grauissimè tulêre, ita ut duo ex ipsis, quibus hęc uel honestatis uel sedis Romanæ nomine, uel odio pontificis præ cæteris displicerent, ab Othone, cuius tunc uirtutis opinio ob Lotharingos, Gallos, Hungarós, Danos, alíósq; barbaricos populos deuictos, eximia & per totum orbem illustrís erat, auxiliũ petendũ statuerẽt. Itaq; cũ aliquot alijs cõmunicato cõsilio, & per literas & legatos Othonẽ rogauére, uti laboranti Ecclesiæ & Reipub auxilium ferret: Berengarij tyrannidem crudeliter in Ecclesias sæuientis reprimeret, & Ecclesiam à tam tetra ac impura belua liberaret. Pontifex his cognitis, ei qui literas scripserat, tres digitos, & Cãcellario suo qui in hoc cõsenserat, nasum amputat. Otho itaq; q̃ minimè Ec-

Theodericus de Nyem in uita Othonis

Luitphrandus Ticinensis lib. 6. rerũ per Europam gestarum, ca. 6. & se uentibus.

clesiá periclitantẽ ꝓijciendá cẽseret, omnib. necessarijs ad bellũ cõparatis, cum quinquaginta millib. militũ in Italiá cõtendit: Berẽgariũ, atq; Adelbertum filium eius, Italia pellit: Romá dehinc properat. Ac etsi ei pontificis facinora notissima essent, tamen reuerentia sedis Apostolicæ, initio nihil durius uel asperius in ipsum statuit: sed ipsum omnib. quæ ei adempta fuissent restitutis, ingẽtibus gemmarum auri & argenti muneribus honorat. Ac data opportunitate colloquendi cum homine, secreto atque amicè, quæ de ipsius flagitijs cognouisset, commemorat: admonẽs, ut in posterum à tam turpibus atq; nefandis abstineat, frugi uitam agat, ac Ecclesiæ ornamento, nõ dedecori sit: sanctimonia uitæ nõ minus pontificẽ, quàm eruditione atq; scientia, commendari. Papa pręsenti Imperatori uitæ melioris saniorisq; spem optimá facit: qua Imperator lætatus, Roma Papiá ad hybernandũ concedit: iureiurãdo tamen prius à pontifice supra corpus Petri, se nunquam Berengario atq; Adelberto auxiliaturũ, accepto. Vix uerò Imperator Roma discesserat, cum pontifex ad pristinum uomitũ rediens, non solum luxui, ganeæ, scortationibus, stupris, sacrilegijs, rapinis, homicidijs, uenefícijs, alijsq; turpissimis flagitijs indulget: sed & iuramenti Imperatori præstiti oblitus, Adelbertum Fraxineto, quò ex Italia ad Saracenos profugerat, ad se euocat, eique contra imperatorem Othonem omne auxiliũ pol-

ſicetur:legatos quoq; contra Othonẽ Conſtãtinopolim mittit. Imperator, cui talis perfidia in Pontifice mira uideretur, hiſce intellectis, non temerè fidem adhibendam cenſet: ſed quoſdam ſuorum Romam, qui rei ueritatem inquirant, mittit. Ijs itaq; reuertentibus, & cùm hæc, tum alia atrociora, uerißima eſſe affirmantibus: Imperator iuſtißima indignatione commotus, Romã denuò contendit. Ac dum iuxta eam caſtra metatur, Io hannẽ pontifice cum Adelberto in Campaniam aufugiẽte, cum omnibus ſuis à ciuibus in urbem honorificè recipitur, fidelitatẽ Imperatori promittentibus: firmiterque iurantibus, ſe nunquam Papam electuros præter cõſenſum imperatoris Othonis cæſaris Augusti, filijq; ipſius regis Othonis. Elapſo itaque ſic Ioanne, atque metu Cæſaris in ſyluis & locis Campaniæ abditis latitante, ac poſt triduum tam clero Romano, quàm populo rogante conuentum, in quo de uita Ioannis inquireretur, fieri: Otho concilium indicit, uocatis ad hoc omnibus epiſcopis & abbatibus Italiæ, quos integros, pios & bonos eſſe ſciebat. Quibus die ſtatuto uenientibus, etſi ſcelera ipſius talia eſſent, ut etiam ex concilij ſententia, nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos latêre putarẽtur: minimè tamen ſententiam in ipſum præcipitandam diuinæ uirtutis Imperator, ſed moderato animo maturoque conſilio procedendum cenſuit. Quare cum archiepiſcopis Liguriæ, Tu

sciæ, Saxoniæ, Franciæ, ad Ioannē literas, in quibus accusationis causæ ac uerba continebantur, mittit: eumq; hortatur, ut ad purgandum se de criminibus obiectis ueniret. Illo uerò ita respōdente, ut autoritatē concilij ab ipso negligi facillimè appareret: simulq; temerariè excōmunicante eos qui alium eligerent: Imperator, grauissima oratione cōcilio exponit, quàm perfidè Ioannes secū egisset, quamq; scelerate uixisset. Eo itaq; audito, unanimi Cōcilij sententia, Ioáne apostata ob improbos mores reprobato, Leo protoscriniarius Romanæ ecclesiæ pontifex electus est. Interea aūt Imperatore milites plerosq;, quos secū duxerat, dimittente, ne multitudine exercitus Romanis oneri esset: reprobatus ille Pontifex hoc cognito, cū non ignoraret quàm facili momēto Romanorum animi mutarentur, quáq; fluxę ac instabilis fidei essent: nuncios suos Romā mittit, ac ut in Imperatorē eiusq; comitatū irruant hortatur: inq; remunerationē ipsis, beati Petri omniūq; Ecclesiarū thesauros pollicetur. Romani paucitate exercitus Cæsarei, & pecuniæ promissione animati, cōspirant, ac buccina concrepāte in Imperatorē insurgūt. At eo super pontē Tyberis, ipsis cū milite intrepido, inq; armis exercitato uiriliter occurrēte: Romani perfidiæ suæ dignas pœnas retulêre. Ita náq; fusi fugatiq; sunt, ut nullū nec sacra nec prophana loca tuerentur, sed tā ab aris q̄ haris sordiūq; receptaculis extraherentur. His

itaq;

itaq; sic peractis, Otho Romanos tanta strage affectos, quietiores fore sperás: Spoletũ, ubi Adelbertũ esse audierat, festinat. At Ioãnes denuò ad solitas artes cõuersus, per meretrices, quibus cũ antè cõmercium habuerat, nobiles plerosq; Romanos ita cõcitauit: ut Ioanne in urbẽ recepto, Leo ægrè manus ipsorum euaderet, & ad Imperatorẽ perueniret. Is ergo Leonis papæ deiectione, ac Ioannis tyrannide, qua in quibusdã puniendis usus fuerat, cognita, exercitũ reparat, iniuriã sibi atq; Leoni põtifici à se instituto illatã ulturus. Verùm dũ in eo occupatur, optimi maximi Dei iudicio, uolentis Ioannẽ mũdo ad exemplũ diuinæ uindictę proponi, factũ est, ut miro genere mortis interiret. Nã cũ quadam nocte, cũ cuiusdam uiri uxore extra urbem sese oblectaret: in tẽporibus adeò à diabolo (quemadmodũ Luitprandus Ticinẽsis memoriæ prodidit) percussus est, ut intra octo dierũ spaciũ ex uulnere sit mortuus. Alij uerò à marito mulieris, qua cũ consueuerat, uulneratũ fuisse scribunt: ita ut animã impuram diabolo, cui seruiuerat, redderet. Etsi aũt hoc monstrum interijsset: non tamen seditio per ipsum mota conquieuit. Nam Romani in eius sublati locum, Benedictũ Quintum subrogárunt: eumq; ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contenderunt. Sed Imperator cum hanc electionem nequaquam probaret, Romanos, id minimè expectantes, à se repulit: eosque flamma & ferro

Platina in uita Ioannis XIII.

omnibus circa urbem uaſtatis, compulit, ut pulſo Benedicto, uel dedito potius, Leonem ſuſciperent, adactos ſacramēto, nil ſe earum rerum immutaturos, quas ipſe Imperator in re pontificia conſtituiſſet. Leo itaque in ſedem Barioneam reſtitutus, Romanorum inconſtantiæ pertæſus, autoritatē omnem eligendi pōtificis à clero populoq; Romano ad Imperatorē trāſtulit: prout habetur diſtinct. 6. c. in Synodo. Et Otho hoc modo rebus compoſitis, in Germaniā rediens, ſecum Benedictum duxit: qui non multo pōſt, dolore animi Hamburgi, apud cancellarium Othonis Adaldagum, archiepiſcopū Hamburgenſem, mortuus, ibidemq; in cathedrali Eccleſia ſepultus eſt.

Platina in uita Benedicti V. Vide etiam Alb. Krātz. lib 4. cap. 9.

OTHO III.

Nauclerus generat. 34. Platina in uita Georg. V. Cuſpinianus, & Theodoricus de Nyem in uita Othonis tertij.

Poſt aliquot deinde annos, ut auo in Imperio, ſic quoque in contentionibus pontificijs ſucceſsit Otho eius nominis tertius. Defuncto namque Ioanne decimoſeptimo, cum ipſe Gregoriū quintum ex iure per Leonem octauum Othoni Magno conceſso pontificem creaſſet: eumque Creſcentius ac populus urbis, ægrè ferentes hominem Germanum autoritate Imperatoris ordinatum eſſe Papam, ſede pontificiali deieciſſent: Ioanne eius nominis decimooctauo, prius epiſcopo Placentino, homine pecunioſo ac erudito, in locū eius ſubſtituto: Gregorius ad Imperatorē in Germaniā profe-

profectus, ac de iniuria ſibi illata cõqueſtus, Imperatorem ita cõmouit, ut copijs coactis urbem peteret, eamq; longa obſidione cinctam ad tantam redigeret neceſsitatem, ut populus Romanus fame coactus, patentibus portis Imperatorem reciperet.

Intromiſſus itaq; in urbem Imperator, cum ſciret eandem ſibi poteſtatem ſcelerati pontificis, quam alterius latronis cohercendi, diuinitùs conceſſam eſſe: initio pontifici capto oculos erui, & manuũ digitos amputari: deinde ſordidis indutum ueſtibus, manibus pedibusq; reuinctis aſino imponi, ac per urbem duci, tandemq; è monte Tarpeio præcipitem dari iuſsit. Creſcentium autẽ conſulem ex fuga retractũ, uili quoq; iumento, uultu ad caudam uerſo, naſoq; cum auribus abſciſſo, ut ſpectaculo eſſet omnibus, impoſitum, ante urbis mœnia in patibulo ſuſpendit. Sic ergo punitis aduerſarijs, non ſolum Gregorius undecimo menſe poſteaquã pulſus fuerat, ſedem priſtinam recuperauit: ſed & optimus ac præſtantiſsimus Imperator ſucceſſoribus commonſtrauit, non manſuetudine pontifices uincendos, ſed ſeueritate cohercendos. Semper etenim quo quiſque Cęſarum placidius erga eos ſe geſsit, tanto petulãtius eius manſuetudine ſunt abuſi, pudendis eos ludibrijs proſequentes: ut id ex ſubſequentibus clarè innoteſcet.

Benno Cardinalis de uita et rebus gestis Hildebrandi

OThonis, de qua diximus, seueritas, in Iohannis perfidia punienda, Pontifices aliquandiu cohibuit, nę cõtra Imperatores quicquam apertè attentarent. Aț Benedictus XI, Pontificatum satanicis artibus ac magicis præstigijs adeptus, tanto audacior extitit, quanto incantator ac necromanticus sceleratior fuit. Namq; defuncto Cunrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto: ipse habito consilio cũ familiari suo Laurentio, & alijs suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Cunradi Henricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia diuersa schismata seminare. Misit igitur coronam Romani imperij Petro regi Vngariæ, cum huius uersiculi inscriptione:
Petra dedit Romam, Petro tibi Papa coronam.

Sed Imperator duce Lotharingiæ Godfrido, uiro fideli & bellis strenuo, & inter regni principes clarissimo, ad oppugnandũ Petrum misso, eum primo conflictu cępit: & ut digna factis tanti schismatis autori Theophylacto redderet, Romá uenire constituit. Quo audito, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, timore perterritus, uendidit papatum complici suo archipresbytero ecclesiæ sancti Ioannis de porta Latina, magistro Hildebrãdi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus est sextus Gregorius. Quia

Quia uerò eò tum Pontificatus deuenerat, ut qui plus ambitione & largitione ualeret, is tantum dignitatis gradum bonis reiectis & oppressis retineret: & plures per posticum ut fures & latrones, quàm per ostium ad sacerdotium intrarent: ideo eisdem diebus, prętet archipresbyterum Ioannem Gratianum, scelerum sedem conscendit Ioannes Sabinensis episcopus, qui mutato nomine dictus est Syluester tertius: & factum est, ut Romana ecclesia in partes diuersas scinderetur. Decertantibus itaque de Papatu Benedicto nono, Syluestro tertio, & Gregorio sexto: Henricus cognomento Niger, patri Conrado succedens, rebus per Germaniam constitutis in Italiam cū exercitu contendit: ac habita synodo, Theophylactum in fugam coegit: Gregorium in custodiam reclusit, ac postea cum Hildebrando in exilium in Germaniam misit, ac Sabinensem episcopū ad sedem propriam redire compulit: Syndegero Bambergensi episcopo, cui Clemēti secundo appellatio fuit, in locum monstrorum istorū suffecto, ab eoq; accepta Imperij corona, Romanos in uerba sua iurare compulit: pontificum electioni nequaquam se interfuturos, nisi id iussu Imperatoris ipsis concederetur. Videbat enim optimus Imperator, eò licentiæ factiosum quemque & potentem, quamuis ignobilem, deuenisse, ut corruptionibus ac scelere tantam dignitatem consequeretur: quæ nisi sanctitate & doctrina

Benno, Platina in uita Syluestri III. et Gregorij VI.

doctrina benè meritis,uolēte Deo, cuipiam mandari deberet. Adeò uerè hic mos iam inoleuerat, ut cuique seditioso & scelerato liceret Petri sedem inuadere,ut abeunte Imperatore,Damasus secundus,natione Bauarus,ueneno in hos usus parato, Clementem sustulerit: quem uirtus dare consueuit Episcopatum,scelere comparaturus. Sed obstitit DEVS,iustus uindex: tertio & uicesimo die inuasi pontificatus, ipsum ad tartara detrudens.

HEINRICVS QVARTVS.

ETsi uerò iam inde à tempore Caroli Magni Pontifices dominandi libidine accensi, uarijs artibus atq; insidijs Imperatores oppugnârint, nihilq; attentatum reliquerint,ut autoritate Imperatorum conculcata, impunita rerum omnium libertate potirentur: tamen malicia, impietas, atque perfidia ipsorum cum diabolico fastu coniuncta, maximè sub Gregorio septimo sathanico monstro torrentis instar exundauit, imperijque maiestatem fatali ruina prostrauit.
Benn. Nam hic scelestus, cum post sex pontifices, arte sua ueneno necatos, Alexandro magistro, quem sede pontificia ob imploratum Imperatoris auxilium deiecerat,successisset, minimè memor Heinrici Nigri beneficij,qui ipsum æterno carcere ab omni hominum societate separandum, è custodia, in quam cum Gregorio sexto (ut diximus) damnatus

tus

tus erat, benignè dimiſerat, atque ſeruârat: ſed cùm armis Nortmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam atq; Campaniam, quas ui occupârant, debachabantur: tunc etiam opibus Mathildę mulieris potentiſsimę confiſus, atq; occaſione difficillimorum bellorũ, quæ tunc Imperatori uix decimũtertium annum egreſſo, cum Saxonibus infenſiſsimis hoſtibus intercederent, inuitatus: & perfidia epiſcoporum Germanorum, quos impoſtor diabolicus arte ab Imperatore alienârat, adiutus: primus contra morem maiorũ ſine conſenſu Imperatoris, antea ſemper in pontificum electione interponi ſolito, Pontificatum inuaſit. Ac ne ab Imperatore reliqui epiſcopi atq; abbates ſui confirmationẽ peterent, decreto ſub excommunicationẽ edicere, ſe non ſolum in cœlo ligare & ſoluere, ſed in terra quoque imperia, regna & principatus auferre & dare poſſe: impudentiſsimè iactitare, ac temporalem ſupremamque iuriſdictionem lege lata uſurpare, Reges atq; Auguſtos ut precario regnantes floccifacere, nuncios Cæſareos conatibus ipſius refragantes in uincula conijcere, ac per urbẽ ignominioſè circumductos Roma pellere cœpit.

De hac Mathilde, qualis & cuias fuerit, uide Albertum Krantzium lib. 5. Saxoniæ, capite 13.

Formula decreti extat, c. ſi quis deinceps.

Henricus itaq;, etſi difficillimo bello Saxonico diſtineretur, tamen nouam atque inſolitam pontificis audaciã minimè ferendam ratus, concilium Vuormatiæ indixit: in quo legatis, qui Roma uenerant, auditis,

&

& literis de Hildebrandi ſceleribus lectis, præter Saxones, omnes epiſcopi Germani & Galli pontificem Hildebrandum (cum primus ſine conſenſu Imperatoris Romani, rerum Domini à DEO conſtituti contra morem maiorum, contra leges, contra auſpicia, pontificatum maximum monachus deſertor inuaſerit, utrumque, & Imperium & Pontificatum, ſicut Decij, & falſorum deorum cultores factitare conſueuerunt, uſurpet) Pontificatu abdicandum, nec oues lupo committendas, decernunt: Rolando quodam clerico Parmenſi cum epiſtola, quę concilij ſententiam complectebatur, Romã miſſo, ut nomine ſynodi Gregorio pontificijs officijs interdiceret publicè: præciperetq; Cardinalibus, ut relicto Gregorio, aliũ pontificem habituri ad Imperatorem proficiſcerentur. Cæſar quoq; & Hildebrando, & ſacerdotibus populoq; Romano ſcribit, imperans ex concilij decreto, ut ille ad priuatam uitam redeat: hi, deſerto Hildebrando, more maiorum paſtorem ſibi deligant.

Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeò nihil commotus eſt, ut & furioſius exarſerit, multoq; inſolentior euaſerit. Nam cum antè quoſdam Imperatoris familiares excommunicaſſet, quorum conſilijs eum ad tales actiones impelli exiſtimabat, Cæſarem iam ipſum, in conciliabulo ſuo, contra ordinem iudicandi ſacris canonibus determinatũ, nouo exemplo excõmunicat;

pro-

proſcribit,regia dignitate priuat,regno ſpoliat, ſubditos à dato iuramento abſoluit. Veruntamen, ut primùm ad excommunicandum Cęſarem de ſede ſurrexit,ſedes iſta nouiter lignis fortiſsimis compoſita,ſubitò Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: ut manifeſtè daretur intelligi,quòd tam temeraria excommunicatione ſeſſor ille horrenda ſchiſmata contra Chriſti eccleſiam ſeminaret.

Formula abrogationis extat apud Platinam in uita Gregorij VII.

Benno.

Nec uerò hæc fulmina penitus cæca & irrita fuêre. Principes etenim atq; epiſcopi Germani, Pontificis anathemate cognito, partim ſuperſtitione uana,partim ſpe amplificandę potentię, partim odio antiquo Heinrici adducti, comitijs indictis, ni Heinricus à Pontifice in Germaniam uenturo,ſupplex ueniam peteret, defectionem minitantes: rem eò deduxêre, ut ipſe in anguſtijs poſitus, atque in periculum abrogationis Imperij ueniens, ſe pontificem aditurum, culpamq; deprecaturum, principibus polliceretur.

Itaque poſitis regalibus ornamentis,cum uxore ac filio paruulo, in aſperrima hyeme Canuſium periculoſiſsimo itinere ad Papá contendit,in laneis ueſtibus,pedibus nudis, ſpectaculum angelorũ & hominum factus, ante portas ciuitatis, à mane uſq; ad ueſperá ieiunus ueniam ſupplex petit: Hildebrandi ludibria inter meretrices & monachos, in lachrymabili afflictione triduum perfert,cupiens

Benno.
Naucleri generatione 36.
Vrſpergenſis.
Platina in loco antè citato.

piens ad illum intromitti. Sed ingressus denegatur. Petenti instantius per totum triduum, respondetur: Pontifici non esse adhuc ocium colloquendi cum eo. Heinricus æquo animo ferens, se non intromitti in urbem: mansit in suburbio, non sine magna incommoditate. hyems namque erat asperrima, & cuncta rigescebant gelu. Indesinenter tamen nequicquam toto triduo petens sibi ueniam dari: tandem rogantibus Mathilda comitissa, Adelao comite Sabaudiæ, & Cluniacense abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die, in signum quòd ueraciter pœniteret, pontificiæ potestati coronam tradidit, cum omnibus Imperatorijs insignijs: fateturq; se indignum fore Imperij titulo, si eadem posthac in Pontificem designaret, quæ antea commiserat. Postulanti ueniam, Pontifex neq; ueniam dare, neq; ab excõmunicatione absoluere uult, nisi prius reciperet, se iuxta Põtificis decreta uelle culpam cõmissam expiare in Cõcilio, & quouis loco & die à Pontifice indicto præstò esse: & ipso pontifice causæ cognitore, ad accusationes respondere, nec ad uindictam intendere animum. item ad pontificis sententiam (etiã purgato se ab obiectis) regnum uel retenturum, uel amissurum. Item, ante cognitionem causæ nolle regio habitu uti, aut regia insignia sumere: nec gubernandi potestatẽ usurpare, neque à subditis data fidei iuramenta exigere. Promissa uerò Pontificij

ista

ista obedientia, paceq; iureiurando & scripto confirmata, Heinricus absoluitur ab anathemate.

Verùm cùm pontificij hanc iniuriam atque tyrannidem se minimè impunè laturos, Heinrico quiete data, perspicerent: nouo consilio de eo exautorádo inito, Rudolpho Sueuiæ duci, Heinrici sororio, coronam auream, quo seq; resq; suas tutiores redderent, cum hac inscriptione misêre:

Vide Helmol in capud 28. et 29. in Chronicis Sclauorum.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Et Gregorius Moguntino & Colonensi episcopis præcepit, ut Rudolphum, Heinrico deserto, regem inungerent, atq; pro uiribus iuuarent. Etsi autem Rudolphus non solum Imperatori fide obstrictus, sed & Mathildi eius sorore in uxorem ducta, affinitate iunctus, deniq; ab eo post obitum Otthonis Sueuiæ ducatu donatus, maximisq; beneficijs affectus esset: tamen & Episcoporum speciosis argumentis impulsus, & fretus sua potentia, atq; auxilijs Saxonum, Imperium inuasit, bellumq; quanta ui potuit molitus é.

Cæsar itaq;, qui de hoc per Argentinensem episcopum admonitus, ad tuendum Imperium copias contraxerat, & sibi nihil ab omni parte tutum uideret, mox Rudolpho occurrit, atq; de summa rerum, pugna cum ipso cõmissa, experitur. Cuius exitus is fuit, ut Papa suis metuens, utriq; pacem mandaret: Synodi, quam in Germania indicturus esset, sententia expectata. Verùm cum Hein

ricus inſtitutum pontificis eluderet, dicens, Se minimè permiſſurum conuentum in Germania agi, niſi prius Rudolpho remoto: Pontifex, ne penitus Rudolpho deeſſet, excõmunicationem in Heinricum renouat, & literas furoris plenas in ipſum emittit. At is minimè ijs fractus, tertiò ad Elyſtrum Myſiæ cũ Rudolpho congreſſus, eum prælio ſuperat, anno milleſimo octogeſimo, Idibus Octobris.

Execrationis tenor habetur apud Platinam.

Rudolphus grauiter in eo conflictu uulneratus, ex exercitu ereptus, perlatus eſt Merſeburgum: eoq; ad ſe iuſsit accerſi Epiſcopos & primores ſuæ conſpirationis. Quò cum ueniſſent, Rudolphus allata dextra, ex cuius uulnere mortẽ adeſſe maximè præſenſit, ait: Hæc eſt manus, qua ſacramentum præſtiti domino meo Heinrico. Vobis aũt urgentib. toties tam infeliciter contra eum pugnauit. Ite & implete regi ueſtro primã fidem: nam ego ad patres ibo. At Heinricus ſuperato Rudolpho, ſilentibus tunc nonnihil armis in Germania, iniuriarum à pontifice Hildebrando illatarum non immemor: & irritatus non parum, q̧ ſe bis excõmunicatum regno priuauerat, reconciliationẽq; ſibi ſupplici toto triduo denegauerat in aſperrima hyeme: necnon Imperij æmulũ contra ſe arte excitatum adiuuerat, apud Brixiam Noricæ, ſynodum epiſcoporum Italię, Lombardię & Germaniæ indixit. Quò omnibus conuenientibus, & actis Hildebrandi examinatis, Epiſcopi

Abbas Vrſpergenſis fol. 238. Teſtatur autem hoc colloquium Rodolphi & epiſcoporum, Heinrici innocentiam, et epiſcoporum πολυπραγμοσύνην.

ſcòpi conſentiẽte ſuffragio: Quia (inquiũt) non à Deo electum illũ conſtat, ſed à ſeipſo in fraude ac pecunia impudentiſsimè obiectum, qui eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animę intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiam, &c. nos autore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti XIX epiſcoporum, die 8 Pentecoſtes Moguntiæ congregatorũ contra Hildebrandum eundem procaciſsimè ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria ac incendia defendentem, diuinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à uera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum: & niſi ab ipſa ſede, his auditis, deſcenderit, condemnandum. *Abbas Vrſpergenſis loco citato.*

Poſt hæc Imperator motib. in Germania qualitercunq; ſedatis, cum exercitu Romam contendens, anno Domini milleſimo octogeſimo primo, caſtris ante caſtellũ diui Petri poſitis, crebris incurſibus Romanos ita infeſtat, ut pacem petere, & ſibi portas urbis aperire cogerentur, pontifice cum ſuis præſidijs in molem Adriani ſe recipiente: in qua obſeſſus, ipſe maiori perfidia ac dolo Imperatorem, quàm Imperator ipſum ui, mira audacia oppugnat. Nam cum Heinricus frequenter eccleſiam S. Marię, quę eſt in monte *Abbas Vrſpergenſis.*

Auentino, adiret: hic promiſſa pecunia Hildebrandus quendã induxit, ut ſupra trabes eccleſiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto ſuper orantis Imperatoris caput deciderent, ipſumq; contererent. Quod miniſter tanti ſceleris cum feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare uellet, lapis pondere ſuo eum traxit: & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & miſer ille homo, Dei iudicio in pauimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus eſt. Huius itaq; rei geſtæ ordinem poſtquam Romani cognouerunt, pede illius miſeri fune adſtricto, eum triduo per plateas urbis raptârunt. Adhæc, ne Rudolpho ſublato miſera Germania reſpiraret, efficit, ut Saxones Hermannum Lotharingiæ Lucelburgicæ principem, Imperatorem Islebij ad Herciniam crearent: qui diuinitùs in oppugnatione cuiuſdam arcis ſaxo à muliercula è muro præcipitato cum alijs oppreſſus, miſerabiliter interijt.

Abbas Vrſpergenſis. Helmoldus cap. 30. hiſtoriæ Sclauonicæ. Krantzius et alij innumeri.

Nec uerò adhuc immaniſsimi tyranni Hildebrandi malicia cõquieſcere poterat, quin tertium aduerſarium optimo Imperatori excitaret, Ecbertum nempe Saxoniæ marchionem: ſed & is debitas rebellionis pœnas exoluit. Nam quinto pòſt anno in molendino prope Brunſuuigam à ſatellitibus Heinrici circumuentus, & occiſus eſt miſerè. Hildebrandus itaque ſocijs ſuis in Germania profligatis, cum in mole Adriani conclusus, con

Huius Ecberti marchionis Saxoniæ ſoror fuit Mathildis, de qua ſuperius aliquoties mentio eſt facta.

Auentinus, ubi ſuprà.

ſpectum

ſpectum Cæſaris reformidaret, pacis tractatione ſimulata, fugaq; ornatu diſsimulato, Salernum ad Nordmannos turpi deſertione euadit.

Cæſar mox procerum atq; epiſcoporum ſenatu coacto, more maiorum pontificialia comitia habet: In quibus Hildebrandus, tanquam fur ac latro, ueluti perfidus transfuga, ouium deſertor, gregis proditor, Chriſtianæ charitatis oſor, omnium conſenſu abdicatur. Ac Guibertus Rauennatenſiũ archi epiſcopus concordiæ ac pacis ſtudioſus, uir bonus ac eruditus, Epiſcopus eligitur, qui mox à clero nomine Clementis tertij inauguratus anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo octogeſimoquarto, Cæſarem cum Bertha uxore conſecrat, & Auguſtos acclamante populo ſalutat. Hildebrandus autem interim, ſiue conſcientia ſcelerum, ſiue mœrore extorris aris & focis Salerni decedit.

Mors Hildebrandi.

Hac tanta face bellorũ extincta, minimè tamen rabies aliorũ pontificum conquieuit, ac pax orbi & maieſtas Imperio eſt reddita. Siquidem Vrbanus poſt Victorem ſecundũ paucorum dierum pontificem, factione Hildebrandina ac maximè Mathildæ fauore à Nordmannis Garſtungi in pontificatum intruſus, cum ab Imperatore ac maiori procerum parte irreligioſitatis accuſatus, ac in impiorum numerũ relatus, diu ſine lare ac ſine grege oberraſſet, ita artificioſè ſcelerũ telam ab Hildebrando inchoatam pertexuit, ut &

Benno.

pro Vrbano Turbanus diceretur, & magiſtrum Hildebrandum longiſsimè ſuperare uideretur.

Abbas Vrſpergenſis. Auentinus, et Naucler.

Nam cum alijs nocendi artibus Heinricũ petere non poſſet, Hildebrandi peſtilentiſsimi nebulonis acta rata firmaq; eſſe iubet: ac filium Heinrici Conradũ ex prima coniuge natum, quem pater Italiæ pręfecerat, in eum parricidialiter cócitat, data illi Rogerij Nordmanni uxore Mathilda, eiusq; auxilio Clementem tertium à patre Pontificem conſtitutum ſede pellit. Et mox utroque, Vrbano atq; Conrado ſublatis, Paſchalis ſecundus, ne à prędeceſſoribus ſcelere ſuperatus eſſet, nec quid ſpacij Heinrico ad ſe colligendum relinqueretur, Vrbani exemplo anathema Gregorij in Heinricum IIII promulgatum, Romæ in ſynodo renouat, & confirmat: & alterum filium Heinrici, patri cognominem, quem iureiurando adactum, ſe nunquam à patre defecturum, principes Aquiſgrani Cęſarem conſalutârant, ad parricidialem rebellionem impellit: eiusq; Saxonum uiribus ſuffulti opera rem eò deducit, ut uir fortiſsimus & maieſtatis Imperij uindex acerrim⁹, longis certaminibus & crudeliſsimis exagitationibus paparum defatigatus, cum Moguntiam ad comitia iret, in itinere per inſidias contra fidem publicè datam à filio Henrico caperetur, & inſignijs imperialibus, & corona Cæſarea per Moguntinum, Colonienſem & Vuormacienſem epiſcopos contra uo-

Vide Krantzũ li. 5. c. 22. Vrſpergẽſem, fol. 262. Helmoldum in annalibus Sclauorũ, lib. 1. cap. 32.

uoluntatem priuatus, Leodium custodiendus mitteretur: ibiq; mœrore consumptus, uitam miserabili fine clauderet.

Adeò autem Pontifices in fortissimum Imperatorem irreconciliabile odium conceperant, ut non satiari crudelissima exagitatione uiuentis potuerint: sed hyęnarum instar, immani rabie etiam in cadauer defuncti sæuierint. Nam cadauer ipsius in monasterio Leodij humatum, à loci eius Episcopo effodi, & absque ullo sepulturæ honore, in loco prophano inter alia cadauera reponi iusserunt: quòd, quibus uiuis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare posit. Ac deinde Leodio in sarcophago lapideo Spiram translatum, per totum quinquennium honore sepulturæ caruit.

Vide Krantzium lib. 5. Abbat. Vrspergensem: fol. 264. Heinricum Mutium lib. 17. Chronicorum.

HEINRICVS QVINTVS.

NEque uerò Heinricus Quintus, cum falsæ persuasionis fascino inductus, patri cum uita Imperium parricidialiter eripuisset, aliam quàm pater pontificum beneuolentiam fidemq; sensit.

Siquidem cum Romam ad Imperialē coronam accipiendā profectus, ius imperiale in conferendis episcopatib. abbatijs & prælaturis repeteret: Pontifex omnis officij accepti immemor, constanter id denegat. Tumultu uerò inde exorto, ita ut Pontifex unà

cum quibusdã caperetur, & ad montem Sora-
ctem, quẽ nunc S. Syluestri uocant, abdu-
ceretur: Paschalis euocatis ex urbe notarijs,
pacta & priuilegia antiqua Imperatorum de
creatione & inuestitura pontificis & episco-
porum tandem confirmat & innouat, & con-
trà ab Imperatore amplissimis donis orna-
tur. Sed iusto Dei iudicio Heinrici peccatũ
uindicantis accidit, ut quam ipse parenti fi-
dem non seruasset, nec ipse in alijs experire-
tur: & quibus ipse patre deserto se coniun-
xisset, hos hostes crudelissimos sentiret. Nã
mox ubi ille anno 1116 in Germaniam redijt,
Papa ingenti symmistarum synodo coacta, &
peccato, quod remissione istius priuilegij cõ-
misisset, deplorato, Gregorijq; septimi decre-
tis confirmatis, omnia post longã discussio-
nem mutat atque inuertit: ac Imperatorem
more iam recens orto excõmunicat. Ea res
multos Germaniæ principes, inq; his maxi-
mè Moguntinum, ad rebellionem cõmouit.
Cæsar itaq; ad Pontificem legatis missis, de
pace actionem instituit: sed ea morte Ponti-
ficis abrumpitur. Ab eius obitu cum Gela-
sius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Cæ-
sare non interpellato, Imperator nullam sui
rationem habitam esse molestè ferens, mox
Romam uenit, & Mauritium Bracharensem
archiepiscopum Papam constituit; Gelasius
uerò deiectus, Cæsarem abeuntem unà cum
Papa nouo deuouet: & per Germaniam
legatis missis, exemplo prædecessorum sub-
ditos

c. Adrianus. c. In synodo, 63. distinct. c. inter nos.

c. Si quis. c. constitutiones. 16. q. 7.

ditos ad defectionem hortatur. Quare Heinricus rebus suis metuens, in Germaniam reuertitur. Tandem mortuo Gelasio, cum qui in eius locum suffectus erat, Calixtus secundus deturbasset Antipapam ab Heinrico (ut diximus) constitutum: & Heinricus potentiam Papæ Nordmannorum uiribus suffulti crescere, seque ijsdem artibus, quibus pater euersus fuerat, peti uideret: anno Domini 1122, Apostolicæ sedis legato Lãperto, qui postmodum summus Pontifex factus, Honorius est dictus, allaborãte, ita conciliatur Papæ, ut Imperator inuestiturã omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Ecclesijs fieri electionem, ac liberam consecrationem: & regalia ablata, si quæ haberet, restitueret: aut certè, ut restituerentur procuraret.

Vrspergensis fo. 271. Naucgen. 37. Frisingensis lib. 7. cap. 16. Cuspinianus in uita Heinrici V.

Pontifex rursus concessit electionem episcoporum & abbatum in præsentia Imperatoris fieri, sine uiolẽtia: ita ut electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc est facta Vvormaciæ, nono Cal. Octob. anno M. D. XXII.

Sed etsi Heinricus fractus anathematum diris, rapacitati pontificum cesserit, ac tyrannico pontificum iugo cum perpetuo Reip. dedecore atque incommodo collum submiserit: pace tamen optata frui non potuit, nouis turbis & in Belgico & in superiore Germania excitatis. Ad quas sedandas cũ Tra-

iectum proficifceretur, in morbum incidit: quo mortuus eft, fine liberis penitùs. quod tunc pleriq; non immeritò ratiocinati funt, effe pœnam Dei: propterea quòd ille parum rectè fecundum Dei mandatum, tum coluerat optimè de fe meritum patrem.

LOTHARIVS SAXO.

HEinrico extincto, etfi Germania mutuis inter fe uiribus collifa atque eneruata effet: in hoc tamen Pontifices incubuêre, ne uires colligeret, atque à bellis ciuilibus refpiraret. Quare poft obitũ Heinrici, Cunrado Sueuiæ duce, ex Heinrici quinti forore nato, ad Imperium afpirante, ei Lotharium Saxoniæ ducem, quo antea in opprimendo Heinrico Quinto auxiliatore ufi fuerant, arte archiepifcopi Moguntini Alberti, oppofuêre. Ac cum Cunradus iugo Septimi montis tranfcenfo, à Mediolanẽfibus honorificè fufceptus, & ab eorum archiepifcopo Anfelmo Modoeciæ, fede Italici regni, rex unctus effet: Honorius pontifex, qui Lothario faueret, ac familiam Heinrici imperatoris oppreffam cuperet: Anfelmum, quòd Imperatorem coronaffet, depofuit, ipfumq; ex Italia anathematis fulmine expulit: ita ut propter diffenfionem ac factionum ftudia auxilijs Germanicis nudatus, fpem omnem regni abijceret, Lothario fibi per interceſsionem Sancti Bernardi Claræuallenfis reconciliato,

Otho Frifingenfis lib. 7. cap. 17. Nauclerus generat. 38.

Lotha-

Lotharius ergo ſolus rerum potitus, cum inſigni obſeruantia pro Saxonica ſimplicitate Romanam ſedem coleret, de ea benè mereri non deſtitit. Nam cum Innocent. II, qui Honorio in Pontificatu ſucceſſerat, ab Anacleto Antipapa & Rogerio duce Apuliæ pulſus, ad eum pro reſtitútione Leodium ueniſſet: Imperator eius precibus acquieſcẽs, magno cum exercitu eum ſedi Barioneæ reſtituit.

Veruntamen nec officijs, nec potentia eius, pontificia auaricia frangi molliriúue potuit. Nam cum Lotharius Imperator à Pontifice renunciatus, uetera Imperatorum iura in conferendis Epiſcopatibus ac Abbatijs ſe repetiturum oſtendiſſet: Pontifex ea inunca ta harpyiæ inſtar, non ſolum ſibi minimè eripi paſſus eſt: ſed & ijs quæ Lotharius ſiue Bernardi Claræuallenſis, quem ſecum Romam duxerat, perſuaſione, ſiue metu maiorum motuum ſedi pontificiæ remiſsis, & alia quoque inexplebili cupiditate adijcere ſtuduit. Siquidem cum Lotharius, pulſo Rogerio Apulo, ducatum Apuliæ comiti Raynaldo exercitus ſui duci contuliſſet, de iure dandi ducatum Pontifex tanta cõtentione cum ipſo diſceptauit, ut cũ neuter alteri totũ ius cedere uellet, cõtrouerſia tandem hac ratione dirimenda fuerit, ut uterq; manum apponeret uexillo dando nouo Apuliæ duci, quo declararetur utriq; ius eſſe donandi ducatum Apulienſem. Idne Chriſti, Pauli, aliorumq;

Nauclerus generatione præallegata, hoc factum eſſe Leodij ante Italicã profectionem ſcribit.

Vrſpergenſis.

Otho Friſingẽſis, & Nauclerus, locis præallegatis.

rumque Apostolorum doctrinæ congruum, Episcopos minimè de dominando cogitare, Regibus honorem deferre, negotijs sęcularibus minimè implicari, denique beatius esse dare quàm accipere, uolentium ? Verùm cum iamdiu Christi Apostolorumq; doctrina neglecta ac penitus irrisa, Romana sedes imperare, quàm imperio subesse, honorari, quàm debitum honorem magistratui deferre, ac rapere, quàm dare, gloriosius ducat, hæc alijs prædicentur, ac interim Romanistæ uesana sua libidine ferantur.

Radeuicus lib.3. cap. 10

Porrò, ut Lotharij Imperatoris omni laude dignissimi in sedem pontificiam obseruantia, cum insigni bonitate ac moderatione coniuncta tunc temporis emicuit: sic proterua ac abominabilis Romanistarum malicia ex humilitate, seu potius superstitiosa religione Imperatoris tunc intrepidè sese exercere cœpit. Nam cum ille coronam accipiendo sese ad pedes pontificis abiecisset: Romanistæ, ut in præiudicium aliorum Imperatorum id contorquerent, & ad posteros in star trophæi de hoste deuicto transmitterēt, post eius discessum in palatio Lateranensi picturam cum huiusmodi inscriptione posuerunt:

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Hoc ipso & animi sui proteruā superbiam in Imperatore contēnendo prodētes: eiusq; re-

rerum gestarum magnitudine clarissimi, lau des fœdissimè obscurantes: ut qui cum Polonorum ducem sibi tributariũ fecerit, Pomeranos ac Rugios subiecerit: regẽ quoq; Daniæ ut ensem sibi sub corona deferret, ad decorem Imperialis dignitatis cõpulerit, Cremonenses subiugarit, Papienses, Bononienses atq; Taurinos deuictos in formam prouinciæ redegerit, Rogerioq; Apuliæ duce eiecto amplissimas in ea regione urbes expugnârit: Papæ tamen uilissimi mancipiũ fuerit. Quid enim Papæ hominẽ fieri aliud est, quàm eius mancipium uel seruũ esse? O egregios seruos seruorũ, quos ipsi Imperatores dominos agnoscere & colere coguntur.

Cuspinianus in uita Lotharij Saxonis.

Nauclerus generatione 38.

CVNRADVS III.

LOthario, dum ex Italica profectione secunda domum rediret, prope Tridentum rebus humanis exempto, in Imperio successit Cũradus dux Sueuiæ: is, quem Honorij pontificis maleuolẽtia, Imperij culmine deiectum, eq; Italia pulsum fuisse retulimus. Etsi aũt post obitum Lotharij, Confluentiæ à principibus Imperij rex Romanorum, præsente Theodorico cardinale, legato Innocentij secundi, eoq; assensum præstante, electus sit: nõ tamen assensum sperata põtificis beneuolentia est subsecuta. Nam cum Rogerio Apuliæ duci, à quo cũ aliquot Cardinalibus in pugna captus fuerat, Apuliam tum titulo regio, quò ex custodia liberaretur;

Cuspinianus in uita Cunradi.

Nauclerus ex Antonino et Godfrido gen 38. tur, contulisset: nec Cunradus id in præiudicium Imperij factum, ratum firmumq; habere uellet: Nocentius cũ Rogerio sentiens, Guuelfonem Bauariæ ducem, Cunrado regi, ob id quòd fratris Heinrici Superbi ducatum ab ipso adipisci nequiret, rebellem, pecunia Italicoque exercitu iuuit: ut Imperator suis defendẽdis occupatus, de Sicilia Apuliaque recuperandis cogitationes abijcere cogeretur. En insignem Pontificis beneuolẽtiam in Imperatorẽ, eius cupiditatibus in imperij detrimẽtum assentiri nolentẽ. Et *Nauclerus generat. 38. & generat. 32.* hoc tẽpore ferales Gibellinorum atq; Guelforum factiones, de quibus alij alia tradiderunt, in Germania initium suum habuêre.

Bartolus in peculiari libro de Gibellinis & Guelphis. Panormitanus in c. Lucianis. & Pisanis de restit. spol. Cuspinianus in uita Friderici II. cũ alijs quos ipse allegat. Nam ut ex Hermanno refert Nauclerus, dum prælio inter Cunradum & Guuelfonem commisso, hi qui regiarum partium erant, hoc quasi symbolum haberent, Hie wiebling, regem intelligentes, quòd is in eo pago uetustæ nobilitatis nutritus ferebatur: qui uerò Guuelfoni adhærebant, inter pugnandum clamarent, Hie welff: factum est, ut ea nomina ab auxiliaribus Guuelfonis copijs, postea in Italiam omnium factionum matrem illata, Gibellinorum & Guuelphorum factionibus occasionem præbuerint: quæ deinceps à Gregorio IX pontifice nutritæ, adeò latè serpsere, ut nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe perniciosissima intactus remanserit. Vrbs enim in urbem, prouincia in prouinciã, hęc populi pars

li pars in alteram, nulla impellēte alia quàm harum partium cauſſa, uſque ad hæc noſtra tēpora miro furore inter ſe ſæuiêre. Nec modò ipſæ partes inter ſe perpetua diſſenſione cōcertarunt: ſed & ipſi pontifices, quos contrariæ partis eſſe ſciuerunt, implacabili odio ſunt proſecuti. Nam cùm alij, tum uerò Bonifacius ille octauus, quo uix tetrius mōſtrū cathedræ Romanæ incubuit, quotquot Gibellinæ factionis nouit, eos, quocunque ſe contulêre, eſt inſecutus, loca omnium ad quæ ſe recipiebant, uaſtans ac populans. Vnde quidam eorum nullum locū ſibi ab eo tutū uidentes, nemora ac ſaltus incoluêre: quidam ex nobiliſsimis Italiæ familijs, cum littora maris aliquandiu ueluti feræ inhabitaſſent, cum piratis tandē ex Italia abierunt. Mitius enim ſe à piratis tractandos nouerant, quàm ab iſto Malefacio Nerone octauo, ſi fortè in eius manus incidiſſent. Quinetiam eorum quoſdam Genuam conceſsiſſe audiens, & illuc ipſe ſe cōtulit, ut eos omnino deſtrueret, eorumque nomen ex hominum memoria ac orbe terrarum tolleret. Cumque in die quem Cinerum uocant, cineres populo pro more illic miniſtraret, archiepiſcopo urbis Procheto ad pedes eius genibus flexis, ac aperto capite, ut cineres acciperet, ꝓdeunti: ille, qui eum Gibellinæ factionis eſſe audierat, cum dicere deberet, Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuertêris: mutatis uerbis dixit, Memento homo quia Gibel-

Platina in uita Bonifacij octaui. Naucl. gener. 44.

Gibellinus es, & cùm Gibellinis in cinerem reuertêris. nullaq; loci sacri, nulla populi astantis, nulla religionis ratione habita, in oculos, non in caput (uti mos est) archiepiscopi furibundus magnam cineris quantitatem coniecit: eundemq; archiepiscopum dignitate priuauit, licet postea restituerit. Hoccine erat benedicere, uel maledicere? scurrá, an pontificem in sacris agere? Hoccine erat, secundum Christi præceptum inimicos diligere, ijsq; benefacere? O pontificem non Bonifacij, sed Malefacij nomine dignissimum. Tandem tamẽ diuino iudicio factũ est, ut hi qui Italiá deserentes cũ piratis fugerant, rursus in Italiam à Deo ueherentur: ac collectis paucis aliquot, qui Malefacij rabiem fugientes, modò hic modò illic delituêrant, Anagniæ bestiam nihil tale metuentem, refractis ualuis caperent, atque Romam ducerent: ubi trigintaquinque dierum spacio, præ dolore ac rabiei magnitudine desperabundus, infelicem animam innumeris malefactis onustam emisit.

FRIDERICVS BARBAROSSA.

CVnrado optimo regi, ac belli pacisque studio clarissimo, successit Fridericus, uulgo Barbarossa, à barba rubeá cognominatus, filius Friderici ducis Sueuiæ, fratris Cũradi regis, Princeps fortunę animiq; dotibus ornatissimus. Vt etenim de eius nobilitate nihil dicá, cuius germen totũ

Frisingensis lib. 2. cap. 2.

ex

illuſtriſsimis in orbe Romano familijs Heinricorum de Guueiblingen & Guelforum de Altorff, in ipſum trāsfuſum fuiſſe ſcribitur, omniū ſcriptorum teſtimonio, ingenio ſolers, conſilio prouidus, memoria pollens, facundiā dulcis, animo conſtans, manu ac robore ualidus, bello ferox, in armis exercitatus, ſupplicibus facilis, placidis tranquillus, iuſtis pius, ſuperbis infeſtus, liberalitate celebris, multarumq́ rerum peritia nemini ſecundus fuit. Quare eo omnium Principum ſuffragijs Francofurti Imperatore deſignato, animi omnium in maximam ſpem erecti fuēre: fore ut eius uirtute, pace in imperiō conſtituta, Imperij uires acciſæ reſtaurarentur, Italiaq́ rebellione inſolens ad debitam obedientiam redigeretur.

Gūtherus in Ligurino lib. 1. Naucler. gener. 39.

Sed cum iampridem pontificiæ contentiones cum Imperatoribus peſsimo exemplo inoleuiſſent, pontificibus imperatoriā Maieſtatem, quā ſuo ſuffragio ratam facerent, nihili flocciq́ faciētibus: principib. uerò noſtris prępoſterā ambitionē, faſtūq́ immēſum ſacrifici Romani ægrè, idq́ nō immeritò ferentibus: tantò plura acrioraq́ certamina, quæ id impedirent, ei nata obiectaq́ fuēre, quanto ſublimiore, generoſioreq́ animo, fortiſsimus heros hominum profligatiſsimorum faſtum retundendum eſſe cenſeret. Etſi autem digna eſſent uniuerſa quæ ab omnibus cognoſcerentur: tamen cum nec operis nec inſtituti huius ſit ut ſingula conſecter, ſed ea Iliada peculiarem requirant: ideo quædam breuiter ſaltem attingam, (meo iudicio) ſatis cōmonſtratura, quæ obſeruantia & fides pontificum eius

Cuſpinianus in uita Friderici.

tēporis erga prestantissimū Imperatorē fuerit.

Anno itaq; ab electione tertio, Fridericus reb. in Germania cōstitutis, & maximè discordia inter Heinricū iuniorē Saxoniæ, & Heinricū Austriæ duces, ob ducatū Bauariæ & Saxoniæ, multo admirādoq; labore cōposita, in Lombardiā, (*Naucler. ubi suprà. Radouicus lib. 3.*) quę suis cōfisa uirib. propter longā Imperatorū absentiā ad insolentiā & rebellionē inclinare uidebatur, ualida manu mouet: ac in itinere rebelliū Mediolanensiū castris Rosato, Gailarda, Treca & Gaira destructis, Astā ciuitatē incendio uastat: et Derthonā arte & natura munitissimā, obsessam ui cepit, ac inde per Romaniā & Tusciā citatis agminib. Sutriū usq; pergit. Grauissimis contentionib. sedes Romana eo tēpore implicita erat. Nā & Guilhelmus Siciliæ rex, qui mortuo Rogerio successerat, ei de quo suprà in Cūrado mētio est facta, Hadriano quarto, natione Anglico, pontifice, Beneuentana suburbia, Ceperanū, Baucūq; in Hernicis ecclesiæ Romanæ ademerat: (*Platina in uita Hadriani quarti.*) & Romani instinctu Arnoldi Brixiani amissam libertatē eligendi senatus & administrandæ urbis repetentes, eò contentionū cōtra Pontificē processerāt, ut Hadriano post electionē causa faciēdæ cōsecrationis in Lateranū ituro, populus cardinalem sanctæ Pudentianæ ad pontificem uia Sacra proficiscentē, uno atq; altero uulnere affecerit. Hadrianus ob hanc rē grauissimè indignatus, regē graui anathemate notârat, eiusq; ditioni subiectos omni sacramēto liberârat, quo facilius à rege deficerēt, nullo iureiurando astricti. Romanos etiā acerba execratione persecutus erat, quoad mutata sentētia

Arnoldum

Arnoldum urbe pellerẽt: & cõsules, relicto põtificí libera administrandæ urbis facultate, se magistratu abdicarẽt. Cæterùm audito Friderici aduẽtu, ei, cum Cardinalibus, non honoris gratia, sed uindictæ de Romanis & Rogerio obtinẽdæ cupiditate, obuiam procedit. Fridericus sanctissimi patris aduẽtu gauisus, uenientẽ magna cum deuotione & honorificẽtia excipit, sinistram sellæ strepam de iumẽto descendẽti tenẽs, eumq; in tentorium Imperiale deducit. An maior reuerẽtia põtifici ab Imperatore exhiberi potuisset? An Christo Hierosolyma in die Palmarum ingredienti, Herodes atq; Pilatus sic etiam ministrauêre? An Petrum Romam uenientem, ita Nero suus excepit?

Funccius lib. 10. Chron. Barnus de uitis pontificũ.

Porrò cum in tentorium uentum fuisset, tunc nomine Imperatoris episcopus Bambergensis orationẽ exorsus, quanto Imperator desiderio colloquij Papalis fruẽdi flagrârit, cõmemorat: ac optimo maximo Deo gratijs actis, qui ipsum eius compotẽ fecisset, suppliciter atq; submissè petit, ut Fridericum, orbis Christiani supremũ principẽ & defensorem, pro solito more, diademate Imperiali insignire dignetur: causas, ob quas eo dignissimus sit, probè & elegãter adijciẽs. Põtifex, Bambergẽsis oratione finita, præclarè ea dicta fuisse præfatur: sed rẽ orationi minimè cõgruere, ait. Etsi enim leue atq; exile sit, de quo uerba facturus esset: negari tamen non posse, quin ut qui in minutiorib. negligẽtior deprehendatur, ne talis quoq; in maiorib. sit, iustè timeatur. Ad hanc põtificis orationẽ omnium aurib. arrectis, atq; animis sollicitis, quódnã pec

Helmoldus in Chronicis Sclauorũ, ca. 81.

catū esset? ille prosequitur: Descendenti, inquiens, ex equo sinistrā sellæ strepam tenuit: id an in ludibrium nostrum, uel alia de causa fecerit, ignoramus. siquidem si honore nos afficere uoluisset, dextra sellæ strepa, eáq; manu dextra contrectāda fuisset. Cæsar pōtificis oratione nōnihil commotus, paulumq; subridens, respōdit: Minimè se studuisse apprehendendis strepis. Tu (inquiens) Pater, primus es cui tali officio deseruimus. Et bile inter orandū crescēte, addit: Scire uelim abs te, officij hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Quod si ex beneuolēcia descendit, quis causabitur culpam in spōtaneo: sin ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui uenerabundus accedit. Seuerius sic collocuti, discedūt utrinq;, nō sine stomacho. Imperator tamē princeps prudentissimus, dissimulās ea omnia quæ de diabolico fastu pontificis audierat acuiderat, die postero Pontificē in castra ad colloquiū reuocat. Pōtifici itaq; aduenięti, Imperator obuiā it: atq; ex priore eius obiurgatione doctior factus, dextrā sellę strepā apprehendit, ac in tētoria sanctissimū patrē deducit. Confidētibus ipsis, Hadrianus pontificio ore intonat: Priscæ (inquiēs) ętatis principes, antecessores tui, qui ad petendā coronā uenêre, solebāt insigni aliquo officio Romanæ ecclesiæ beneuolētiā promereri, ut suo uelut officio præueniętes benedictionē & debitā coronā omnibus pręclaro facinore testarētur. Sic Carolus, dū domuit Lōgobardos: Ottho, dū cōpescuit Berēgarios: Lotharius, dū Normānos repressit, coronā Imperij meruêre. Quocirca tua Serenitas

Barnus in uita Hadriani, ex Iohanne de Cremona.

Apuliam,

Apuliã,Romanę ecclesię prouinciã,iã à Normã nis occupatã,nobis Ecclesiæq; restituat: deinde quę nostri officij sunt,facilè exequemur.Ecquis hũc sacerdotẽ seruũ seruorũ diceret, qui ab ipso Imperatore regũ rege, ac domino dominantiũ, tãquã mediastino uel mercenario milite, gratui tã militię operã exigere non erubescit?Et nunquid hunc spiritum Papæ,pacis quis magis, an homicidij putabit?

Cũ ergo principes uiderẽt,pontificẽ omnino animũ obfirmasse,quod Fridericũ coronare nollet,nisi prius Apuliã,quæ tamẽ iuris Imperij esset,à Guilhelmo Siculorũ rege occupatã,armis & impẽsis suis Apostaticæ sedi acquireret:pollicẽtur id futurũ,collecto nouo exercitu à Cæsare in Germaniã reuerso, cũ præsentes copiæ essent detritæ, & ex diuturno labore longoq; itinere defatigatæ. Etsi aũt põtifex,qui odio Guilhelmi arderet,inuitus ei spacium sui colligendi, dari permitteret:tamen cum Principum postulata æqua cerneret,ijs annuit,atq; se Fridericum corona donaturum affirmat.

His ergò peractis, Imperator cũ põtifice Sutrio discedit,ac Romã contendit.In itinere uerò dũ est,Oratores Romanorũ obuios habet,non minore arrogãtię fastu, quàm põtifex fuisset,tumidos.Hi nãq; antiquę urbis nobilitate,ac ueteri statu Reipub.ad sidera usq; sublato,tandẽ gloriari cœpere:per Romanũ populũ Fridericum è Germania trãs Alpes euocatũ,primò ciuẽ, pòst principem Romanũ factũ esse.hac cũ cõditione Romanos ad suscipiendũ eũ paratos esse. dicentes:si antiquas ipsorũ leges cõfirmet:Romanis, *Frisingensis li.2.cap.21.*

 à quibus

à quibus ei in Capitolio acclamandũ sit, usq; ad quinq; millia librarũ auri numeret: iniuriã à Re pu. etiã ad sanguinis effusionẽ propellat: & hæc omnia propria manu, & iuramẽti interpositione cõfirmet. Fridericus tã uesana ipsorũ iactãtia accẽsus, demẽtiã ipsorũ grauissima oratione redarguit, ostendẽs, nõ ex Romanorũ beneficio, sed Germanorũ uirtute, sibi Imperiũ obtigisse. Cũq; hoc agi ab ipsis cerneret, ut sub prætextu postulatorũ, cẽsum à se eliceret: Nõ se ut argẽtũ in Italiã inueheret, sed ex ea asportaret, uenisse dicit: eosq; id impudẽtius urgẽtes, à se repellit.

Helmoldus in Chronicis Sclauorũ ca. 80.

Cũq; dolo eos uenisse sentiret, milites præmittit, qui ecclesiã beati Petri, & arcẽ Leoninã muniã seruẽt. Subsequẽti die, ipse Romã læta comitãte caterua ingreditur: ac honorificè susceptus, Imperij coronã cũ benedictione 4. Calend. Iulij, anno regni sui quarto, ab Hadriano quarto suscipit. At dũ in basilica beati Petri Imperator coronatur, interea Romani id ægrè ferentes, assumptis armis portas urbis tenuêre, clausas, ne qua uis ab Imperatore sibi inferretur. Ac cũ uiderent Friderici copias in pratis Neronianis fixisse tẽtoria, per portã Hadriani erũpunt in Vaticanũ, abacturi Cæsareanos ab ingressu urbis. Cæterùm Cæsareanis fortiter resistentibus, atq; ferocem populum ex Vaticano in urbem repellẽtibus, circiter mille Romani cecidêre, & sexingẽti penè capti fuêre: quos deinde Imperator, sacris de more peractis, ad preces põtificis incolumes dimisit, reditũq; in Germaniã parauit. Antè tamẽ quàm id fieret, rẽ talẽ cũ põtifice tractasse scribitur, quę hic minimè prętereũda uidetur.

Naucl. gener. 39. Frising. lib. 2. cap. 22. Cuspinian. in uita Fider.

est

est uerò hęc. Innocētius papa secūdus, is quē superius à Lothario in sedē pōtificiā reductū fuisse diximus, cū Lotharius cōplicatis manib. coronā Imperij à se suscepisset, imaginē suā, quasi in sede pōtificali residētē, cū Imperatoris figura, totū factū repręsentante in muro depingi fecerat, hoc uersiculo adiecto, ut suprà quoq; retulimꝰ: *Chronicon Hirsaugiēse in uita Hartuuigi abbatis. Radeuicus li. 3. num. 9. & 10.*

Rex *uenit ante fores, iurans prius urbis honores:*
Post *homo fit papæ, sumit quo dante coronam.*

Talis itaq; pictura, talisq; inscriptio per fideles Imperij hoc tēpore ei mōstrata, cū summopere displiceret, obiurgatione præcedente cum Papa de ea tollēda agit: ita ut ipse postulatis Imperatoris subscriberet, ne tam uana res summis in urbe uiris discordiæ materiam præbere posset.

Cæterùm post discessum Friderici, cū Emanuel Imperator Cōstātinopolitanus pōtificē odio Vuilhelmi Apulię regis ardere sciret: ipse, qui nō minus exitiale odiū erga eius parentē defunctū haberet, pōtifici per Palæologū oratorē & nuncium suū, quinq; millia librarū auri spōte offert, seq; Guilhelmū ex Italia eiecturum pollicetur, si reb. benè gestis tres maritimæ in Apulia urbes ex fœdere sibi dētur. Ille ergò qui iampridē ad eas artes animū intenderat, quib. Vuilhelmū, omnes diras & execrationes pōtificias extremè spernentē, Apulia priuaret, oblatas cōditiones facilè acceptat. Id uerò cū Guilhelmus rescivisset, sibi malè metuēs, pacē per legatos à pōtifice petit: promittēs, se omnia Ecclesię adēpta nō tātū restituturū, sed & quędā additurū: adhæc Romanos ecclesiæ rebelles, se in officio retenturū. Splēdidę hæ cōditiones erāt: sed ne papa eas ad *Naucler. generat. 39.*

mitteret,quidam Cardinales dissuadebant,sperãtes plus lucri ex bello quàm ex pace. Bellũ igitur Guilhelmo denũciatur. Quo ille cognito, atq; ex tota Sicilia exercitu cõtracto, Apuliã hostili classe petit: caq; ferro & igni deuastata, Emanuelẽ qui castra prope Brundusiũ locarat, cũ Græcis in fugã uertit:Beneuentũ urbẽ ubi tũ Papa cũ suis Cardinalib, erat, ita oppugnat, ut de uita desperãtes pacẽ peterẽt. Cõcessit Guilhelmus,inq; gratiã recipiebatur à Papa, & Rex utriusq; regni tã citra quàm ultra Pharũ positi declarabatur: prius tamẽ iuramẽto præstito,se in posterũ,quæ ecclesię Romanę essent,minimè infestaturũ. Rebus itaq; cũ summa ignominia sic cõfectis, Papa per Cassinates,Marsos, Reatinos,Narniẽses ac Tudertinos tandẽ Oruetũ peruenit,ibiq; cognoscit Romæ omnia turbarũ plena,cõsulibus urbẽ in antiquã libertatẽ asserere conãtib. Tũ uerò exitiale in Fridericũ odiũ cõcipit,uehemẽtissimè conquerens se inter Romanorum & Guilhelmi gladios nuper uersantẽ, ab eo præter magnifica eius promissa destitutũ esse:& ita se modò agitari,ut Romę tutò esse nõ liceat:quasi Imperator ad hoc sit constitutus,ut dementiæ põtificię patronus atq; defensor magis quàm innocentiæ existat.

Verùm enimuerò Fridericus,qui cùm alias Põtificis actiones,tũ uerò Apuliã iuris Imperij, se inscio atq; inuito,Guilhelmo cõcessam ægrè ferret:simulq; ad animũ reuocaret,quòd Papã prius ius inuestituræ prælatorũ Cæsarib. eripuisset:& per legatos suos,nationes Imperij nõ tantũ expilasset,sed & defectionis semina per istas bellorum

Naucler. gener. 39.

bellorũ faces in toto Imperio ſparſiſſet: his uiolentis iurium Imperij inuaſionibus maturè occurrendum eſſe ſtatuit. Itaq; ab omnibus Germaniæ epiſcopis fidelitatis iuramentũ exigit: legatos põtificis in Germaniã à ſe nõ uocatos, excludi regno Teutonico mãdat, & ad Romanã ſedẽ ſuos appellare uel proficiſci uetat, nomẽq; ſuũ in literis ſuis pontificio nomini præponit. Ea uerò prohibitione facta, accidit ut Lundẽſis quidam epiſcopus à ſede Romana rediens, neſcio an tanquam edicti Imperialis contemptor, uel alia de cauſa, interceptus à quibuſdam in cuſtodiam conijceretur. Tunc ergo pontifex nactus ſuæ ſententiæ declarandæ occaſionem, ratione capti Epiſcopi, ad Imperatorem ſuperbam legationem mittit: ſimulatq; ſe expoſtulare cùm illo, quòd non liberet Epiſcopum ex captiuitate: ſed tamen interea, ea & literis & oratione Legati effundit, quæ, qua ratione Imperatorem ſibi ſubiectum eſſe uelit, abundè teſtarentur. Nam & literis eum admonuit, ut præ oculis haberet, ut inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiſſet: neq; ipſum pœnitentia moueri, etiamſi Imperator maiora ab ipſo beneficia ſuſcepiſſet, & ex lectione literarum turba inter optimates regni exorta, legatorum aliquis dicere non dubitauit: Romanum Imperium à Græcis tranſlatum eſt ad Alemannos, ut rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apoſtolico coronaretur, Imperator uocaretur: ante conſecrationem Rex, pòſt Imperator. unde igitur habet Imperium, niſi à Papa? Ex electione ſuorũ principum habet nomen Regis, ex conſecra-

Radeuicus li. 3. cap. 9. & 10.

Superba & Thraſonica pontificij legati oratio, de qua uide Auent. lib. 6. fol. 636.

tione Papæ habet nomen Imperatoris & Augusti & Cæsaris. Ergo per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset Imperator: & ut post hac perpetuò Rex Teutonicus esset Imperator, & aduocatus sedis Apostolicæ: ut Romano Episcopo Apulia, per eum paçata, esset subiecta: quæ Papæ cum urbe Romana est, non Imperatoris. Roma Papæ sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est sylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à Papa: sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Theutonicos, ita Papa potest id ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate eius est, ut det illud cui uult. Propterea constitutus à Deo super gẽtes & regna, ut destruat, euellat, & ædificet, & plantet. Deinde Germanos imbelles uocat, imbecillitatem illis obijciens, qui Rogerium Italia pellere, Danos Frisos perdomitare nunquam uoluerint.

Radeuicus, ubi suprà.

His uerò auditis, & Imperator iustam indignationem concepit: & omnes proceres tanta ira exarsere, ut Otto de Vuittelspach stricto ense, quẽ ante Imperatorem progerebat, in legatũ irruerit, confossurus, nisi Imperator intercessisset: eas deinceps rationes suscipiens, quibus hac uana iactãtia Papæ sese grauiter offensum comprobaret. Nã & legatos ad sua habitacula deductos, primo mane uiam ingredi iussit, cũ mandato, ne hac uel illac in terris Episcoporũ seu Abbatũ uagarẽtur: sed recta uia, nec ad dextrã nec ad sinistram declinantes, ad urbẽ reuerterentur: hanc nimirũ ob causam, ne pro consue

tudine

tudine Romanistarum, per singulas Ecclesias Theutonici regni, conceptū iniquitatis suæ uirus spargere, altaria denudare, uasa domus Dei asportare, cruces excoriare niterētur. Et nequis aliquid præter meritum ipsis accidisse putaret, uel inde aliquis motus oriretur, Cæsar cū procerib. literas per totum Imperium mittit, quibus rei gestæ seriem exponens, de Imperij honore uiolato, grauissimè conqueritur, cum declaratione: Per electionē Principū, à solo Deo regnum & Imperium esse. Quare, quicunque Imperatorem à Papa Imperialem coronā pro beneficio suscepisse diceret, hunc ut diuinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacij reum, damnandum esse.

Romanistæ fures, prædones, latrones atq; sacrilegi.

Epistola extat apud Radeuicum loco suprà allegato.

Legatis ergo Pontificijs domū reuertentibus, & oleū quasi camino, exaggeratione iniuriarum, periculorumq; quæ sustinuissent, addentibus: Hadrianus, qui antè fureret, tūc uesanior factus, cū putaret tale facinus à Friderico perpetratum, quale à superioribus nullum: (quis etenim Romanistis unquam regno Theutonico interdixisse legitur?) acerrimas ad Imperatorem literas mittit, in quibus grauissimè, & uerè pontificaliter, cum ipso de rebus omnibus expostulat: quas, quia dignæ sunt lectione, & diligenti consideratione, ascribere hic libuit.

¶ Adrianus episcopus, seruus seruorū Dei, Friderico Romano Imperatori salutē, & Apostolicam benedictionem. Lex diuina, sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, sententiam mortis intendit. Veritatis autem uoce docemur:

Naucler. fol. 761. gen. 39.

mur: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro, & S. Rom. Ecclesiæ, non quantam deberes, exhibere reuerentiam uideris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate, B. Petro & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obserues: cum ab his qui Dei sunt, & filij excelsi omnes, (episcopis uidelicet) homagium requiris, fidelitatē exigis, & manus eorū sacratas manibus tuis innectis: & manifestè factus nobis contrarius, cardinalibus à latere nostro directis non solum ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis? Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum à nobis consecrationem & coronā merueris, dū inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

Quod uerò indicium humilitatis & lenitatis Apostolicæ in hisce literis apparet? An non Luciferiana hæc arrogantia est, quod nomē Cęsareum Papali præponi indignatur: quasi nec alij Imperatores Papæ scribentes id fecisse legerentur? 97 dist. c. uictor. & 63 dist. c. tibi.

Imperator igitur literis, fastus pōtificij plenissimis acceptis, quò pro insigni Christianæ sapientiæ cognitione eum retunderet, ac clauum clauo (ut aiunt) truderet, in hunc modū respondet.

Nancler. fol. 761. ¶ Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ

cœpit

cœpit Iesus facere & docere. Lex iusticiæ, unicuiq; quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, á quibus uidelicet primogenitoribus nostris, & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dinoscitur? Sed eius pietatis concessione, libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta est: & quicquid papatus uester Regalis habere dinoscitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Rom. pontifici scribimus, iure antiquo & nomen prçponimus, & ad iusticiæ normã eidẽ nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales: &, si lectum neglexistis, quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem qui Dei sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus: cum ille noster & uester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplũ uobis dedit ut ita faciatis, docet uos, dicens: Discite á me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant: aut si hæc utilia iudicauerint, quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus utiq; uestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non uidemus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem uiderimus eos quales requirit Ecclesia, portantes pacẽ, illuminantes patriam, assisten-

tes

tes causæ humilium in æquitate, necessarijs sti pendijs & cõmeatu eos sustentare non differe mus. Humilitatis autem, quæ est custos uirtutũ, & mansuetudinis uestræ non minimam notam inuritis, cũ huiusmodi quæstiones, religioni nõ multũ conferẽtes, secularib. personis proponitis, Prouideat itaq; paternitas uestra, ne dũ talia mouet, quę indigna ducimus: offendiculum ponat illis, qui uelut ad imbrem serotinum ori uestro aures suas arrigere festinant. Non enim nõ possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usq; ad sedẽ Petri reptasse uidemus. Paci ecclesiæ bene semper prouidentes, bene semper ualete.

Quis uerò hasce Imperatoris literas improbet? quis uel pietatem, uel æquitatem, uel iustitiam in ipsis desideret? Quis eũ alia, quàm quæ uerùm fortemq; Imperatorem decent, fecisse dicet? Fastum pontificis retudit, iura Imperij tutatus est, humilitatem atque modestiam Christianam à Romanistis requisiuit, quam apud ipsos non inueniri totus mundus conqueritur.

Atqui pontifex legatis auditis, non contentus cum Imperatore per literas expostulasse: etiam ad uniuersos archiepiscopos & episcopos germaniç scribit, & rei gestæ seriem commemorat, indignitatem facti exaggerat: eosq; admonet, ut cum omnium ecclesiarum communis causa in hoc negocio uersetur, (sic quippe existimãt, Romanistis intereuntibus, totam Christianitatem pessum ituram) se tanquam ualidum murum, pro domo Domini opponant: & non tantum Imperatorem in uiam rectam reduci, sed

Epistola extat apud Radeuicum lib. 3. cap. 15.

&

& à Rainaldo cancellario Cæſareo, & Otthóne comite de Vuittelſpach, qui magnas blaſphemias in legatos Apoſtolicos & ſacroſanctam Romanam eccleſiam euomuiſſent, talem & tam euidentem ſatisfactionem exhiberi ſtudeant, ut ſicut multorum aures amaritudo ſermonis eorum offendiſſet, ita etiam ſatisfactio multos ad uiam rectam reuocet. Verùm quia (ut quidam in commemoratione huius rei ſcribit) tunc temporis epiſcopi noſtri haud tam addicti ſedi Romanæ erant, atque nunc ſunt plerique: communicato in unum conſilio, pontifici ita reſcripſere, ut non modò admodum hoc facto affici conſpicerentur: ſed & Arnoldus Moguntinus & Eberhardus Saltzburgenſis, peculiaribus literis Romanos ſacerdotes, cardinales, archiepiſcopos, epiſcopos atque presbyteros admonerent, pertinaciam, faſtum, ſuperbiam eorum corrigerent, auariciam, perfidiam, aliaq; facinora, quibus pauperes compilarent, imperiumq; conturbarent, referrent. Vltimò obteſtantes, ut Hadrianum ad pacem ſeruandam cohortarentur: Imperatorem, id quod bonum æquumq; foret, facturum eſſe.

Iacobus Spigelius in annotationibus ad Ligurinū Guntheri libro 6. fol. 143.

Epiſtola extat lib. 3. cap. 16: apud Radeuic.

Auentin. libro 6. Annal. Boior. fol. 636.

Etſi autem hæc Hadrianum peſsimè haberent, tamen cum audiret legatos Imperatoris, Rainaldum cancellarium & Othonē de Vuittelſpach Italiam ingreſſos, conuentus cum principibus & epiſcopis Italiæ agere, atq; Imperij negocia potenter adminiſtrare: ipſum quoque imperatorem, qui copijs collectis in procinctu

eſſet

esset, mox in Italiam aduolaturum: de consilio principum quorundam, nuncios ad leniendū animum Imperatoris, Augustam cum supplicibus literis mittit: & autoribus Heinrico Saxonum & Bauarorum duce, & Othone Frisingense, ei reconciliatur.

Naucler. generat. 39. Auentin. loco peralleg. Radeuicus libro 3. cap. 17.

Non longo uerò tempore pòst, cum Italiæ ciuitates, Crema à Friderico durissimè obsessa, in eum pro uindicanda libertate conspirarent, Papa reconciliationis immemor, se perfidè ipsis coniungit, ac rebellium conspirationem his legib. firmat: Ne quis sine aliorum consensu, in pacem cum Friderico redeat: nec quis mortuo pontifice, nisi ex numero conspiratorum, creetur. Vtq́ speciosiorem rebellandi, occasionem haberent, ab ipsis immensa pecunia corruptus Imperatorem execratur. Ast optimus maximus Deus, qui per os dilecti serui sui Dauidis, contra excommunicationem Papæ, pecuniæ corrupti, clamasse uidetur, Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lætabitur: hic inquam Deus, hanc execrationē in maledictum pōtificis caput conuertit, hominemq́ ad omnem posteritatem confudit. Nam cum Anagniæ, excommunicatione in Fridericum denunciata, fortè cum suis refrigerandi gratia exspaciatus, aquam ex fonte hausisset, musca in os eius inuolans gutturi ita adhæsit, ut, cum nulla medicorum arte eximi posset, miserè suffocatus interiret.

Naucler. generat. 139. ex Ioanne Cremonensi.

Quis non miretur, Gigantem tanta conspiratorum factione stipatum, ut Imperatoris

uires

uires non reformidaret, à musca interfici potuisse? Quis fortuitum magis quàm diuinum existimet, gutture, quod in optimum ac innocentissimum Imperatorem execrationem eructarat, animam exhalari debuisse? Non tamen pontificij, tam mirabili Hadriani interitu, ab instituta conspiratione abduci potuerunt. Sed cum Imperatori ualido exercitu Italiam tenenti; ac indies Mediolanenses uarijs cladibus proterenti, aperta ui sese obijcere non auderēt: ad pessimas artes conuersi, insidias uitæ eius struunt. Nam Sinonia arte hominem robustissimi corporis, magno precio conducunt, qui sub simulatione stulticiæ uel maniæ Laudam, ubi tunc Fridericus hærebat, peteret, ac per occasionem ei uiolentas sceleratasque manus inijceret. Ille ergo multis magnisque promissionibus animatus, ad scelus accingitur, Laudam pergit, castra ingreditur, & iocis ac ludicris accessum ad tentoria Imperatoris sibi patefacit. Erant uerò ea super ripam Abduę locata; ita ut labentem, aut conuexum obrueret præcipitium, aut uorago subterlabentis fluminis esset exceptura. Morio igitur obseruata occasione, qua conceptum scelus perficeret, Imperatorem pro more antelucano tempore, solum sacra aditurum, aggreditur: cumque trahendo & portando, ad præcipitium deducere nititur. At Imperatore uiriliter renitente, ita ut uterque funibus, quibus tabernacula suspendebantur

Radeuic. lib. 4. cap. 40 & 41. Guntherus in Ligurino lib. 9. circa fin.

implicati, ad terram caderent: cubicularij uoce Imperatoris clamantis exciti, accurrere, scelestumq; comprehensum eodem loco precipitem in fluuium demersere.

Hoc tanto scelere frustrati, aliud moliuntur. Octo ex suis, magno precio conductos, subornant, qui Laudam incenderent. Cum autem unus eorum nocte intempesta, facinus impleturus, ædibus ignem iniecisset, à uigilibus comprehensus, unà cum alio monachum mentito, criminisque eiusdem participe, patibulo affixus, attentati sceleris dignas pœnas subijt. Sic ergo & hac uice se à suscepti sceleris executione exclusos uidentes, insignem quendam intoxicatorem, mortis contemptorem, cum aliquot socijs emittunt, ferentem in castra Imperatoris medicinas, annulos, freña, calcaria ueneno illita, adeoque efficaciter intoxicata, ut si Imperator ea attingeret, mox lethaliter inficeretur. Sicam quoque latentem iuxta femur gestantem, ut si ueneni facinus impediretur, ea ad peragendum scelus uteretur. Verùm Imperator, qui antè de hoc admonitus fuisset, uenientem obseruari ac cõprehendi, dein quæstionibus subiectum de fabricatore sceleris interrogari, postremò uerbera & quæstiones irridentem in patibulum crucis adigi iubet.

Abbas Vrspergẽsis. Platina in uita Alex. Porrò Adriano põtifice musca deglutita, ut dictum est, suffocato, inter Cardinales de electione noui pontificis dissensio oritur.

Duo

Duo ſiquidem & uiginti Imperatori aduerſi, Rolandum Senenſem, cancellarium anteà uocatum, unum ex iſtis Cardinalibus quos ſuperius ab Hadriano ad Fridericum miſſos retulimus, hic uerò Germania exire iuſſerat: nouē autem alij qui à parte Imperatoris ſteterant, Octauianum ciuem Romanum preſbyterum cardinalem S. Clementis, ſuffragantibus præfecto Vrbis populoq; Romano, pontificem creant, atq; Victorem uocāt. Cum autem hæ electiones magnum parituræ uiderentur diſsidium, inter utriuſque partis electores conuēnit, neutrum ex electis in ſtitui debere, priuſquā diſcordiā ſopita inter omnes conueniret. At Rolandini numero ſuperiores, fide ſoluta, Rolandi electionē promulgant, eumq; Alexandrum tertiū dicunt. Vnde ſchiſma maximū eſt ortum. nam Victore Romæ manente, Alexander ad Siciliæ regem Vuilhelmū properat, ibiq; XII die poſt electionem Papa confirmatur. Deinde ne ſeditio illa cum pernicie eccleſiæ Romanæ ꝑtraheretur, Fridericum imperatorē tum Cremam obſidētem, per legatos rogat, ut interpoſita authoritate Imperatoria ſeditionē tollat. Fridericus ancipiti malo exorientis noui ſchiſmatis permotus; cū utroq; electo, in ordinem epiſcopatus conſecrato, litem legitimè, citra authoritatem concilij, finiri non poſſe cerneret: eamq; exemplo Conſtantini, Theodoſij, Iuſtiniani, aliorumq; Imperatorū ad ſe pertinere ſciret, conuentus diem Papiæ

Naucler. gen. 39. Radeuic. lib. 4. cap. 54.

Radeuicus libr. 4. cap. 58.

nominat,& ut uterq; Papa istuc eat, monet, eò se quoq; cognoscendæ disceptationis causa uenturum promittens. Qua re cognita, Alexander Anagniam se cōfert: Fridericus uerò indignatus, quòd dicto suo non obtemperasset, Danielem Pragensem, & Hermánum Verdensem episcopos cum literis mittit, qui eum non pontificem, sed Cardinalem appellatum, ad concilium citarent. At illo Cæsareos legatos contemptim reijciente, atq; superbè dicente, Pontificem Romanum à nemine debere iudicari: ipsi re infecta abeūtes, Segniam ad Octauianum pergunt, eumq; ut pontificem uenerātes, Papiam deducunt. Ibi concilio congregato, & causa ex testibus per omnes circunstantias cognita: Victor papa declaratur, & ab omnibus Germaniæ episcopis iussu Friderici agnoscitur. Qua iniuria Alexander commotus, Fridericum atq; Victorem anathematis uinculo colligat: literasq; mittit ad Christianę Reipub. principes & populos, quibus intelligant, id à se meritò & iurè fieri. Mox cum in urbem reuersus, ibi multos aduersarios inuenisset, in se cornua palàm erigentes, Tarracinam proficiscitur: ibique conscenso nauigio, iam antè ad eam rem, ex iussu Guilhelmi Siciliæ regis parato, in Gallias contendit. Conuentuque in Claro monte, ex permisione regis Galliæ Philippi habito, anathema in Imperatorem & Antipapam factum, statim enunciat atque promulgat. Imperator, licet mala ex hac dis-

c. patet. & c. nemo 9. q. 3. item 17. q. 4. c. Si quis suadente in extremo. itē dist. 40. c. Si papa.

Naucl. gen. 39.

fen-

ſenſione oritura proſpiceret, Mediolani tamen obſeſsionem continuat: donec id fame atq; inedia perculſum, ſine ulla conditione ſe eius poteſtati permittit. Eo aũt capto, legatos ad Francum mittit: ac petit, ut concordiæ conſtituendæ cauſa, conuentu Didione indicto, ipſe eò ſuũ papam abducat, & ſe quoque unà cum Victore ibi compariturũ pollicetur. Quid legatis reſpõſum fuerit, haud ſatis conſtat. Hoc tamen memoriæ proditũ, à comite Bleſenſi fidem Imperatori datam, regem Franciæ ad conuentum uenturum. Imperator itaq; die conſtituta uenit, & tentoria cum Victore prope Diuionem fixit. Venêre etiã eò Heinricus II Angliæ, Vilhelmus Scotiæ reges. Verùm non tantum Alexander, ut ueniret, adduci non potuit, eo quòd conuentum ab Imperatore, non à ſe indictũ prætenderet: ſed & Galliæ regi Philippo perſuaſit, ut is locum ante Friderici aduentum accederet, & manu ex flumine præterlabente lota, uoceq; præconia Imperatore uocato, quaſi hoc modo fidei datæ ſatisfeciſſet, recederet. Vnde Imperator alijque reges & principes hæc ægrè ferentes, Victore ad ſedem pontificiam recipiendam ire iuſſo, ad ſua rediêre. *Naucl. generat. 39.*

Cum Victor Lucam Hetruriæ urbem peruenifſet, morbo correptus, communis naturæ debitum, depoſito carnis onere, ſoluit. In cuius locum ſuffectus eſt Guido Cremonenſis epiſcopus, qui appellatus eſt Paſchalis tertius: eique obedientiam præſtiterunt, Goslariæ *Naucl. ubi ſupra.*

riæ Imperator, & post eum Heinricus dux Bauariæ & Saxoniæ, Cunradus Palatinus Rheni, Lantgrauius Thuringiæ, Magdeburgensis, Bremensis, Treuirensis, Coloniensis, Babēbergensis, archiepiscopi, & omnes ferè Teuthonici. Alexander, qui adhuc in Gallijs esset, ut Romam retineret in fide; per uicarium suum Ioānem cardinalem Romanis concedit, ut Consules liberè creent, modò Alexandri sint studiosi. Ipse interea ex Gallia in Siciliam delatus, mox Romam redit: & Cremensi Guidone spreto, à Romanis benignè recipitur. Tum uerò ciuitates Italiæ aduentu Alexandri in spem libertatis denuò erectæ, contra iusiurandum Imperatori datum, Mediolanum, paulo antè ab Imperatore dirutum atque subuersum, restaurant: &, suadente Alexādro, rebellionē parant manifestam: Iudices ab Imperatore cōstitutos, aliosq; fauentes Imperatori inuadunt, eosq; partim pellunt, partim trucidāt. Deinde Alexandri cōsilio usi, eiusq; auxilio freti, nouam urbē in gratiā pontificis extruūt, in contemptum Imperatoris Alexandriā nuncupatam, inq; eam ex omnibus ciuitatibus quindecim millia hominum ad incolendū mittunt, diuisis agris uiritim, partitisque in urbe locis ad ædificandum. Imperator cognitis his rebellionibus, & conspirationibus in se factis, collecto nouo exercitu, denuò in Italiam mouet: & quibusdam rebellibus ad deditionem compulsis, Alexandriam nouam obsessam

Naucl. generat. 40. Vrspergen.

sam

ſam oppugnat. Cæterùm hæc obſidio pa-rum ei fœliciter ſuccesſit, cùm quòd Alexandrini à ſocijs ciuitatibus adiuti fortiter ſeſe defenderent: tum quòd Heinricus Leo Bauariæ & Saxoniæ dux, præter omnem Imperatoris ſpem, iure cõſanguinitatis ſpreto, abiectaque memoria beneficiorum acceptorum, per Pontificē pecunia corruptus, cum ſuis copijs eum perfidè desereret: ita ut Fridericus Italicis conſpirationibus impar, exercitum dimittere, ac per montem Iouis in Burgundiam, maxima cum difficultate, ſub habitu ſerui equos curantis, redire cogeretur. Non uerò hanc inuidiam Leo inultam tulit. Nam Fridericus in Germaniam reuerſus, uiribus recollectis, diem Duci dicit, eum læſæ maieſtatis accuſat: ac ſeſe ui tueri molientem, dominijs & ducatibus priuat. Fuêre tunc principes Heinrico fauētes, qui eum ab Imperatore condemnari poſſe negarent, niſi intra terras Ducis ſententia lata. At Fridericus, qui antè ſeuera exempla in rebelles ac uiolatores pacis ſtatuiſſet, neglectis quæ à Principibus prætenderentur, ducatum Noricum Othoni de Vuittelſpach, Saxoniæ Bernardo Anhaldino, & alia bona alijs confert. Qui auxilijs amicorum ſubnixi, Heinricum omnibus ferè terris, quas omnium amplisſimas habuit, intra unum menſem exuerunt: ita ut ſolo ducatu Brunſuicenſi retēto, inſigne exemplum alijs reliquerit, non temerè Cæſaris, tanquam legitimi magiſtra-

Naucler. gener. 40.
Abbas Vrſpergenſis.

tus authoritatem aſpernádam, ſed eam cum fide, obedientia ac reuerentia colendam eſſe. Et quidem ut huius exempli recordatione, animos ſeſe contra legitimum magiſtratum contumacius elatiusq́ue erigentes refrenari, quaſiq́ue in gyrum obedientiæ reduci par eſt: ſic & aliorũ, quæ in alios rebelles Fridericus ſtatuit, meminiſſe utile erit. Hic nãq; idẽ Fridericus, Hermannũ comitẽ Palatinũ Rheni, eiusq; ſocios, quòd ſe in Italia abſente, armis in Arnoldũ archiepiſc. Moguntinũ motis pacẽ publicã uiolaſſet, in natalicijs Dñi Vormaciæ canẽ pro ſatisfactionẽ publicè circũgeſtare cõpulit. Et Gualfagum Angleriæ comitẽ, ac Mediolanẽſiũ principẽ, quod poſt latã in Imperatorem execrationis ſententiã, Alexandrũ papã recepiſſet, eiusq; inſtinctu multa in urbe Mediolanẽſi contra Imperiũ egiſſet, ea capta, triduò ſub mẽſa inſtar canis tenuit, & flagellis cæſum, compedibusq; uinctum in Germaniam relegauit. Hęc iuſta rebelliũ pœna erat: quam ſi hodierno die ſimiles tranſgreſſores ſuſciperẽt, quis dubitat, maiorem tranquillitatem, legumq́; obſeruantiam in Imperio futuram eſſe? Sed ad propoſitum reuertamur.

Tritemius in Chronico Hirſaug. ſub Abbate Volmaro, fol. 175.

Nauclerus generat. 39. fol. 766.

Fridericus Heinrico Leone mulctato, ac nouis in Germania copijs contractis, rurſus in Italiam tendit. Varias quidem atq; diuerſas narrationes extare apud ſcriptores ſcio, quid eo tẽpore in Italia geſſerit. Alij ſiquidẽ eum, cum tanto diſcrimine contra Mediolanen-

Platina in uita Alex. Naucler. gener. 4. Blondus & alij.

nêses pugnasset, ut equo eius suffosso fermè interficeretur, minis Episcoporum eum sectantium compulsum scribunt, ut de pace cum Ecclesia componenda cogitaret. Alij eum suasu Brixiensis episcopi in terram sanctam traiecisse, ibiq; proditione Alexandri papæ post multas præclaras uictorias Soldano proditum, eius tamen liberalitate tandem ad sua remissum esse.

Ioannes Cremonensis. Barnus. Autor uitæ Friderici Germanicè descripta.

Etsi autem hæc à quibusdá eleuari sciam, tamen cum testimonio autorum nitantur, quorum diligentia, in uita præstantissimi Imperatoris describenda, meritò probatur: ad hæc, talia sint, quæ pontificum sceleratis machinationibus in Imperatores uerisimiliter respondeant, nec ab instituto nostro sint aliena, ea referre libet, cuiq; de his suum iudicium relinquens.

Cum ergo (ut traditur) Fridericus Brixiam uenisset, episcopus eius loci Hartmannus, quo Imperator secretario utebatur, instinctu Pontificis eum à bello dehortatur: suadetque, ut potius in Turcas, Christianæ fidei hostes, quâm sanctissimum patrem & homines Christianos arma conuertat: Terram sanctam, quam Cunradus eius patruus olim magnis sumptibus & armis subegisset, rursus à Soldano Aegyptiaco occupari: precari se nomine salutis publicæ, ut de hisce terris recuperandis cogitet. Id si fecerit, se effecturum, ut rex Galliæ ad expu-

gnandum Soldanum Aegypti regem, auxiliares copias mittat. Fridericus hac oratione in ſpecie honeſta motus, exercitum contra Pontificem aliosque conſpirationis ſocios conſcriptum, in Turcas ducit, & per Vngariam iter faciens, Conſtantinopolim contendit, tranſmiſsisq; copijs oppida multa Turcis eripit: peruenitque in minorem Armeniam, ac Hieroſolymam mouens, ea eiectis paganis potitur. Verùm interea dum in Oriente eſſet, tantoque rerum ſucceſſu uteretur, Alexander pontifex iniquiſsimus proditor, cum ſuis conſpirationibus ſibi ab eo metuens, ſi uictor in Italiam redeat, de eo perdendo cogitat. Viua itaque imagine Friderici, opera pictoris cuiuſdam ad eam exprimendam deſtinati, confecta, eam ad Soldanum mittit, cum hac commonefactione: ut ſi quietus uiuere uelit, de Imperatore, cuius ſimulachrum acciperet, perdendo cogitet. Soldanus acceptis literis cum expreſſa Imperatoris imagine, ſtudet ſibi & Romano pontifici gratum facere, & ſe de Imperatore aduerſario ſuo ulciſci. Occaſio in caſtris atque conflictu nunquam ſe offert, ad explendam proditionem Pontificiam.

Hæc hiſtoria extat in uita Friderici Germanicè deſcripta.

Cùm uerò potitus Hieruſalem exercitum reduceret, Cæſar ſecurus, partitur copias in ſuos ordines, ut eo commodius emenſum iter remetiri poſſent. In Armenia autem cum Imperator ex ſolis calore & itineris difficul-

ficultate æſtuaret, & nihil periculi in ea ſo-litudine nemorum eſſe putaret, cum paucis equitibus & ſuo ſacellano ab exercitu diſcedit: & non procul inde equo deſcendit, ueſtes parat exuere, ſacellanum & ſe (equitibus diſcedere iuſsis) in amne loturus, ad reſtinguendum corporis æſtum. Ibi Imperator (equitibus ignorantibus) cum ſacellano ab inſidiatoribus capitur, & per nemora abducitur ad Soldanum. Equites fruſtra expectant Imperatorem, quærunt diligenter in alterum uſque diem. rumor uenit ad exercitum, Imperatorem eſſe demerſum. Ingens omnibus triſticia oboritur, ac ferè ad integrum menſem in eo flumine quærunt. Cum autem non reperirent, electis nouis ducibus, domum redeunt. Imperator ad Soldanum perductus, ſimulat ſe Imperatoris eſſe oſtiarium. At Soldanus faciem, ex imagine à Pontifice accepta, agnoſcens, iubet ſimulachrum proferri, & literas à Pontifice miſſas legi. Imperator ad iſtam proditionem ſtupefactus, uidens negationi porrò non eſſe locum, fatetur uerum, & ſupplex miſericordiam petit. Soldanus poſtquam de rebus multis cum Imperatore collocutus eſſet, includit eum ergaſtulo, unà cum ſacellano, alitque pro ſua dignitate humaniter. Poſt tres menſes iterum colloquuntur Imperator & Soldanus. Cum uerò Soldanus ex Friderici colloquio intelligeret, uirum eſſe

esse optimum, in quo nullam uirtutem desideraret, bono principe dignam, & cuius prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur, cogitat se Imperatore dimisso, plurimum sibi gloriæ & fauoris pariturum. Imperatorem igitur accersit, conditiones libertatis proponit: atque ut daret obsides, & numeraret tercentum mille siclos, postulat. Imperator neutrum se posse facere respondet: & quòd ibi nullos haberet, quos obsides daret: & quòd fisco longo bello exhausto, tanti argenti uim non posset soluere. Soldanus uidens æquum petere Imperatorem, dimisit eum ea lege, ut secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, & numeraret millies centum ducatos, relinqueretque illic sacellanum uadem usq; ad solutionem. Parantur pacti diplomata. Imperator accingit se itineri, iubet sacellanum bono animo esse: pollicetur se non quieturum, donec missa pecunia eum liberatum ac reducem uiderit in Germania. Soldanus Imperatorem muneribus ornat, uiatico prospicit, XXXIIII equis & certis militibus Brixiam usque deducit, ibi subsistit.

Principes certiores facti de reditu Imperatoris, frequentes eum adeunt. Cæsar Soldano suos uarijs donis onustos remittit, adiunctis illis qui deducerent eos usque ad Imperij fines: deinde comitia indicit Norimbergæ, & uocat omnes Imperij principes,

Ale-

Alexandri proditionem aperit, proditoriam epiſtolam à Pontifice Soldano miſſam legit, & quibus modis liber dimiſſus eſſet exponit. Principes pollicentur illi auxilium, ut fidem ſuam apud Soldanum liberet: indignantesque ſuppetias ſpondent, aduerſus Alexandrum Imperij proditorem. Conſcribitur exercitus per Italiam, (nemine repugnante) Romam mouet: miſsisque in urbem legatis ſuis, à populo Romano poſtulat (diſsimulata interim ſua priuata iniuria) ut cauſa utriuſque Pontificis audita, reſtitueretur Eccleſiæ concordia, decerneretur que pontificia ſedes uni ex electis pontificibus. Id uerò ſi facerent, promittit, ſe eis non ſolum pacem conceſſurum eſſe: ſed etiam omnia redditurum, quæ iure debebantur.

Hæc ſubſequentia Nauclerus gener. 40. narrat, ut & alij Pontificij, præcedentibus tamen omiſſis.

Alexander cernens Imperatorem iſtis conſilijs ſui compotem fore, nocte aufugit Caietam, deinde Beneuentum: poſtremò in coqui ſui habitu Venetias uenit: ubi in monaſterio deliteſcens, & poſt aliquot menſes agnitus, habito ſenatu, iuſſu ducis Sebaſtiani maximo honore exceptus, pontificiali pompa in templum diui Marci deducitur. Imperator Fridericus audiens Pontificem Venetijs eſſe, non parum ſuccenſet Venetis, quòd communem hoſtem receperant. Poſtulat igitur ab illis, ſibi reſtitui hominem pernicioſum reipublicæ. Quod

cum

cùm Veneti denegarent, Fridericus mittit Otthonem filium cum armata classe, ad reposcendum Alexandrum: prohibens tamen illi, ne quid armis attentet, priusquam ipse ueniat. Ottho iuuenis princeps, feruens & cupidus gloriæ & famæ, congreditur cum Venetis, capitur, & deducitur in uincula. Quo capto, Alexander successu fortunæ felicioris elatus, pacem cum Cæsare inire renuit, nisi is prius Venetias supplex ueniat, & pacis conditiones præscriptas acceptet. Fridericus itaque non imbecillitate animi, aut desperatione uictoriæ fractus: sed partim filij capti philostorgia, partim cupiditate pacis in Europa constituendæ adductus, Pontifici cedit, seque statuto tempore uenturum pollicetur. At cum id die indicto faceret, & de pacis conditionibus conuentum esset, Alexander non prius se Fridericum à uinculo excommunicationis absoluturum ait, quàm templum diui Marci accesserit. Eò Imperatore humiliter ac religiosè ueniente, Papa astante uniuersò populo, ei papaliter mandat, ut humi prostratus, ueniam supplex petat. Fridericus, qui ut Germanus minimè suspicax arbitraretur, Pontificem, qui exemplum omnis modestiæ esse debet, nulla in se uel crudelitate uel contumelia usurum, Pontificis mandato paret, seque ad eius pedes suppliciter deuoluit. Is uerò hac Imperatoris modestia

Nauclerus generat. allegat.

Nauclerus generatione 40. et alij ferè oës.

neuti-

neutiquam contentus, prostrati Cæsaris col lum tyrannicè pede conculcat, ignominiosa acclamatione addita: Scriptum est, SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS, ET CONCVLCABIS LEONEM ET DRACONEM. O monstrosæ & inauditæ tyrannidis exemplum. Tractarint Barbari quidam, reges ui prælioque captos, reuerentia regij nominis spreta, durius: pedem ceruici Valeriani imperatoris capti, Sapores Persicus equum conscensurus imposuerit: Tamerlanes Tartarus, post hoc Papæ factum, Baiazetem Turcicum Imperatorem cauea inclusum circumduxerit: tamen hæc Pontificis immanitas tanto istorum crudelissimorum tyrannorum superbiam superat, quanto inter hos & Pontificem dissimilitudo maior apparet. Illi siquidem barbari, suæ sæuitiæ aduersus hostes, ui prælioq; captos, eosq; pares, probabiles quodãmodo causas habuēre: hic uerò sacerdos, omnis mansuetudinis atque clementiæ exemplum constitutus, Imperatorem in pacificatione, humillimè iniustæ excõmunicationis absolutionem petentē, dominumq; suũ, Cyclopica immanitate beluinis pedibus ignominiosissimè obterit. Sed quid contra præceptum historicorum tento, animos lectorum crudelitatis amplificatione, ad commiserationem, uel alios affectus moueri uolentium, cum id tentan-

dò

do nihil efficiam: quippe cum hæc Cyclopica Pontificis rabies, orationem omnem superet?

Fridericus itaque rei indignitate ad animum generosum reuocato, ut se ea moueri ostenderet, palàm Pontificem interpellat: Non tibi, sed Petro: significans, se factum esse supplicem, non huic tyranno, sed Apostolicæ authoritati. At Papa tyrannicè reuerendum Cæsaris collum rursus ungulis ursinis deprimens, reclamat: Et mihi, & Petro. Fridericus autem, etsi de turpissima iniuria sibi illata meritò doleret, tamen communem salutem dignitati propriæ præferens, obmutuit: atque ab excommunicatione absolutus, concordiam cum Pontifice redintegrauit.

HENRICVS VI.

Platina in uita Celestini III.

PORrô immanissimarum beluarum rabies in Fridericum Imperatorem sic pedibus conculcatum effusa, aliquandiu resedit, usque ad Celestinum tertium: qui etsi Heinrico Sexto coronato Constantiam monacham, Rogerij Quarti Siciliæ regis filiam, è monasterio Panormitano eductam, uxorem dederit, ea conditione, ut ex utriusq; Siciliæ regno, Tancredo Rogerij notho, quem Clemens tertius frustra inde eijcere tentârat, pulso, regnum utrumque peteret,

ac

ac posſideret. Sunt tamen qui ſcribunt, Henricum non tantum in Apulos, Siculosq; laicos, ſed & clericos atque epiſcopos defectionem molientes, ſeuerius animaduertentem, nonnullis eorum excoriatis, alijs excæcatis, & in palos actis, nõnullis etiam corona ignita redimitis, ab eodem Celeſtino anathemate notatum, nihil aliud machinante, niſi ut tá Imperio quàm Siciliæ regno Henricus VI excuteretur.

Bergomenſis in Supplemento, & eum ſequens Nauclerus gener. 40.

PHILIPPVS SVEVVS.

VT uerò hæc res ſeſe habeat, mox ab Henrici morte Pontificum ueſana perfidia rurſus efferbuit. Cum etenim Heinricus iam moriturus, Innocẽtium tertium Celeſtini ſucceſſorem filio Friderico, quadrimo adhuc ferè in cunis uagienti, ad Imperium tamen principum electione aſſumpto, tutorem dediſſet: eiq; uxore Conſtantia obnixè commendata, fratri germano Philippo Hetruriæ & Sueuiæ duci, Romani imperij & Siciliæ regni, quouſque pupillus adoleſceret, adminiſtrationem commiſiſſet: Pontifex tutelæ fide in perfidiam atque hoſtilem oppugnationem conuerſá, Sueuicam familiam, adeoque totam Germaniam nouis motibus atque bellorum incendijs inuoluit.

Naucler. generat. 40. Cuſpinian. in uita Heinrici & Philippi.

Siquidem cum Philippus ad fratrẽ ægrotãtẽ è Germania properans, in monte Flaſconis, nõ longè à Viterbio ſito, de morte fratris Imperatoris inaudijſſet, ac Imperij retinendi

 cupi-

cupiditate festinabundus Haganoã, ubi Principũ conuentus erat, recurrisset, complurium animis sibi conciliatis: Nocentius iste, qui Sueuos nomine quidem tanquam Ecclesiæ persecutores, re autem uera ob Siciliæ dominationem, quam ipse ambiebat, infensissimo odio prosequeretur: initio quò Philippũ impediret, friuolis exceptionibus excõmunicationis, cui à Celestino subiectus fuisset, insistere: dein, quò eum non parentem irreligiosum ostẽderet, episcopum Sutrinum ad repetendum ab eo obsides, quos olim frater ipsius Heinricus exoculârat, mittere. Ac eo à legato humilitate sua absolutionem obtinente, ac uades Nocentio remittente: ille uiros cæcatos in inuidiam Philippi turbæ ostendere: Episcopum Sutrinum, quòd citra mandatum Philippum absoluisset, officio priuatum, in quandam insulam maris relegare: mox Bertholdum Zaringiæ ducem, quẽ neruis belli ualere, & Sueuis, ideo quòd antè à Cunrado Philippi fratre bello petitus esset, minimè amicum nosset, ordinibus Imperij obtrudere. De eius electione prolixè literis scriptis, quæ adhuc extant c. Venerabilem de electi. potestate.

At Bertholdo, quòd se uirtute bellica Philippo à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Boemis, Rheniq; principibus electo, multo inferiorẽ esse agnosceret: cum legitimo rege in gratiã redeunte, ita ut ei etiã obsides, nepotes suos, Cunonem & Bertholdũ comites de Vrach

dáre

daret, ſimulque fidelitatem iuraret: tanta indignatione ſui eluſione Innocentius exarſit, ut in hęc uerba proruperit: Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philippus Pontifici inſigne regium auferet. Ac ideo Otthonem Heinrici Leonis filium, principem audaciæ atque ſuperbiæ quàm prudentiæ maioris, ex Anglia euocatum, cõtra Philippum, corona Imperiali ei miſſa concitauit: & Philippo, ut ab eo alios abſtraheret, ius faſq; omne interdixit. Ex quo peſtiferum quidẽ Imperio, curiæ uerò Romanæ rationibus perquàm commodum ac utile ſchiſma exortum eſt. Nam cum Philippus & Ottho ſæuiſsimis bellis de Imperio inter ſe decertarẽt: uix aliqua dignitas Eccleſiaſtica, uel etiam parochialis remanſit, quæ non per artes curię Romanæ litigioſa effecta, Romamque deducta, fœdiſsimis harpyis Romanis pro compoſitione litium ceſſerit expilanda: prout Abbas Vrſpergenſis in fine narrationis huius teſtatur, occaſionem, qua curia Romana tantas diuitias corraſerit, his uerbis oſtendens:

GAVDE (inquit) mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractę theſaurorum in terra, ut ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorũ hominum, quoniam in recõpenſationem tantorum malorũ datur tibi pre-

ciũ. Iocundare ſuper adiutrice tua Diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſsi, ut accumulentur tibi multa pecuniarũ præmia. Habes quod ſemper ſitiſti, decanta canticum: quia per maliciam hominum, non per tuam religionem orbem uiciſti. Ad te trahit homines, non ipſorũ deuotio, aut pura conſcientia: ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litiũ deciſio, precio comparata.

Roma uicit orbem non religione, ſed malicia.

Odoacer. Etſi autem Bohemiæ rex Odoacer, Landgrauius Thuringiæ Hermãnus, & epiſcopus Argentinenſis, unà cum Adulpho Colonienſi archipræſule, pontificio anathemate moti, ad Otthonem auũculi regis Anglici Richardi auxilio ſuffultum deficerent, non tamen Philippus animum abijcit: ſed Hetruria in Italia, & Sueuia in Germania firmo ualidoq; præſidio munita, Alſatiam tanquam Sueuiæ uiciniorẽ initiò uaſtat: deinde Thuringum, cui Bohemus ſeſe coniunxerat, ad pacem & deditionem compellit, Bohemo fugato. Poſtea per Colonienſem reconciliatũ, Brabantiæ & Lotharingiæ duces Cõfluentiæ fœdere ſibi iungit: ijsque peractis, cum exercitu ſocijsque Aquiſgranum deſcendit, ibiq; magna cum ſolennitate à Colonienſe coronatur. Ad extremum, prope Coloniá cum Otthone congrediens, eum ſuperatum in fugam

Nauclerus generat. 41. Vrſpergenſ. fol. 323.

gam

gam uertit: ita ut is ab omnibus desertus, in Angliam secederet.

Principes, cum felices prosperosque Philippi successus uiderent, & ciuili regũ discordia defatigati essent: communi consilio legationem splendidam ad Pontificem mittunt, quæ Philippo in gratiam Pontificis reducto iurium Imperij confirmationem impetret. Ille uerò legatione audita, non alia conditioñe se iura Imperij Philippo confirmaturum ait, quàm si filia regis Philippi, filio fratris sui Richardo, recens comiti Thusciȩ, Spoleti & marchiæ Anconitanȩ creato, uxor detur, sperans nepotem suum hac ratione terras istas hæreditario iure perpetuò obtenturum. Sic sanctissimi patres, iam longo tempore, sede piscatoris conscensa, magis de suis nepotibus, propinquis, atque manseribus ditandis, quàm de Ecclesiæ uel Reipub. commodo solliciti esse consueuêre: bella quoque interdũ ob id suscitantes, ut cum pax constituenda est, spe firmioris amicitiæ, potentiores suos pontificijs coniungant. Legatis quidem hæc conditio à Pontifice proposita, perquàm peregrina & aliena à negocio esse uidebatur, filiam regis, Papȩ uilissimi nepoti in matrimonium tradi debere. Ne tamen eum offenderent, modestè ciuiliterque sese excusant, nihil de hoc sibi in mandatis esse datum dicentes: ac cõsulunt, ut papa suos super hoc ad regem mittat. Ille itaque, qui cupidius quàm prudentius nepoti suo filiæ regis ma-

trimonium quæreret: Hugolinum Hostiensem & Leonem sanctæ crucis in Hierusalem Cardinales, Philippi legatis in Germaniam reuertentibus adiungit. Etsi autem Augustam uenientes honorificè suscepti, benignéque sint habiti: tamen præpostera Papæ ambitione cognita, quæ legem domini sui temerare non erubesceret: Rex & principes tacitè in risum soluti, cum à legatis proposita nihil ad rem quadrare uiderent, Augusta Spiram, ac inde Northusium mouêre: ibiq; post longas actiones pax hac conditione est facta, ut Pontificis nepote spreto, repudiatoq;, filia Philippi, quam stultus pontifex táto studio ambiuerat, Otthoni despõsaretur: & hic, dum Philippus uiueret, regno cedens, post mortem eius regnaret.

Non diu uerò post hanc pacem Philippus superfuit. Cum enim relicta Saxonia iter in Sueuiam maturaret, atque Babenbergę ocij gratia subsisteret, ab Otthone de Vvittelsbach (nepote eius, cui Bauariam à Friderico collatam diximus, è fratre) in cubiculo, in quod solus uena incisa secesserat, proditoriè atque nefariè trucidatur: ipso indignante, quòd sibi perfidiæ infamia notato, Imperator filiam Otthoni desponsatam dare renuisset. Igitur post Philippi miserabilem interitum principibus Francofurti conuenientibus, Ottho unanimi eorum consensu Rex eligitur.

OTTHO

OTtho rex principum cõsensu ad Imperium euectus, rebus in Germania constitutis, ad diadema Imperiale recipiendum cum ualido exercitu per uallem Tridentinam cõtendit: ac per Lombardiam, Romam perueniens, ab Innocentio tertio, uniuerso clero populoq; Romano sibi occurrente, magno honore excipitur: quòd Pontifex in eo, cuius partes tanto tempore, tantoque studio aduersus Philippum fouisset, honoribus cumulando, nihil sibi prętermittendum existimaret. Verùm hic amor nõ diu inter utrunque durauit: sed quo calore subitò exarserat, eo quoque rursus extinctus, atque in odium conuersus est. Nam in ipso coronationis die, inter Teutonas atque Romanos causa donariorũ, quæ ab Imperatoribus dari uulgo consueuerant, tumultu exorto, ita ut circiter mille ac centum uiri cecidisse ferantur, non paucioribus grauiter uulneratis: Ottho rei indignitate commotus, de resarciẽdis damnis Romanos conuenit. Id uerò his facere detrectantibus, ac pontifice ei suspecto, quasi qui ciuib. tumultus occasionẽ præbuisset: Roma suorũ auxilio stipatus, Mediolanũ secedit: ibiq; Imperialibus insignib. depositis, ac militũ non paruo exercitu contracto, Thusciam, marchiam Atonitanam, totamq; Romandiolam, patrimonium S. Petri (ut aiunt) inuadit. Adhæc Apuliá manu hostili intrat, & Capuæ ducatum, aliasq; complures ciuitates ad regnum Siciliç pertinentes,

Naucl. gen. 41. Vrspergensis. Cuspinianus in uita Otthonis IIII.

 tes,

tes, Friderico secundo nihil tale suspicanti ereptas, in suam potestatem redigit. Innocentius hisce uisis, Otthonem ut regna Ecclesiæ feudataria reddat, & ab iniuria omni abstineat, admonet. At eo pontificis admonitiones non tantum spernente, sed & undiq; terris latrocinijs infestatis peiora moliente: Innocentius eum anathemate notat, Imperij titulis priuat: ac principes Sacramenti religione, qua Otthoni tenebantur, absoluit: prohibetque, ne quis sub anathematis pœna Otthonem aut haberet, aut diceret Imperatorem: Siciliæ rege Friderico, cui in cunis adhuc iacenti principes fidem dedisse ferebantur, in eius locum suffecto.

Naucl. gen. 40. Ottho itaque in Germaniam reuersus, etsi Norinbergæ conuentu acto, multa de scelerata tyrannide pontificum & principũ ignauia conquestus, quosdam sibi adiunxerit: & Hermannum Landgrauium Thuringiæ, qui ad mandata pontificis ab ipsius fide discesserat, Thuringia tota uastata, grauiter afflixerit: tamen tandem à suis desertus, in Saxoniá redire coactus est: ubi quarto die, postquam nuptias Augustales Northusij cum filia Philippi celebrasset, morbo correptus interijt.

FRIDERICVS SECVNDVS.

Fridericus Secundus, omni planè laude cùm forensi tum bellica, testimonio omnium scriptorum, dignissimus Imperator, deiecto Otthone, Aquisgrani diadema Imperiale Innocentij tertij autoritate accepit: ac hoc, anno subsequẽti Perusij mortuo,

Romæ

Romæ ab Honorio tertio imperiali corona cum nomine Augusti accepta, multa Italiæ prædia, atque in his comitatum Fundensem, cum donis plurimis Ecclesiæ contulit, seque ad expeditionem Hierosolymitanam, rebus Imperij prius cõstitutis, obstrinxit, more maiorum: qui falsa religionis persuasione decepti, putabant non aliter se posse Imperialem dignitatem, nisi muneribus & uotis obtinere: ignorantes, Imperium nõ tam à pontificis autoritate, q̃ Principum populiq; electione pendere: Pontificesq;, qui principum arma sensissent, non modico rerum suarum dispendio pro recuperandis Hierosolymis, nõ tam pro Christianæ Reipub. cõmodo, quàm pro suorum uentriũ impinguatione sollicitos esse. Vtq; principibus ad ulteriores mundi partes (hoc astu in specie ualde honesto) transmissis, ipsi interim suas artes domi liberè, citraque ullius contradictionem exercerent. *Cuspinianus in uita Friderici.* *Pandulphus Collenutius.*

Vtut uerò Fridericus initio se erga Honorium humilem ac liberalem exhibuerit: tamẽ nec uirtus ipsum contra pontificum dolos, impietatem, atque nefaria consilia tueri, nec beneficiorum magnitudo sceleratos põtificum animos mutare uel frangere potuêre. Adeò enim duriter tres sceleratissimi pontifices continuata serie sibi inuicem succedentes, fortissimum & bellicosissimum Imperatorem per totos ferè 30 annos exercuêre, ut immanissimi Barbari, Saraceni & Turcæ, quibus cũ difficilima bella insigni laude gessit, ipsos placabilitate, mansuetudine ac leni-

Pandulphus, tate longissimè superasse uerè dici possint.

Collenut. in uita Friderici. Siquidē Honorius paulò post accepta beneficia, nulla iniuria irritatus, duos Thusciæ *Vrspergens. & alij.* comites, Richardū & Thomā, perduellionis reos, publicos Imperatoris hostes ac inimicos seditiosè fouit, ac ab eius fide absoluit. Deinde, quòd ius suū in Sicilię & Apulię regno liberè usurparet, anathemate notatū, Imperij dignitate priuat: Lōgobardos ad rebellionē concitat, ita ut principes Germanię ad curiam solennem ab Imperatore Cremonæ indictā uenientes repellerēt: plura attētaturus, si longior uita ei cōtigisset. Gregorius itaq; nonus, qui ei successit, ne prædecessore inferior uideretur, crudeliore aīo in optimū *Cuspinianus in uita Friderici secundi.* Impatorē statim inito pōtificatu sæuit. Eum namq; accusans, q̄ Hierosolymitanę peregrinatiōis uotū, qđ sub Honorio uouerat, mini *Naucl. gen. 41.* mè solueret, termino pręfixo ad subsidiū terrę sanctę ꝓficiscēdo: nō modò nō ulla ratiōe cōuictū, uel cōuentū, sed neq; auditū anathemate renouato cōdemnat: & nūcios Imperatoris honestissimos, honestas ac ueras domini sui excusatiōes afferētes, submisseq; ueniā, si Fridericus deliquisset, petētes, ad se admittere, uel in conspectu concilij audire renuit: sed quotidie fulmē anathematis eiaculatus, Ioānē Hierosolymitanū regē, ac Tusciæ comites Imperatori rebelles, multosq; alios è Lōbardia ꝓceres in rebelliōe cōfirmat, principib. ad diē cōuentus ab Imperatore Rauennę indicti ꝓperantib. iter intercipit: ac milites cruce signatos Hierosolymitanę expeditioni

tioni accinctos, omni uiatico spoliat. Iis itaq; Fridericus uisis, quo pōtificis rabies mitigaretur, traiecto mari Accon applicuit, multaque ꝓpter Christi fidē nō sine labore ac gloria peregit. Interim uerò Papa per Impatoris absentiā (proh nefandissimum pontificū nefas) captata occasiōe Apuliam tyrannidi suæ subijcit, cruce signatos milites traijcere prohibet, multaque horrenda non tantū uicario Christi, sed & Pontifice Romano indigna cōmittit. Nā & nūcios Imperatoris rē benè cōtra Soldanū gestā nūciaturos, occidi mādat: & ut urbes Apuliȩ quæ se Pontifici subijcere noluerant, inflecteret, Imperatorē diē suū obijsse publicè spargit. Soldanū etiā, quò ipse pro sua libidine totā Apuliam sibi subijceret, ne terram sanctam Cȩsari redderet, rogat. O pietatē sanctissimi patris. O studiū singulare Pōtificis in persequēdis infidelib. Id'ne militāte ꝓ Christianis Impatore, cōtra fidei Christianȩ hostes, patrē erat agere, an proditorē? uicariū Christi, an sathanȩ? At Impator in Italiā reuersus, licet nūcios Pontificis cū literis ad Soldanū intercepisset, quib. hūc rogabat, ne terrā sanctā Cȩsari redderet, nec uindicandi sese de pōtifice occasiōe destitueretur: tamen recupatis ijs q̄ sibi absenti ablata fuissent, oīa tanquā fortis athleta amore Christi suffert atq; dissimulat: & pacis cupiditate ultrò pontificē ut in gratiā recipiatur, Imperatorq; uocetur, ac pro regno Siciliȩ uerus Ecclesiȩ feudatarius habeatur, rogat.

Cuspinianus in uita Friderici.

At quantūuis multi Alemāniæ principes tā

Ecclesia-

Ecclesiastici q̃ seculares, utpote Ebehardus Salisburgẽsis, Seyfridus Ratisponẽsis, Sibotus Augustẽsis episcopi: Leopoldus Austriæ, Ottho Merouiæ, & Bernardus Carinthiæ duces, aliiq; cõplures de recõciliãdo pontifice cũ Cæsare tũ Capuæ agẽte summopẽ annitерentur: nulla tamẽ cõcordia prius coire, uel absolutio impetrari potuit, quàm Imperator uncias auri centũ & uiginti millia per magistrũ militiæ Teutonicæ ærario ecclesiæ inferret. An hoc erat fratri peccanti, septuagesies septies ignoscere? an erat hoc gratis dare, quod nullis datis nummis acceperat? O paternũ & placabile pectus: O munificũ prolixũq; mercatorẽ. Tanto itaq; precio absolutiõe cõparata, simulata amicitia cõuiuio accipitur. Vix uerò inde in Germaniã profectus, ut Henirici filij, q Lõgobardis ac Thuscis cõtra ipsum conspirârat, delicta corrigeret: à principib. coràm intelligit, missos à Pontifice nũcios, q ei' nomine mãdassent, ne quenquã ex familia Imperatoris decernerẽt regẽ: nec eo cõtentũ, cũ multis Italiæ principib. ut Impatoria dignitate eũ deijcerẽt, cõspirasse.

Cuspinianus. Platina in uita Gregorij. Nauclerus generat. 41, Platinam citans.

Cùm ergo Fridericus irarũ plenus, rebelles domiturus, multas Vmbriæ, Longobardiæ atq; Hetruriæ urbes expugnaret: Põtifex, qui id ægerrimè ferret, Fridericũ tertiò diris deuouet, & ut eum à fastigio rerũ humanarum deturbaret, cum Venetis noua fœdera init: deinde Romæ Conciliũ apud Lateranũ ex cõsilio Franciæ & Angliæ regũ indicit, in quo de abrogãdo Friderico cõsultatio haberetur: anteq;

anteq; eius initiũ, apoſtolorũ Petri & Pauli in ſupplicatione ſolẽni capita per uniuerſam urbem circumferri iubet. Adhæc, habita in baſilica S.Petri oratione cõmiſerationis plena, populum cruce ſignat, ac arma contra eũ ferentibus uitam æternam promittit.

Collenutius, quem præ cæteris uide. Platina in uita Gregorij IX.

Fridericus ea re cognita, nõ parum indignatus, cõtra ſe, tanq̃ infidelẽ Sarracenũ uel Turcã, crucẽ dari: copias ad urbis mœnia ducit. ibiq; prælio cũ Romanis cõmiſſo, in quo inſigni clade afficiebãtur, cõtra hos q̃ cruce ſignati erãt, nihil crudelitatis prętermittit. His etenim quatuor plagas in modũ crucis infligi, alijs caput quadrifariã inſtar crucis diffindi, clericis ſimilisq; farinę hominib. coronã clericalis dignitatis notã ad uiuum reſecari, crucẽq; ei imprimi iubet: ut q cruce ſignati dicerẽtur, re quoq; ipſa eſſent. Pôſt Fauẽtia per lõgã obſidionẽ ad deditionẽ cõpulſa, cũ cognouiſſet põtificios legatos ꝓ euocãdis Eccleſiaſticis Gallię & Anglię, ad Cõciliũ emiſſos, terra mariq; oẽs uias põtificijs, ne Cõciliũ adire queant, præcludit: ex Cardinalibus, alijsq; Eccleſię prȩlatis, nauigio uectis, ꝑ Piſanos cõplures capit, & in carceres detrudit: Cardaliũ duos ſubmergit: aliorũ quoſdã Abbates, epiſcopos, atq; inter illos Papæ fratrẽ, ob inſignes ꝓditiões patibulo ſuſpẽdit. Bonus itaq; ille pater Gregorius, cũ unctos Dñi tã aſpè à Friderico tractatos cognoſceret, rei indignitate ita cõmotus atq; turbatus eſt, ut in ęgritudinẽ incidẽs, ex animi mœrore, uiã, quã dilecti filij ſui ĩgreſsi erãt, ſubſequeretur.

Naucl. gene. 42. Sed hic maximè uide Collenutium.

Huic

Huic Cœlestinus IIII succedés, multa etiá côtra Imperatorē Fridericū moliri cogitauerat: ea tñ furibūdus pontifex, ob uitę breuitatem, perficere nō potuit. Nam in pontificatu tráfactis solummodo decem & octo diebus, uenenato poculo absumitur.

Petrus de Vineis li. 1. epist. 33.

In eius locū Nocētius tertius pōtifex creatus, ex intimo Cęsaris amico, inimicissimus illicò factus hostis, rabiosius q̃ alius quisquá optimū principē persequi cœpit. Balduino nāq; Imperatore de pace inter Imperiū ac Sacerdotiū cōstituēda laborāte: Pōtifex Genuensiū nauigio fretus, quod apd Cētūcellas in portu cōsederat, elusis omnib. in Gallias Lugdunū ꝓfugit: ibiq; cōcilio indicto, Fridericū citari iubet, & ipse cōcionabūdus citat: nō cōparentē, sed per Thadæū Suessanū Iurecōsultū insignē, tēpus opportunū, quo uenire Lugdunū posset, sibi dari submissē precantē, iusta dilatione negata execratur, Imperiali dignitate priuat, principes à fidelitatis iuramēto absoluit, eosq; ut aliū eligát Imperatorē Friderico relicto hortatur: multas afferés causas falsissimas, & planè cōfictas, blasphemias, periuriū, sacrilegiū, aliaq; id genus, quæ in c. Apostol. de senten. & re iudicata li. 6. uidere licet.

Collenutius, & Cuspinianus in uita Friderici. Hieron. Marius.

Fridericus ergo hac sentētia pōtificis cognita, reb. Italię cōstitutis, instructissimo comitatu Lugdunū cōtēdit, ut corá cū Pontifice agat. Cū aūt Taurinū usq; ꝓgressus, ibi cognosceret, exules Parmēses, reliquis ciuib. Impij studiosis magna clade affectis, in patriá pōtificis instinctu reductos: ueritus ne reliqui Italiæ

taliæ populi simili exẽplo rebellarẽt, omissa Lugdunẽsi ꝓfectione retrocedit: ac literis ad regẽ Frãciæ & ad uniuersos prælatos scriptis, oĩa sibi obiecta honestissimè refutat, ac nulli tatẽ pontificię sẽtẽtię ꝓlixè demõstrat, & si mul ad obsidionẽ Parmę uirib. q̃ maximis se parat. Interea uerò dũ Grosseti in ora mariti ma Senensi hæret, aucupijsq́; indulget, quo animũ grauiorib. curis & occupationib. fati gatũ reficiat: Pontifex, qui dies noctesq́; de Imperatore ꝓdẽdo cogitaret, ministros eius præcipuos partim persuasiõe religionis, partim largitionib. corruptos, ad cõspirandũ in necẽ dñi ꝓditoriè induxit. Itáne uerò Christus hostes diligẽdos censuit? Siccine Petrus reges honorãdos præcepit? Sicarijs'ne & par ricidis, an Petri successori, tales actiones cõ uenientiores? Ast coniuratione detecta, proditores dignas sceleris sui pœnas dedere.

Cuspinianus in uita Frider. Naucl. gen. 42. Epist. extat in epistolis Petri de Vineis, ep. 32.

De hac coniuratione uide Epist. 10. & 52 lib. 2. Rursus epist. 19 & 62. li. 3.

Nocẽtius uerò, etsi scelerata machinatione se frustratũ, ac Imperatorẽ suis manib. hoc tẽ pore elapsum uideret: nõ tñ desistendũ arbi tratur, antequã ipsum & regno & uita priuaret. Quare ꝑ serias grauesq́; cohortatiões ac pollicitatiões, principes Germanię impellit, ut Friderico exautorato, Lãdgrauiũ Thuringię Henricũ eligãt. Ast hoc, cũ Vlmę Friderici partes sequẽtis obsidionẽ solueret, eodẽ anno quo rex electus erat, ita lethaliter uulnera to, ut Imperiũ cũ uita relinqueret: nec sucessore Vvilhelmo alijs bellis occupato, quicq̃ in gratiã põtificis suscipiẽte: tum qui Friderici cũ diris põtificijs spretis, Imperij rebelles in

Italia acerrimè persequi, eumq; nihil de infracto animi robore remittere uideret, post longas multiplicesq; insidias ipsi structas perficit, ut ueneno dato tandem interimatur, anno Imperij 32, ætatis 57. ea die quá olim Imperator designatus erat.

Hũc finẽ scelere põtificis sortitus est heros pręstãtissimus Fridericus secũdus, utriusq; Siciliæ & Hierosolymę rex, Sardinię & Italiæ dñs, dux Sueuię, princeps strenuus: nõ animi solũ uigore, sed etiã corpis uirib. excellẽs, fortis, magnificus, liberalis, multarũ linguarũ peritus, ac simul erudit⁹: cui si p Italorũ rebellionẽ, ac põtificũ uæsanã improbitatẽ arma in Christi hostes uertere atq; exercere licuisset, næ ipse Alexãd. Magno par haberi potuisset.

Quinimò si hæc ætas nostra, q̃ põtificis tyrãnide excussã, Imperatori magis q̃ põtifici obediẽdũ esse didicit, illũ Imperatorẽ uidisset, nec impio Germanico q̄cq̃ amplius atq; augustius, nec põtificia sede abiectius cõtẽptiusq; haud dubiè esset. Quare de eo nihil aliud dico, nisi eius statuæ meritò subscribi posse, quod olim Bruti libertatis Romanæ uindicis, VTINAM VIVERES.

Verùm enimuerò, quantũuis hoc generosissimo principe extincto, odiũ tamen pontificum extingui uel satiari non potuit: sed id immani rabie ac impietate cõtra diuinæ legis præcepta in posteritatem eius tamdiu extensum est, donec hęc unà cum regno uita quoq; ab ipsis priuaretur.

Nam à morte Friderici statim Innocẽtius

III,

III, & eius successores Alexander & Vrbanus, uterque eius nominis quartus, regnum Neapolitanum magnis copijs & uiribus aggressi, id Sueuis eripere conati fuêre: sed frustra, Manfredo id strenuè atque uiriliter contra hostes defendente: donec quod Clemēs quartus, cœpta prædecessoris Vrbani prosecutus, Carolū prouinciæ & Andegauorum comitem, Ludouici Francorum regis fratrem, ex Gallijs euocatum hac lege, ut pulso Manfredo quotannis feudi nomine 40 millia numûm aureorū ecclesiæ Romanæ persolueret, nec imperium Romanum etiā ultrò oblatum acciperet, utriusque Siciliæ regem dixit. Tunc namque Carolus corona regnorum Siciliæ atque Hierusalem Romæ in Lateranensi basilica accepta, pòst multas uariasque conflictationes non tantū Manfredum ad urbem Beneuentum à suis proditum deuicit & occidit: sed & nobilissimam familiam ducum Sueuiæ, multorum præstantissimorum Imperatorum genitricē, plus quàm Phalarica tyrannide extinxit, Cunradino Cunradi filio ultimo eius familiæ adolescēte, quem regnum paternum repetētem prope Neapolim proditum in potestatem redegerat, tanquam ecclesiæ persecutore, scelerato papæ consilio securi percusso.

Platina in uita Clemētis quarti.

Vide Nauclerum gen. 43

Clemens siquidem Papa post multorū prudentium uirorum, Cunradinum ueluti unicum nobilissimæ familiæ Sueuicæ columen seruandum, ac affinitate deuinciendum esse suadentiū sententiam, à Carolo, quid de Cunradino statuendum esse censeret consultus, in hæc uerba proditor inclementissimè respondit:

Collenutius lib. 4. histo. ria Neapol.

VITA Cunradini, mors Caroli: mors Cunradini, uita Caroli. Hac uoce animum per se sæuum, ad cædem Cunradini inflãmans: cum & antè se proditi Cunradini conscium esse non obscurè ostendisset: Cunradino magno Germanorum exercitu Viterbium, ubi tum degeret, transeunte, uaticinatus, ipsum tanquam agnum ad cædẽm duci.

Sic itaq; Friderici familia à pontificibus exagitata, & post innumeras strages à sanguinarijs beluis funditùs excisa: principes Germaniç fatalibus pontificum & Imperatorum contentionibus ita territi fuêre, ut nemine Imperij curam suscepturo, Alphonsus Hispanus & Richardus Anglicus pontificio fauore, quem pecunia emisse scribuntur, ad coronam, quam tantis seculis soli Germaniæ principes tenuerant, aspirarint: sed neutro tamẽ, metu alterius, quicquam attentante, Imperium uiginti duobus penè annis legitimo rege caruerit, quo ad post longam uacationem & ciuilia bella communi principum uoto Rodulphus Habespurgicus eligeretur.

RODVLPHVS HABSPVRGICVS.

Rodulphus itaq; Habspurgicus à Friderici, filiorumq; eius miserabili interitu, rex Romanorum electus: etsi Gregorio decimo de Roma adeunda, & corona accipiẽda, fide data eiusdem aliorumq; pontificum amiciciam

miciciam singulari studio coleret, quod duab: potentissimis familijs Francica & Sueuica à pō tificibus tyrannicè extinctis, & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegauēses transٍ lato, non temerè pontifices Gallico præsidio, atque Germanicorum episcoporum factione suffultos irritandos: sed Germaniam, quæ iam uastata ac penè collapsa erat, in pristinum statum restituendam esse censeret: tamen sua pietate, clementia, religione, humanitate, modestia ac humilitate nihil aliud gratiæ ab ingratissimis sceleratissimisq́ pontificibus referre potuit, quàm iurium Imperij uiolentas inuasiones, opprobriaq́ nefanda. Nam eius ætatis pontifex Honorius IIII, inuito Rodulpho, comitem Ianuensem nomine Pniziuallam, iure Imperij sibi arrogato, uicarium generalem Imperij in Italia constituit: & Rodulpho à ciuitatibus Imperij pro libertate concessa pecuniā recipiente, eam rem uti infamem pontifex scelerate suggillauit. Et Nicolaus eius nominis quartus post Honorij discessum, Romandiola & Rauenna sub falsa expeditionis Turcicæ specie à Rodulpho extortis, nisi eius consilia mors præoccupasset, duos reges creare molitus est, quorum alterum Hetruriæ, alterū Lombardiæ præficeret: qui inde Theutonicos Alpes incolentes, hinc Gallos Siciliam & regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent. Iis itaq; Rodulphus cognitis, coronæ Imperialis splendore in Italiam se pellici passus nō est, publicè semper nouas occupationes causatus: apud amicos minimè dissimulās, se ab

Mutius libr. 21. Nauclerus generat. 44.

Naucler. ubi suprà.

Paralip. Vrspergens.

Italia deterreri, quòd Cæsarum in Italiam uesti gia læta, magnifica, plenaq; bonæ spei essent: ex Italiam uerò referentia & foras uersa, tristia, misera ac luctuosa: alludens ad Apologū Aeso picum de uulpe, quæ leoni in spelunca ægrotanti dixerat, ideo se terreri ab ingressu, quòd uestigia omnia ingredientium, non egredientium essent animalium.

ALBERTVS PRIMVS.

Cuspinianus in uita Alberti. Paralip. Vrsperg.

RODulpho patri, à sublato Adolpho Nassouiensi, in Imperio succedens Albertus eius nominis primus, licet eadem erga pontificiam sedem obseruātia qua pater esset: tamen atrocissima Bonifacij octaui conuicia effugere non potuit. Siquidem cum pro more electionis suæ confirmationem à Pontifice per Oratores peteret: Malefacius iste ense accinctus, coronaq; imperiali ornatus in publicum prodiens, tyrannica uoce clamauit:

EGO sum Cæsar & Pontifex. ac indignabundus electionem, quæ sine sua autoritate facta esset, ut friuolam & nullam reijciens, & confirmationem recusans, Albertum contumelioso opprobrio homicidam appellauit. Ac etsi postea grauissima discordia inter Malefacium & Philippum Franciæ regem, qui pōtificem dominum suum agnoscere nollet, exorta, mutato clypeo (ut dicitur) imperatorem Albertum approbarit, eumq; de regno Franciç per literas inuestiuerit, rege Franciæ in publico consistorio excommunicato: tamen cum Albertus se contra regem Franciæ nihil moturum

diceret,

diceret, nisi sibi suisq; hæredibus regno & imperio confirmato: Papa quo uirus animi recon ditum proderet, arrogantissimè ei respondit: Non futurum id Ietzabele uiuente. hoc nomine feminam illustrissimam Elizabetham, uxorē Alberti, filiam Menihardi, comitis Tyrolis, & Cunradini ducis quondam Sueuorum sororē ex matre, denotans: eamq; ut cleri persecutricē infensissimam, contra diuinæ legis mandata, ob fratris, maiorumq; res contra pontifices gestas, contumeliosè proscindens. Haccine modestia tu quoq; Petre, cum Nerone tuo agere, taliq; habitu coram ipso incedere, teq; iactare solebas? O stupendam successoris tui uesaniā. Et hic est ille Malefacius octauus, qui regna & Imperia in sua manu esse arbitratus, utrumq; gladium usurpauit, & totius mundi dominum haberi se uoluit: & clauigerum cœli se esse in superbia gloriatus, à nemine iudicari debere promulgauit, quamuis innumeras ad inferos animas secum duceret. *Naucl. gener. 44.*

HEINRICVS SEPTIMVS.

POst Alberti obitum, Heinrico eius nominis septimo, è familia Lucelburgica, legitimo electorum suffragio Cæsare designato: Clemens V pontifex, qui tum Auinione degens, cum Philippo Galliæ rege dissideret, eius electioni in odium Philippi imperium ambientis, tanta facilitate consensit, ut per Italiam & Germaniam legatis missis, omnibus præciperet, quò Imperatorē reciperent, eiusq; electionem hac lege cōfirmauit: ut intra bien- *Mutius libr. 23.*

Naucl. generat. 43. nium coronam Romæ accepturus, Italiam, quæ tunc ob sexagenariam Imperatorum Germanicorum absentiam intestinis dissensionib. miserrimè dilacerabatu r, ingrederetur.

Verùm non diu admodum hæc pontificis uoluntas sibi constitit: sed improbitate solita ad ingenium antecessorum declinauit. Nam cum Heinricus promissis satisfacturus, perlustrata circumquaq; Italia, ac Ruperto rege Apuliæ cum Vrsinis bis profligato, Romam uenisset, in basilica sancti Petri coronam suscepturus: Clemens, quem facti, ob potentiam Heinrici & amicitiã Ruperti regis, pœnituisset, Cardinalibus initio coronatione Heinrici interdixit: deinde post grauem seriamq; expostulationem eius, in eam ita consensit, ut Heinricus papæ iuramentum præstaret. At eo id facere recusante, quòd noui exempli rem esse, nec usurpatam antecessor um suorum ætate diceret, Principem principum, ac orbis terrarum dominum, seruo seruorum fidelitatis iuramento obstringi: uirtute Stephani de Columna Cardinales cum multitudine terrentis, coronam ab ipsis obtinuit: sed ita, ut animus Pontificis penitus ab ipso alienaretur. Nam Clemens odio Heinrici incensus, ad Rupertum regem Apuliæ, quem is iuridico ritu læsæ maiestatis condemnarat, hostemq; Imperij iudicârat, defecit, atque sententiam in eum latam non tam Iuris prudentia, quàm odio Imperatoris improbauit, atque rescidit. Magnarum tum contentionum inter Pontificem & Heinricum

Auentinus lib. 7.

Cuspinianus.

Vide c. pastoralis. de sententia & re iud. in Clement.

cum ſemina iacta erant: ſed ea, præcipite atque præmatura huius morte, ad nihilum recidêre.

Nam cum Heinricus Siciliæ regnum, ad quod à Siculis uocabatur, occupare inſtitueret, atque in uigilia Aſſumptionis Mariæ Bonconuentum ueniſſet, à Pſeudomonacho Bernardo Dominicano, qui ſe diu amicum Imperatoris ſimulârat, cœleſti uictima toxico oblita, atque pollinc adamantino (quod præſentiſsimum uenenum eſſe aiunt) ſacræ optimi principis potioni indito, nouo & inaudito exẽplo extinguitur. Id omnibus eius ætatis faſtis, annalibus, actis, rhythmis, carminibus & epigrammatis publicè eſt diuulgatum. Dominicani tamen ordinis fratres id conſtantiſsimè negârunt: prætendentes, ægritudine animi, quod uindictæ auidus, de hoſtibus, ut uellet, ſupplicium ſumere non potuiſſet, animam Imperatorem efflaſſe: literis à ſanctiſsimo patre acceptis, quæ teſtarentur, ſceleſtum Iudam innocentem fuiſſe. Verùm enimuerò, ijs fratres ordinis iſtius, ſceleris commiſsi ſuſpicione exonerari non potuêre, quin eorum quàm plurimi in Thuſcia, Lombardia, alijsq; locis, unà cum domibus igne, gladio'ne perirent.

Rhythmi de morte Heinrici impreßi, hunc proditorem ueneficũ Paulinũ uocant.

LVDOVICVS BAVARVS.

HEinrico, eo quo diximus modo perfidè ſublato, quæ tempeſtas in uita eius impendêre uidebatur, poſt obitum eius, ſæuo diſſenſionũ turbine, malorumq; pro-

cellis detonuit. Friderico siquidem Austrico & Ludouico Bauaro, discordi electorum suffragio electis, Iohannes XXII. utriusq; exagitandi occasione oblata, initio Fridericum ignominiosissimè reprobauit. Nam cũ Cunradus Gurcensis episcopus ab Austriacis missus, ut à pontifice Friderici imperium, Ludouico in ordinem redacto, ratum haberi peteret: & auis atauisq; Friderici collaudatis, fortes fortibus atq; bonis procreari commemoraret, is arrogantissimè respondit: Salomonem omnium mortalium haud dubiè sapientissimum, filium tamen stolidissimũ genuisse. Minimè obscurè hoc innuens, Fridericum à maioribus degenerare, imperijq; corona indignũ esse. Sed paulo pòst cum ipso clàm concordia inita, ipsum contra Ludouicum, quem regem & dilectionis filiũ, instar Iudæ salutârat, concitatum, in Italiam cõtra Maphæum eiusq; filios uicecomites, Genuam infestantes, uocauit. Ac Friderico anno octaúo post electionem acie uicto & capto, Ludouicum acerrimo odio prosequens, ut ecclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum declarat, cùm quòd statim post electionem antequàm à Papa iuberetur, nomen iusq; Imperij usurpasset: tum quòd fratres quosdam Minores à se hæreseos condemnatos, dirisq; imprecationibus proscriptos, suscipere, & Galeatio uicecomiti Mediolanensi eiusq; fratribus contra Pontificios suppetias ferre non dubitasset.

Auentinus li. 7. fol. 759

Cuspinianus in uita Ludouici Pulchri. Nauclerus gen. 46.

Ludouicus ergò, cum diuini humaniq; iuris peritissimis eius ætatis consultis intellexisset, acta & dogmata Iohãnis Christianæ doctrinę ... repugnarę

Nauclerus gen. 45.

repugnare, papam debere subesse Imperatori, nec hunc in temporalibus illi subiectũ,ita confirmatus est,ut à Papa malè informato,quemad modum loquuntur,ad Papam benè informandum,& ad concilium generale quãdo esset Romæ in sede beati Petri appellaret, Papęq; conatibus sese uiriliter opponeret: appellationis formula per omnes Imperij fines promulgata. Cęterùm dum ad hunc modum uerbis & scriptis contenderetur: accidit,ut Romani grauissimis factionibus uexati, missis ad Ioannem legatis supplices peterent,ut Auinione relicta, urbem pontificũ sedẽ reuiseret, ac regi Romanorũ imperialia signa conferret:id ni faceret, se antiquã populi Romani legem ac iura seruaturos asserentes. Verùm pontifice petita Romanorum non solum renuente, sed & summa cum ignominia, terroribus ac minis oratores auditos à se repellente; illi indignitate fastus pontificalis moti, Ludouicum, tanquam legitimum Imperatorem,literis & nuncijs Romam uocant. Ludouicus ergò ipsorum postulatis acquiescens, Italiam cum exercitu petit:ac Mediolani ab Archiepiscopo pro more coronatus,cum,antequã armis rem experiretur, rabiem pontificis deliniendam statueret,missis ad eum legatis,Imperialia signa sibi more maiorum ab eo conferri benignè rogat. At cum pontifex id non modò facere recusaret,sed & legatis repulsis, Imperatorem ipsum peremptoriè(ut dicitur)Auinionem citaret:Imperator,qui pontificiam tyrannidem in Ecclesia agnosceret, & Imperatoriam dignitatem diuinitùs sibi collatam, sanctam & inuio

Cuspinianus in uita Ludouici.

 latam

latam seruare studeret, pontifici serui instar sub iici, & Auinionem petere denegat, ac pacis studio denuò per nuncios Imperialium signorum collationem postulat. Quibus à pontifice denegatis, simulq; Vicecomitibus in odium eius anathemate percussis: tum uerò Ludouicus rebus Mediolani constitutis, Romam proficiscitur: ibiq; magna cum gratulatione exceptus, iussu totius cleri ac populi unà cum coniuge à Stephano Columna cardinali coronatur, omnibus nobilibus qui astabant acclamantibus, Ludouicum Augustum Romanorum Imperatorem: & mox eorum consilio, Petrum Corbariensem, professorem Minorem, uirum doctum, ac ad res gerendas aptissimum, summum pontificem creat: qui simulachrò Ioannis fabrefacto, id astante Cæsare ignominiosè concremat: eumq; hæreticum atq; Ecclesiæ tyrannum, publicæq; Christianorum pacis perturbatorem declarat.

Cæterùm Ioannes hisce auditis, & ipse durissimos processus contra Ludouicum publicat, Imperiali eum deiiciens dignitate: crudelissimaq; excommunicatione, tanquam Romanæ ecclesiæ rebellem & hæresiarcham, acerbissimè condemnans. Imperator ergo Ludouicus, cui Italia, cùm quòd longo tempore in ea fuisset commoratus, tùm quòd uenenum (quo Romanistas magis quàm armis certare cognouerat) metueret, displicere cœpisset: hac tanta pontificis rabie cognita, Germaniam repetiit. In quam eo reuerso, Papa Ioannes mox Auinione moritur, omnium animis in eam spem erectis, no-

ui pontificis electione tantas turbas sedatum iri. Sed huic succedens Benedictus XII, nil ipso benignior in Ludouicum existit. Nam statim censuras in Bauarum à Iohanne factas, ut in usurpatorem Imperij, confirmat, cumq; omni regio honore, & ducatu Bauariæ priuat. *Platina in uita Benedict. 12.* *Cuspinianus in uita Ludouici.*

Cæsar itaque cum hoc à pontificibus agi cerneret, ut Cæsarea dignitate conculcata, tyrannidem suam stabilirent: Francofurtum principibus, ac humanæ diuinæq; sapientiæ doctissimis quibusq; conuocatis, decretum de consilio doctorum sub sigillo suo contra processus defuncti Iohannis promulgat, rationem fidei suæ clarissimè reddit, planè ingenueq; profitens, se Christianum hominem, articulos fidei integrè credere. Adhæc multa præclara proponit, publica atq; solenni acclamatione nouas confirmationes antiquis legibus addens, easq; corroborans: scilicet ut Electores imperij, & nullus alius, regem Romanorum eligant: cuiq; plura accedant principum suffragia, is etiam in discordia uerus censeatur electus siue Rex, siue Imperator: cum in essentia idem sint, licet nomina diuersa credantur: idemq; possit, citra Apostolicæ sedis confirmationem, Imperij iura & exercere, & administrare. Debeat quoque mox idem post Principum insinuationem à Pontifice inungi, si legitimè sit electus. Quod si recuset Pontifex, possit à quocunque catholico antistite proclamari Imperator & Augustus: cum maximè inunctiones istæ solennitates tantum quędam sint adinuenticiæ, à Ponti *Apud Naucler. decretū hoc extat, gener. 45.* *Alber. Krātz. li. Saxon. 9. cap. 15.*

ficibus

ficibus excogitatæ, nomina tantum, & non res concedentes. Quis enim Rom. Pont. consecrauit Constãtinopolitanos Imperatores? Et quis, ante Carolum, multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum, ethnicos quis sacrauit Imperatores? Nec fidelitatis iuramentum Pontifici tribuit Imperator: sed obsequij, ac fidei defensionis. Præterea falsissimum esse ostendit, per uacationem Imperij ius ad Papam deuolui: idq; esse cõtra sacri Imperij libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Longa enim & approbata consuetudine, inconcussè à maiorum ordinatione hactenus obseruata, uacante Imperio, ius administrandi Imperij iura, feuda conferendi, & negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante clementina Pastoralis.

Quis hanc prudentiam Ludouici, cum insigni moderatione coniunctam, non efferat? qui ira atq; uindictæ cupiditate repressa, omnia ita egit, ut prudentia principibus Germaniæ probata, bonitas pontifici ipsi celebrata sit? Nam cum paulò post initia pontificatus inter Benedictum, regemq; Franciæ, simultate exorta, Imperator de ea certior factus, per splendidissimã legationem à Pontifice absolutionem & restitutionem peteret: pontifex multis in laudem Germaniæ & Ludouici commemoratis, se curaturum promisit, ut nobilis iste ramus Ecclesiæ (Ludouicum intelligens) qui iam ab arbore separari cœpisset, eidem redintegraretur: & aduersus oratores regis Galliæ, Rupertiq; Apuliæ, qui ipsum multa nefanda contra pontificem machinatum conquerebantur, intrepidè tutatus est: cum

Nauclerus generat. 45.

tum aperta testificatione, pontificios contra eum, non ipsum contra eos fecisse.

Verùm utut innocentiam Ludouici agnosceret, tamen rege Franciæ in odium Imperatoris atq; Pontificis Cardinalium reditus in regno Galliæ interuertente, ac rege Bohemiæ Iohāne, & duce Bauariæ Heinrico de nouo Imperatore eligendo nefaria consilia agitantibus, facilè ab absolutione innocentissimi Imperatoris se retrahi passus est: & pace tandem inter Ludouicum & Francum constituta, Pontifex, qui hanc inuitus uideret, eam ratam firmamq; rogatus habere noluit: prætendens, Ludouicum ad arbitrium regis nunc hæreticum, nunc Christianissimum minimè haberi debere. En quibus artibus pontifices, nostros Imperatores tractare, ludificariq; soleant? Hoc itaq; modo absolutionis negocio protracto, Imperator, qui fraudes pontificias animaduerteret, Electores ac principes Rensij conuocat: quos cum facilè comitate, liberalitate atq; clementia sua sibi deuinxisset, res eò deducta est, ut non tantum præstito iuramento, Imperij iura se seruaturos promitterent: sed & decernerent, Iohannis quondam pontificis processus aduersus Ludouicum nullos fuisse, nec decuisse pontificem talia cōtra Imperatorem attentare, cum eorum iurisdictiones distinctæ sint.

Naucleru ubi suprà.

Cuspin. Marius.

Interea Benedicto uitæ finem accipienti, succedit Clemens VI. homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus: qui statim diabolico furore percitus, literis Latinis & Germanicis, foribus templorum affixts grauissimarum pœnarum

Cuspinianus & Paralip. Vrsperg.

rum supplicium Imperatori comminabatur, ni si infra triduũ Deo & Ecclesiæ (se huius nomine intelligens) satisfaceret, & ab occupatione iurium Imperij desisteret: eoq; triduo exacto, & nemine Imperatoris nomine comparente, eum contumacem declarat: ac postea per Oratores ueniam petenti, cum oblatione, se omnia iniuncta pro uirili facturum : formulam reconciliationis durissimam, cumq; perpetua turpitudine coniunctam præscribit: nimirum, ut omnes hæreses atq; errores confiteretur, Imperium deponeret, & se atque filios suos & bona omnia in manus ac uoluntatem ipsius reponeret.

Vbi hic boni pastoris forma? ubi patris aspectus? ubi sanctimoniæ specimen?

Verùm enimuerò, etsi has conditiones ne uilissimum quodq; mancipium acceptasset: optimus tamen Imperator cum bella, cædes, ac sanguinis effusiones, si se non subijceret, exoritura uideret, formulam pontificiam ad se allatam recipit: illam non tantum sigillo corroborans, sed & seruaturum se iuramento affirmans: in tantum sese deijciens, ut pontifex hac humilitate audita, cum toto suo purpurato collegio admodum miratus sit.

Cum autem rem tantam citra Electorum, principum atque ordinum Imperij consilium suscipi minimè fas duceret, ideoq; ipsis Francofurti congregatis formulam reconciliationis perlegendam monstraret: ipsi, qui eam in plerisque in perniciem ac destructionem Imperij conceptam iudicarent, ea reiecta, Imperatori

firmum

firmum auxilium, si iura Imperij, ut antè fecerat, strenuè uiriliterque propugnaret, promiserunt: simulque legatione ad pontificem missa, ipsum monuêre, ut à friuolis illis & in læsionem Imperij excogitatis conditionibus desisteret.

Ea itaque ad Pontificem ueniente, rigoremque articulorum in Imperij perniciem conceptorum declarante, nec aliud agente, aut petente: Pontifex, qui horum omnium caussam in Ludouicum transferret, elusæ tigridis instar efferatus, cum Ioanne ac Carolo Bohemiæ regibus, antè à Ludouico deuictis, eorumque patruo Balduino Treuirensi archiepiscopo, de Ludouici filiorumque eius extirpatione maiori sollicitudine meditari cœpit.

Anno igitur humanæ liberationis quadragesimo sexto, supra millesimum trecentesimum, in cœna Domini, Ludouicum Imperatorem crudelissimè execratur: ac Iohannis pontificis durissimis processibus innouatis, eum hæreticum ac schismaticum declarat. Ad hæc, ne quid intentatum relinquat, principes Electores admonet, ut alium Imperatorem intra certum tempus eligant. id ni faciant, se daturum operam, ne diutius Ecclesia patrono careat, & aduocato. Postremò, in gratiam Bohemorum prædictorum archiepiscopum Moguntinum Heinricum de Wirtenburg, quòd Imperatori adhæreret, dignitate ac autoritate eligendi priuat, inque eius locum Gerlacū Adolphi Nassauiensis, quondam Romanorū regis nepotē, & pontificium sacellanum sufficit. Nouus itaque

pontificius

pontificius archiepiſcopus, quo ſui domini cu-
piditati ſeruiret, ac officium à Bohemis in ſe collatum ſimili officij genere remuneraret, ad nouum Imperatorem deligendum principibus Renſij conuocatis, cum Baldeuino Treuirenſi, Vualramo Colonienſi, Rodulpho Saxoniæ duce, & Iohanne Bohemo patre, Carolum Bohemum regem Romanorum ſtatuit.

Paralipomena Vrſpergenſis.

Etſi autem Ludouico uiuo Carolus electus, & Bonnæ coronatus ſit: tamen & eius autoritas, & ciuitatum erga eum beneuolentia tanta fuit, ut conuocatis poſt electionem Caroli principibus ac ciuitatibus Imperialibus Spiram, nullus inuentus ſit qui uel electionem Caroli approbaret, uel pontificios proceſſus curaret, ſed omnes in fide data ſe permanſuros affirmarint.

Quid itaq; ſi armis negocium tranſigere uoluiſſet? At, cum nunquam, quantumuis contumelijs irritatus, ulli bellum intuliſſet, ſed ſemper tantum armis inuadentes repuliſſet: patriæ ac publicæ utilitatis ratione habita, nihil armis tentandum ſtatuit, ſed ad ſua ſe recepit: ubi in lætiori conuiuio, ueneno, ex Clementis inſidijs (ut quidam literis prodidêre) hauſto, dum uenationem ingreditur, quò motu atq; labore corpus calefaceret, de equo præcipitatus, indigniſſimè eripitur bonis omnibus; anno proximo poſt Caroli electionem, quinto idus octob. anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo: cum annos tres & triginta inter magnas aduerſationes ita tenuiſſet Imperium, ut quem uiuentem boni omnes ſpreta Pontificia execratione iuuerant, eius defuncti nomen

atq;

atq; memoriá cõtra maledicos eius constanter defenderét: ut cùm ex alijs historijs, tum ex ea quæ de Basiliensi Cõsule literis est prodita, id patet. Nam cum episcopus Bambergensis, sibi à põtifice cõmissione (ut uocát) de absoluẽdis ijs qui Ludouico adhæsissent, Auinione transmissa, anno sequẽti post mortem Ludouici Carolum Basileá comitatus, Senatui persuadere conaretur, ut (quandoquidem partium Ludouici à Pontifice excõmunicati fuissent) absolutionem peterent: tum Cunradus de Berenfels, cõsul ciuitatis Basiliẽsis, præsente Carolo, multisq; alijs Ecclesiasticis atq; prophanis masculè respõdit, dicens: Dñe Bambergensis, sciatis quòd nec fateri, nec credere uolumus, dominũ nostrũ Ludouicũ Imperatorẽ Romanorum unquá fuisse hæreticũ: & quẽcunq; Imperij Electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamsi nunquá Papam requirat. Vt aũt hæc mascula uox Cõsulis, animũ uiri, legitimũ magistratum debito honore agnoscentis, ac innocentiæ, uirtutis amore, testimoniũ perhibere minimæ reformidátis ostendit: sic Ludouicus eo dignissimus fuit, uir siquidẽ optimus, ac Imperij libertatis studiosissimus, hostisq; põtificiæ tyránidis acerrimus extitit: ita ut meritò numero eorũ aggregádus uideatur, qui benè de patria merendi studio, nullas aduersitates refugerũt: sed patriæ dignitatem commodis priuatis præponentes, omnis posteritatis memoria dignissimi censentur.

Paralipomena Vrspergensis. Nauclerus, Vrspergẽsis, gener. 45.

CAROLVS IIII.

CArolus itaq; defuncto Ludouico, cũ cõpetitores imperij sibi à Mõguntino Palatino, Saxonico & Brãdeburgico electoribus obiectos, uarijs modis placasset, tandem à liberis ciuitatibus imperialib. oc casione pollicitationis, de impetranda ipsis absolutione excommunicationis, quòd Ludouico adhæsissent, susceptus, inq; Italiam profectus, Imperialem coronã obtinuit, sed maiore dedecore quàm superiorum Impera torum quisquã. Siquidem cũ pedes urbem ingrederetur, Senatorum quidã oratione ad populũ in Capitolio habita: Ecce (inquit) Rex tuus uenit tibi mansuetus. falsè ludos iocosq; de ipso faciens. Et Hostiensis Cardinalis ab Innocentio VI ad eum coronandum Auinione missus, non alia nisi hac conditione eum admittere uoluit, ut neque Romę, neq; in Italia diutius moraretur. Quàm uerò turpis & ignominiosa hæc conditio Imperatori fuerit, ex Francisci Petrarchæ, eius ætatis disertissimi, omniumque bonarum artium instauratoris eruditissimi, epistolis colligere licet, dum ad ipsum Carolum ita scribit: Nescio quid Romano pontifici pollicitus iureiurando interposito, quasi muro ualido seu monte inuio Romanę urbis aditu prohiberis. Quænam ista superbia est, principem Romanũ, publicę libertatis autorem, libertate priuare: ut cuius esse debẽt omnia, ipse non sit suus? Et alio quodã in loco Ne-

Nauclerus generat. 46.

rio

rio Foroliuienſis ſcribens, ab hiſce nō aliena ſentit: Omnis (inquiens) poteſtas impatiens conſortis erit. cuius rei ſi qua antiqua nō ſufficerent, uereor ne recens nobis exemplū caſus attulerit: neu iam pontifex Romanus principem Romanū Romæ eſſe uetuerit, ꝗ fama loquitur, quē nunc diademate contentum ac imperij titulo, Romni non ſolum pati tur, ſed iubet: & quem dici Imperatorē ſinit, imperare nullo modo ſiturus eſt. Vt uerò Caroli ſocordia, hanc pontificis deteſtandā ſuperbiam atque tyrannidem diſsimulanter ferentis, meritò culpanda eſt: ſic Pontifices odio dignisſimi ſunt, qui Imperatorib. optimis pro ſua libidine remotis, ſuarum cupiditatum miniſtros atq; ſatellites per horribilia bella ſubſtituerūt: Imperium in eam calamitatem, in qua adhuc hodie proſtratum iacet, ſceleratisſimè conijcientes. Hic ſiquidē Carolus, quò competitoribus imperij pacatis, bonis imperij, quibus ſemp inhiarat, liberè potiretur. deq; ijs ex animi ſententia negociari poſſet, Gunthero comiti Schuuartzburgico, uiro ſtrenuo & militari, ab Electoribus ſibi contrarijs electo, & Imperatori deſignato, uiginti duo millia marcarum argenti, ac duo oppida Imperialia in Thuringia, ad tem pus uitę dedit: Friderico marchioni Miſnen. qui in Schuuartzburgici extincti locum electus erat, decem millia marcarū ſoluit, ut Imperio cederet: mox Romā ad coronā accipiendā ꝓfectus. Ex ea tanta ignominia, quanta Imperatorū nullus, ſub ſpecie uenationis

Cuſpinian. in uita Gunth.

Idem in uita Caroli.

elapsus, atq; Mediolanum reuersus, familiæ Vicecomitum, qui tum Mediolani plurimũ poterant, ingenti pecuniȩ ui accepta, ut perpetui uicarij Cæsaris per Longobardiam essent, in magnũ imperij detrimentũ, cõcessit: regnum Arelatense ab Othone primo Imperio adiectũ, sumpto magno prandio in uilla noua prope Auinionẽ, Galliæ regi tradidit: Gerlaco archiepiscopo Moguntino, cuius suffragio electus erat, ius regis Bohemiæ inaugurandi Moguntinæ ecclesiæ competens ademit, atq; in Pragensem archiepiscopum à Clemente VI confirmatum transtulit, inq; collegium Canonicorum regularium Ingelheimense, Moguntinensis diœcesis, solos Bohemos recipi sanxit: mox quoq;, ut lucrum speratũ ex Imperio consequeretur, sedecim liberas ciuitates Sueuicas ad Imperium pertinentes, uicinis principibus uendidit: Bopardiam & Vuesaliam Imperiales ciuitates Cunoni archiepiscopo Treuerensi arctiori impigneratione obligauit. Lusatiam, quæ Imperialis beneficij nomine multis annis ab archiepiscopo Magdeburgensi possessa fuerat, archiepiscopo eius temporis pecunia corrupto, ut iura ecclesiæ suæ uenundaret, regno Bohemiȩ in omne æuum adiunxit: ut filium Vuenceslaum, hominem ignauia, torpore, ocio, luxu, delicijs, omniq; uoluptatum genere corruptissimum, successorem sibi pararet, aduersus leges auitas & patrias, contra morem maiorum, nouo, inaudito & pessimo exemplo, cuiq; electorum centena millia au-

Auentinus lib. 7.

Theodoricus de Nyem.

Zieglerus de uiris illustribus Germaniæ, cap. 91. et Krantz. li. 10 cap. 3. Saxon. Tritemius in Chron. Hirsaugens.

Æneas Syluius cap. 33. histor. Bohemicarum. Vide autẽ de his omnibus, et alijs quam plurimis prolixè Theodoricũ de Nyem, in Nemore suo iã edito, cap. 71.

reorum promisit: quæ cum soluendo non esset, quibusdam uectigalia, Palatino autem (ut memoriæ proditũ est) Cæsareã Luthreã, Oppenhemium, Odenhemiũ, Ingelhemiũ, pro centum millib. aureorum oppignorauit. Vnde Imperatoria maiestate ad nihilũ redacta, Imperiũ hucusq; caput attollere nequit. Illis siquidẽ uectigalibus, quæ Imperij patrimoniũ erant, partitis, deplumata est Aquila, ut cęteris animantib. contemtui sit. His ergo se ita habentibus, quis Imperialis maiestatis patrięq; amans, Pontifices horum malorum autores, tanq̃; filios perditionis, atq; teterrimas Christiani orbis pestes, nõ execraretur? *Zieglerus de uiris illustribus Germaniæ, cap. 83.*

VVENCESLAVS IGNAVVS.

POst Carolum Vuenceslaus filius, Imperij gubernaculis susceptis, cum durante schismate inter Vrbanum VI & Clementem VII (quo nullum perniciosius aut diuturnius unquam in ecclesia fuit) Vrbano sese adiungeret: Clemens, legatos ipsius, inter quos quidã honesti sacerdotes fuisse memorantur, missos ad se magnis cruciatibus inclementissimè interfecit. At, cum censu ecclesiastico ab Vrbano per totũ imperium, in subsidium Romanæ profectionis impetrato, auarus rex, auarissimos Romanos, pecuniæ ex reditibus ecclesiasticis coactæ inhiantes, aduentus sui spe fefellisset, & is totũ se ab amicitia eius auertit. Sed morte præuentus, quod in ipsum haud dubiè attentasset, Bonifacius IX eius successor perfecit. *Nauclerus generat. 47.*

Nam is Vuenceslai deiectione ab Imperio, non tam quòd uitæ genere ac educatione corruptissimus esset, quàm quòd Romanos fefellisset, approbata, Ruperti comitis Palatini electionem per archiepiscopos Moguntinensem, Coloniensem & Treuirensem factam, ratam firmamq; habuit.

Theodoricus de Niem, li. 2. cap. 14.

RVPERTVS CAESAR.

VT uerò Bonifacius Nonus in odium Vuenceslai eius deiectionem, ut diximus, facillimè promtissimeq; approbauit: sic Ruperto rerũ potiente Alexander V maliciosissimus Cretensis, tertius à Bonifacio Romanus pontifex, animo in Rupertũ mutato, non tristius in imperio, quàm tunc in ecclesia esset, schisma scelerate excitare conatus est. Nam statim postquam in concilio Pisano cathedræ piscatoris præfectus esset, iure Ruperti, iusto titulo imperij possessione gaudentis, penitus neglecto, Vuenceslaum unanimi electorum ac principum sententia imperio remotum, literis suis regem Ro. nominauit. Vnde Rupertus hanc iniuriam ac uiolentiam ęgerrimè ferens, de ea principib. uehementissimè conquestus est: ac Alexandri obedientiam in Germania fortiter turbauit: maiora in ipsũ suscepturus haud dubiè, ni incendij gliscentis scintillæ, unà cum Pontifice, pharmaco Marsilij Parmensis medici extincto, magno totius orbis Christiani commodo, sopitæ fuissent. Porrò uerò dum Rupertus ijs emendandis, quæ auaricia Caroli, & ignauia Vuenceslai corrupta fuissent, intendit,

Theodoricus de Niem, li. 3. cap. 53.

tendit, anno imperij decimo uitam amittit: imperio ad Sigiſmundū, principē ſapientia, eruditione & ꝓbitate clariſsimū, tranſmiſſo.

SIGISMVNDVS.

Sigiſmundus itaque cum eo tempore ad Imperium accerſitus eſſet, quo Eccleſia grauiſsimo ſchiſmate per tres Antipapas, Iohannem XXIIII Bononiæ, Gregorium XII Arimini, Benedictum XII in Hiſpanijs ſe continentem, miſerrimè dilaceraretur, ut ſchiſmate ſublato, Romana ſedes in portum collocaretur, tantos labores pertulit, quantos ante ipſum pro Eccleſię ſalute pauciſsimi regum uel Imperatorum ſubijſſe leguntur. Etſi enim iure ſuo, atq; exemplo anteceſſorum, faces iſtas diſſenſionum ſede pontificia deijcere, eaſq; coercere potuiſſet, ac debuiſſet: tamē moderatione ac autoritate concilij generalis, quàm armis ac uiolentis remedijs diſsidiū hoc tolli maluit, Ideoq; quo cæteri reges in concilium coirent, non ſine grauiſsimis laboribus, ſumptibus & periculis, regna ferè omnia totius orbis Chriſtiani peragrauit, Galliam & Hiſpaniā adijt, in Angliam nauigauit: cumq; regibus iſtarū terrarum egit, ut pium ac neceſſarium conſilium eius approbarint, idq; ſe adiuturos pol liciti fuerint. Poſtea in Italiam profectus, Iohanni pontifici Mantuę perſuaſit, ut Conſtantiam ad concilium ueniret: Concilioq; congregato effecit, ut remotis tribus Antipapis, Ottho Columna patricius Romanus, aſſumto nomine Martini V, Pontifex omniū na-

Nauclerus gener. 48. Paral. Vrſperg. Cuſpinianus.

Platina in uita Martini V. prætér alios.

nationũ ſuffragijs eligeretur. Adhęc Huſsiũ & Hieronymum Pragenſem, uiros eruditione & pietate excellentiſsimos, contra fidem datã publicè condemnari, & crudeliter comburi tulit, ut diſsidijs ſublatis pax in eccleſiã reduceretur. At quam gratiam ab ingratiſsima iſta ſede retulit? ſanè talem, quæ quemlibet prudentem, à benefaciendo ipſi meritò deterrere debeat. Nam cum aliquò tempore pòſt, pontificatum Eugenio Quarto Veneto occupante, in Italiam pro corona Imperiali accipienda ueniſſet, ac ſe Philippo Mediolanen. duci, tunc cũ Venetis & Florentinis belligeranti, paulò benigniorem exhibuiſſet: hi potentiã Imperatoris ueriti, facilè Pontifici perſuaſêre, ut is Imperatori corona denegata, ſuas copias Venetorum ac Florentinorũ adiungeret, ac ipſum à tranſitu Arni Senas præterfluentis, arcere conaretur. Egregia ſanè gratia Sigiſmundo relata, ac digna pontifice Romano. Ac licet multorũ interceſsione aſsidua res tandem eò deducta ſit, ut cum Imperator Senis ſex totos menſes, ſpe coronationis, magnis impenſis ſubſtitiſſet, bona Eugenij gratia Roma coronatus diſceſſerit: tamen ſanguinarius iſte Pontifex, aliquanto tempore pòſt, pontificatu deiectus, quòd decretum concilij Conſtantienſis (quo ſancitum erat, ut Pontifices ſeptimo quoque anno, pro ſeruanda Chriſtianorum unione, generalia celebrarent concilia) euertere, Conciliumque Baſilienſe à Martino indictum, & à ſe confirmatum, impedire conatus

Platina in uita Eugenij IIII.

tus s

tus esset, maximas Germaniæ calamitates sub Friderico III Austrio suscitauit: Ludouico Caroli regis Franciæ filio, quem Delphinum uocant, contra Germanos concitato. Hic namq; quò Consilium Basiliense ad placitum Eugenij dissiparet, cum suis Armeniacis & cæteris gentibus, Alsatiæ uicos & nõnullas ciuitates, dolo, perditione, ac blandimẽtis ingressus, Alsatiá omnem uini atq; frumẽti feracissimá miserè uastauit: ac ædes, domos, casas ciuiũ, pauperũ, orphanorũ, uiduarumq;, & ipsa Dei nostri sacratissima templa crudeliter succendit. Cæterũ cum omni crudelitate in Alsatia perpetrata, tãdem Basileã cũ triginta millibus accessisset, à tribus militibus Heluetiorũ fortiter pro patria pugnantium cæsus, ægrè tertiam partẽ mutili fractiq; exercitus in Gallias reduxit: dignam militia pontificia mercedem referens.

Vuimphelingus in Epitoma rerum Germanicarum.

Nauclerus generat. 49.

FRIDERICVS III.

Sigismundo successit Albertus. at eo, biennio pòst quàm electus esset decedente, rerum summa Friderico Austriaco delata est: qui cum natura clemens, mansuetus ac pacis studiosissimus esset, ne põtifices pacis turbatores ac hostes perpetuos offenderet, sedulò cauit. Non tamen ipsorum aduersationes euitare, superbiá emollire, uel fraudes penitus effugere potuit. Nam cũ tempore concilij Basiliensis, nimirũ anno Domini 1441, publica deliberatione Mogũtiæ tractaret de Concilij Basiliensis, quod Papa euerte

Syluius de Basiliensi cõcilio.

Epistola extat in fine Clemangis, et in Fasciculo rerum expetendarum ante aliquot annos Coloniæ impresso.

re conabatur, authoritate conseruáda, & exactionibus quibus Papæ ecclesias Germanicas exugerent, minuendis, literis ea de re scriptis ad regem Galliæ, ut uel ad eum conuentum ueniret, uel aliquot eximios uiros mitteret. Papa eo cognito, id per legatos egit, ne rex Galliæ uel ipse proficisceretur: uel ullos legatos, se incõsulto, eò mitteret: atq; hac ratione optimi Imperatoris præclari conatus tunc temporis frauduléter elusi fuêre. Mox quoque pôst sceleratissimi nebulonis Eugenij arte, ea, cuius meminimus, Alsatiæ uastitas illata est. Ac, etsi qui hunc tres Pontifices subsecuti fuêre, eos ita humanitate sua demulserit, ut nihil imperij sui tempore contra se molirentur: maioraq; de successore ipsorũ Pio II, uetere ministro suo, speranda habuerit: is tamen pestilentiæ cathedra conscensa, Friderici agnatum Sigismundum, archiducẽ Austriæ, diris execrationibus deuouere, Germaniamq; horribilibus bellis intestinis, nulla Imperatoris authoritate habita, inuoluere non dubitauit. Siquidem cum Sigismundus Nicolaum Cusanum à Põtifice ad deglubendum episcopatum Brixinensem in Tyrolim missum, post longas cõcertationes, quòd suę ditionis homines Romanistarum rapacitati exponi nollet, in uelitatione equestri captũ, custodiæ mãcipasset: Pontifex ob læsam maiestatem in sua creatura acriter cõmotus, Sigismundum grauissimæ censuræ subdidit: nec prius ipsum, quantũuis Friderico interceden-

Historia hac extat in Antilogia papæ, exposita à Vuolfgango Vueissemburgio.

cedente ea liberauit, quàm Pluto deprecatũ ueniret: nil regibus, nil populis unquã timore concedens, ut eius adulatores scribũt: sed insatiabili pecuniæ cupiditate, quoslibet ei refragantes, pontificio fulmine atq; horribilib. bellis prosequẽs. Hinc cũ mortuo Theodorico Erbachense Moguntino archiepiscopo, Dietherus Eisenburgicus in eius locum suffectus, pallium episcopale XX millibus sexcentis quinquaginta aureis Rhenẽsibus redimere tardaret, quòd authoritate Cõcilij Basiliensis annatæ dãnatæ abolitæq; essent: Pius grauissimè Diethero indignatus, cõfirmationẽ ei denegauit: eamq; æmulo eius Adolpho Nassauiensi, quod multos haberet amicos & consanguineos, quorũ auxilio possessionem Ecclesiæ adipisci posset, contulit. Diethero uerò uiriliter deiectioni suæ sese opponẽte, & cùm alios, tum uerò Fridericũ Palatinum, & Fridericũ Brandenburgicum, ac Philippum Catzenelbogicũ comitem, in suas partes magnis muneribus pertrahente, tãta belli incẽdia sunt nata, ut præcipui Germaniæ proceres ijs implіciti, insignẽ rerum suarũ iacturam fecerint. Marchio siquidẽ Badẽsis Carolus, episcopus Metẽsis Georgius, & Vlrichus comes Vuirtenbergicus, Adolpho Nassauiensi opitulãtes, memorabili prælio cũ sua nobilitate ad Seckenheimiũ à Friderico Palatino cęsi, capti, & in Heidelbergẽsem arcẽ abducti, nec prius dimissi fuẽre, q̃ Badẽsis centũ, Metẽsis quadragintaquinq;, Vir-

Vide Paralipomena Vrsperg. Monsterũ in Cosmograph. Naucler. in ultima gen.

Virtembergicus quoq; centū millia floreno rū soluerent: aliaq; iura, cuilibet summæ ferè paria, Palatino uel cederēt, uel remitterent. Hanc suæ factionis procerū cladem, Pius ut uipera læsa grauissimè tulit: ac literis querulis de calamitate sociorū, ad Philippum Burgundiæ ducē, tam prudentia quàm armis eo tempore florentem, scriptis, eum post cohortationem ad auxilia Adolpho ferenda cōtra Palatinū, Dietherum & Comitē de Catzenelbogē, illisq; adhærentes, belli ducē cōstituit. Ipso uerò, uel pro prudentia sua, qua eximia præditus fuit, hanc belli molē detrectāte, uel uoluntate pontificis diutius cunctante: Moguntia à Ludouico Nigro Palatino, ac Comite Veldensi, alijsq; procerib. partiū Adolphi, ꝓditione duorum ciuiū, scalis noctu muris admotis occupata, direpta, incensa, ac quingentis ciuibus occisis, in perpetuā seruitutē redacta, totaq; nobilissima diœcesis ita afflicta est, ut ea hodierno die adhuc cōpluribus eius oppidis, uillis ac pagis, partim alienatis, partim grauissimè oppignoratis, belli isti⁹ calamitates sentiat. En piū Pij pontificis factū: qui, ut Germaniam pecunia contra ius ac fas omne emūgeret, horridis bellis excitatis, eius proceres cōmisit, eosq; in extremas angustias coniecit. Vt uerò hic Impius II in principes: sic qui ei successit Paulus II Venetus, atrociora in ipsum Imperatorē attētauit. Nā cum Constātinopoli capta, secundò Fridericus Romā proficisceretur, ut cū pōtifice Pau

lo

lo II de expeditione in Turcas suscipienda deliberaret, eumq; ad excitandos Principes, q multis iā cladib. animos abiecerant, secū in Germaniā adduceret: Pontifex posthabitis Cæsareis postulatis, sub specie humanitatis, uitæ ipsius perfidè insidias struxit. Quib. ille prudenter declinatis, & improbitate pontificia cognita, postea legatis Innocentij, ab Ecclesiasticis personis decimas p totā Germaniā postulātibus, Norimbergę in publicis comitijs sese fortiter opposuit: ita ut inanes, ut uenerāt, Romā quoq; reuerterētur harpyiæ. Quis quęso tam cerebri uacuus, tam prudentię expers futurus esset, ut se perfidissimo hominū generi crederet: cum tam præstantes Imperatores, Reges & Principes, eius insidias euadere non potuisse perspiciat?

Hubertus Goltz. & Hutenus.

Mutius lib. 29.

MAXIMILIANVS I.

POst mortē Friderici, Maximilianus Imperio, cuius consors legitimo Electorū suffragio patre uiuēte designatus erat, assumpto; infulas illas solēnes Cæsarū, cum facilè posset, suscipere nō laborauit: ꝙ princeps rerū peritissimus, eorū quę superioribus Imperatoribus fulgore coronæ Romā pellectis accidissent, haud dubiè recordaretur, & pontifices capitales Cæsarū hostes fugiendos esse statueret. Veruntamē sæpius fraudi sceleratissimorum pontificū, synceritas optimi Imperatoris subiecta est. Nā initio Alexander ille VI, luxuriosissimus & auarissimus tyrannus,

Nauclerus generat. 50.
Mut. lib. 29.
Cuspinianus in uita Max.

ximiliani, & Zelymi Othomanni. nus, qui Zizymũ Turcarũ regem à fratre Baiazete pulsum, cũ perpetuo Christiani nominis opprobrio, ingenti pecuniæ summa uno die uiuum & mortuũ uendidit: pari pecuniæ cupiditate raptum Annæ Britannicæ, quæ ritu regio Maximiliano desponsata erat, pecunia à Gallo accepta approbauit: matrimonio, quod inter Maximiliani filiã Margaritã, Carolumq; Gallorum regem contractum erat, nefaria dissipatione soluto, & inuito ac contradicente Imperatore: per Raymũdum cardinalẽ Germaniæ prouincias præcipuas nouis & inauditis expilationibus uexauit: cùm immensa Apostolicarum clauium potestate, indulta eius se in mortuorum ante multos annos animas extenderent.

Muti. lib. 30.

Ab eo ut nomine, sic quoq; ordine secundus Iulius, tantis perfidiæ tendiculis Maximilianum circumduxit, quantis pontificum quisquam ullum Imperatorum. Nam cum ad bellum Venetum omnium maximũ, grauissimumque, inclytum heroem impulisset, ac is Venetos pontificiæ sedi rebelles, captis eorum præstantissimis urbibus ad summam necessitatem adegisset: Iulius, contra fidem Imperatori coram ordinibus Imperij Augustæ sanctissime datam, ac omnes publicæ honestatis rationes, non tantum Venetos pacem petentes in gratiam recepit: sed & percusso cum ipsis fœdere, exercitum suum aduersus Cæsarẽ, iniquissimus perfidissimusque bellator eduxit, cum ea uoce quæ ipsum non

Hubertus Goltz. Para lip. Vrsperg.

non tam Petri, quàm pessimi & impijssimi latronis successorem fuisse, liquidissimè testaretur. Siquidem (ut memoriæ proditum est) cum exercitu urbem egrediens, Petri clauem in Tyberim furibundus proiecit, hisce uerbis: Quia clauis Sancti Petri non amplius ualet, ualeat gladius Sancti Pauli. hoc facto, se suosque successores potestate clauium Petro concessa, scelerata dementia priuans, iusque suum omne Tyberino flumini cedens. Non itaque minus uerè, quàm eleganter, quidam in gladium hunc Iulij hoc carmine lusit: *Arnoldus Feronius.*

Ille sui longo successor in ordine Petri,
More nouo tantas res agit, & studio.
Nam neq; pro populis orat, paciq; relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet:
Verùm bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet:
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira uenenato soboles, latro prodite partu,
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum?

Verùm hanc Pontificis inauditam perfidiam, cum pari impietate coniunctam, optimus maximus Deus, iustissimus scelerum uindex, non diu impunitam dimisit. Cum etenim rex Gallorum Ludouicus, Cæsari ex formula fœderis opem ferens, pontificem Venetorum præsidio elatum, omnesq; pacis conditiones respuentem prosequeretur, *Hubertus Goltz, Mut. lib. 30. Paralip. Vrsperg.*

tur, prælio ipſo die Paſchatos prope Rauennam commiſſo, tanta eum clade affecit, ut pácé quam antè recuſauerat, ultrò expeteret: experireturq́; Pontifici non tá gladio, quàm claue Petri belligerandum eſſe.

Vt uerò non diu poſt hanc cladem, aliasq́; cædes innumeras, è rebus humanis exemptus, ſucceſſorem in Pontificatu Leoné X, ſic quoq; eundem æmulum pontificiæ perfidiæ habuit. Siquidé cum ab initio pontificatus, à Gallo alienior, Maximiliani Cæſaris & Sfortiæ Mediolanenſiũ ducis amicitiæ, contra Gallos tunc Mediolano imminentes, ſtuduiſſet: mox à Fráciſco Gallorũ rege, Heluetijs ad Marignanum cæſis, & Maximiliano Sfortia in poteſtatem redacto, ad regé Gallorum Franciſcũ, fœdere Cęſareo uiolato, uénit: ac cũ datũ ei eſſet, ut pragmatica ſanctio, nouis cõuentionib. in eius locũ ſubſtitutis, in Gallia aboleretur, fœdera cum Franciſco ſanxit, eiq́; imperij Cõſtantinopolitani infulas cõtulit. An ne hic magis pontificis de alieno largiẽtis liberalitas, uel pfidia in Imperatoré laudatiſsimũ Maximilianũ mirãda erit? Fertur uulgò Maximilianus, cum à Leone (neſcio in hac re, uel alia) deceptus fuiſſet, dixiſſe Germanicè: Iam ſe uerè affirmare poſſe, quòd nullus Paparum ſibi fidem ſeruauerit: atq; Leonem, ultimum futurum cui cõfideret: idq́; ut dictũ, ſic quoq; ſeruatũ ab ipſo rei euẽtus docuit. Nã paucis pòſt annis in p fluuiũ uẽtris incidens, ſpiritũ Deo reddidit, anno

Arnoldus Feronius in uita Franciſci Valeſii.

Catalogus teſtium ueritatis.

anno humanæ Salutis millesimo quingentesimo decimo nono: futurum fuisse, ut qui toties peruersissimis Pontificum strophis elusus esset, de ipsis euertendis pia consilia, in tanta religionis mutatione initurus, atq; ad exitũ deducturus fuisset. Verùm præmatura morte abreptus, quæ uoluisset, Caroli successoris, atq; ex filio Philippo nepotis potentiæ reliquit.

CAROLVS QVINTVS.

QVis uerò pontificum perfidiam, in Carolum ter maximum Imperatorẽ usurpatam, ea quā par esset, oratione cõmemoret? Quis non, in tanta religionis mutatione, quanta post Apostolorum ætatem non accidit, clementiam pontificum in exagitando Imperatore cùm felicissimo tum, potentissimo admiretur? Quis studio Imperatoris in sede pontificia tuenda fulciendaq; cognito, ingratitudinem perditissimorũ hominum non execretur?

Nam, cum ab obitu Maximiliani, Electoribus pro eligendo nouo Imperatore Frãcofurti congregatis, Carolus & Franciscus rex Galliæ Imperij dignitatem ambirent: Leo decimus amicicia cùm Francisco firmata, eum magnis innixum largitionibus, innata quadam pontificibus improbitate, cõtra Carolum fouit & adiuuit, cùm quòd huius, amplissimorum regnorum hæreditate locupletati, potentiam uehementissimè formidaret: tum quoque Carolum antiqui Vatis cuiusdam carminibus, non obscuris formæ ac ingenij lineamẽtis designa- *Iouius lib. 4. de uita Leonis decimi.*

ri conijceret, per eum, qui à Septentrione toti Italiæ, Romæq; præsertim, summas clades esset illaturus: hoc interim literis ad Electores scriptis astutißimè prætendens, Carolo ad honorem Imperij aspirare non licere, quòd reges Neapolitani, Pontificis Romani beneficiarij sint & fide data iam olim cum pontificibus pepigerint, se Romanum Imperium non appetituros, sed alterutro contentos fore. Cæterùm integritate Friderici Saxoniæ ducis, & fide eiusdem erga Maximilianum, cui toto uitæ tempore deditißimus fuisset, Imperio ad Carolum translato, Leo uulpina arte fortunam sequutus, Gallo ad tempus fauere desijt: Carolo, quem gratia superare uidebat, suffragatoribus commendato. At cum hic consensum eius in electione requireret, cum ea dispensatione, ut sibi cum Imperio regnum Neapolitanum retinere liceret, lege inuestituræ minimè refragante: tunc Pontifex ad ingenium reuersus, de nouis uijs, quibus Caroli authoritatem deprimeret, cogitauit. Nam literis & nuncijs per Germaniam misis, id egit, ut Caroli coronatio apud Aquisgranum, & conuentus Vuormaciæ indictus, retardarentur. Cumq; elusis conatibus suis, uirtutem Electorum (qui nec ui, nec metu, nec ullis artibus à suo decreto dimoueri potuerunt) maiorem pontificia improbitate cerneret, fœdus iteratò cũ Gallo inijt: inter alia id agens, ut utriusq; Siciliæ regna Carolo adimerentur: & Italico imperio subuerso, protectiones ciuitatum Italiæ inter sedem pontificiam Gallumq; diuiderentur.

Sleidanus libro 1.

Appendix ad Platinã. Sleidan. ubi suprà.

Respõsio Cæsaris ad breue Apostolicum.

tur. Tamdiu uerò in hoc fœdere constans perstitit, quo ad id è re sua esse, atque sedi Romanæ expedire uidit. Cum etenim Franciscus rex fœdere pontificio fretus, uiolato eò quod cum Carolo antè percusserat, Robertum de Marchia Caroli rebellem, ad Belgicum turbandum submisisset: Galliq; duces & milites in Italia agentes, urbem Rhegium sedi pontificiæ clanculum adimere conati fuissent: Leo Gallorum potentiam horrescens, ac de ipsorum fide hæsitans, quò suam dignitatem tueretur, & Romanæ ecclesiæ per Gallos adempta recuperaret, tertiò ad partes Cæsareanas transit, id à Cæsare perbenignè ipsum in fœdus recipiente impetrans, ut Parma & Placentia sedi Romanæ restitutis, & Francisco Sfortia in ducatum Mediolanensem reducto, Gallisq; ex Italia pulsis, sedes Romana in tuto collocata, omni Gallorũ metu liberaretur. Paulo uerò pòst Leone febri mortuo, pontificia rabies in Carolum successione Hadriani sexti põtificis Germani aliquãto subsedit. Hic etenim sui perbreuis pontificatus tempore in Caroli amicitia, ut bonus præceptor constanter persistens, eum aduersus Gallos pecunijs exercituq; iuuit: & præter Florentinos, Senenses, Lucẽses, aliosq; regulos Italię, sedem quoq; Romanam, Heinricum Angliæ, & Ludouicum Hungariæ, reges fœdere ei iunxit. Verùm Hadriano, anno pontificatus sui secundo, non sine ueneni dati suspicione extincto, fatalis pontificum rabies tanto uehementius prorupit, quanto interea temporis plus uirium collegerat.

Gerardus Moringus in uita Hadriani sexti.
Iouius in uita eiusdem.

Feronius in uita regis Francisci. Iulius namq; Medices, qui postea Clemens septimus uocari uoluit, Hadriano post uarias disceptationes suffectus, cum antè pontificatum maximis à Carolo beneficijs affectus fuisset, aureorum decem millium pensionem annuam ex prouentibus ecclesiæ Toletanæ consecutus: & in tantam pontificis Hadriani gratiã, unde exciderat, repositus, ut nihil in rebus quę alicuius momenti censerentur, ab Hadriano tentaretur: mox pontificatu inito, contra Carolum fœdera fœderib. accumulans, beneficia accepta pessimis maleficijs rependit. Siquidem Francisco rege Galliæ, post Mediolani occupationem arma per Lombardiam circumferẽte, Clemens fœdere Hadrianico, cuius antè meminimus, dirempto, pecuniam quam Florẽtini, Senenses atq; Lucenses, ex formula eius Carolo mittere statuissent, solui uetuit: & per Albertum Pium Carporum principem fœdus clandestinũ cum Francisco rege inijt: hoc interim apud Cæsarianos duces subdolè agens, ut sub specie sequestri & depositi Mediolanẽsem agrum ad se transferret. Hoc uerò non succedente, sed fortuna ita commutata, ut Franciscus gloriosa memorabiliq; uictoria ad Ticinum captus, in Hispanias ad Cæsarem abduceretur: tunc mira inconstantia ac leuitate, Cæsareanis ducibus magnam pecuniæ uim in stipendia dependit. Interea tamen cùm uereretur, ne Cæsar occupato Mediolana, quod esset reliquum Italiæ inuaderet cũ Ludouici Francica, regis matre, Heinrico Britanniæ regè, Venetis, alijsq; quibusdam de rege liberando, Cæsareq; Italia

Responsio Cæsaris ad breue Apostolicum.

Feronius.

Sleidan. libr. 4.

Feronius in uita Francisci.

Iouius lib. 7. de uita Ferdinandi Daualı.

Italia pellendo consilijs initis: Ferdinandũ Daualum, amplissimæ authoritatis atq; peritiæ uirum, inter duces Cæsarianos in suam factionẽ, oblato regni Neapolitani titulo, perducere tentauit. At eo, cum sagaci contectoq; ingenio hostiũ consilia uiresq; explorasset, cuncta Cæsari patefaciente, hic pontificis perfidiam risit: qui cum totius coniurationis architectus esset, se tamen admonuisset, ut rebus suis, sibiq; caueret, ac de ducibus suis sibi fidelius deuinciendis cogitaret.

Sic ergo à Daualo elusus, alia uia rem aggrediendam statuit. Quare Francisco rege interea à Carolo dimisso, & à fœderis Madritiani conditionibus resiliente, cum ipso, à iurisiurandi uinculo, quo Cæsari tenebatur, authoritate Apostolica soluto, alijsq; nonnullis, nouũ fœdus sancit: idq; Ligam sanctissimã appellat, ueluti natam eo authore, quem orbis Sanctissimi nomine salutat. Inter alia hoc quoq; eius capitulis adijciens, posse Cæsarem participem eius fœderis fieri, si prius liberos Regios, qui obsides pro patre in Hispanijs seruabantur, æquo precio redemptionis soluto reddiderit, Mediolanumq; Sfortiæ: neq; Italiam adeat ad infulas Imperij accipiẽdas, nisi eo comitatu, qui arbitrio relinqueretur põtificis & Venetorum. *Feronius.*

Quis uerò æquus rerum æstimator, confidens à quibus id fœdus initiũ habuerit, & quo potissimum tempore, quibusq; occasionibus sancitũ sit, nõ iudicabit, eo nõ paci ac tranquillitati publicę cõsultũ, sed acerbissimis odijs, bellisq; sæuissimis materiã suppeditatam fuisse?

Pacis siquidem leges, conditionesq; Carolo Principi ter maximo à Sfortia Mediolanensi suo beneficiario præscriptæ, fides à Gallorum rege debitè legitimeq; data, ei uno breui Apostolico remissa est. Cæsar liberos Francisci regis obsides, iussus est reddere: quasi non satis fuisset, se semel elusum fuisse. Iussus Italorũ potentatuum tyrannidem non perferre modò, sed & tueri. Iussus Italiæ ingressu abstinere, in eam familiam adduceret, quæ pontifici & Venetis apta conueniensq; uideretur. Iussus, maiestatis accusatis, noxam omnem remittere: id ni faceret, bellum ei terra mariq; sustinendum.

Quid itaq; in tanta conditionum iniquitate Carolo aliud faciundum fuit, nisi ut bonitate causæ iusticiaq; fretus, abominabiles conditiones tanta constantia reijceret, quanta superbia sibi proponerentur: hac fiducia, plus spei in innocentia, quàm multis triremibus, equitibusq; repositum esse?

Et sanè, Deus omnium actionum æquissimus iudex, ita iustitiæ suæ executionem est moderatus, ut quas architectus omnium malorũ consiliorum pontifex in Cæsaris caput conceperat technas: his ipse, qui belli spectator tantum esse cupiebat, diuino admirandoq; consilio caperetur. Nam cum Cæsar ad tantæ coniurationis famam Burbonium atque Fronspergium, toties iam ducum munere in proximis bellis summa cum laude functos, in Italiam cũ exercitu misisset, ut Neapolim, quæ hastæ, sectionisq; ex formula fœderis subiecta erat, defenderent: hi, dum Florentiam, cum pace diuturna

Sleidanus libro 6. Feronius ubi suprà.

turna & ciue summo Pontifice, tum nouo fœdere elatam, petere se simulant, per montes & loca confragosa profecti, Romam Maij die sexto oppugnatione hostili ceperunt:& Clementem, qui in Adriani molem (diris pontificijs quos in Germanos atq; Hispanos coniecerat, nihil proficientibus) secesserat, urgente rerum inopia ad deditionem compulêre, tanta insolētia & atrocitate in Romanos sæuientes, quanta uerbis explicari non potest.

Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, deuastationes, contumeliæ ac ludibrij genus nullum in pontificem ac Cardinales prætermissum fuit, omnibus sine discrimine cùm ad captiuitatem, tum sæuissimam torturam abductis: sæpius etiam his qui se pecunia redemissent, iterum in captiuitatem ab alijs tractis. Cæsar quidem literis cùm ad pontificem, tum Angliæ regē scriptis liquidò testatus est, id iniussu suo factū: nec se milites eos pro suis agniturum, qui tantum nefas ausi fuissent: iusto tamen Dei iudicio, qui uim & iniuriam sibi factam sit ultus, id adscribere minimè dubitauit. Pontifex autem captiuitate liberatus, & si uerbis amicum se Cæsari simularet, infensissima tamen quæq; contra ipsum moliri non destitit.

Nam siue spe regni Neapolitani, prout in fœdere conuenerat, occupandi, siue uindictæ cupiditate, apud Gallum effecit, ut is bello renouato, Lautreco in Italiam cum exercitu iam misso, expeditionem Neapolitanam imperarit. At ea hunc euentum sortiente, ut Lautrecus peste in exercitu grassante, rē infe- *Arnoldus Feronius in uita Francisci.*

ſta fato concederet: & rex pecunia exhauſtus, amore liberorum, qui in Hiſpanijs adhuc obſides erant, pacis conditiones oblatas facilè acceptaret: pontifex, qui ſemper ſcenæ ac tempori ſeruire conſueuiſſet, pace inter Cæſarem & Gallum aliosq; reges Cameraci ſancita, Carolū diademate Imperiali Bononię donat, eiusq; auxilijs Florentiam obſeſſam in ſuam poteſtatem redigit, ciuibus Florentinis inclementiſsimè punitis: dignam mercedem Carolo redditurus, ſi longior ei uita contigiſſet.

Tilius in Chronologia. Vix etenim tribus annis ab hoc elapſis, cū Maſsiliç noua fœdera de Mediolano Cęſari eripiendo, & Sabaudiæ ducatu occupando, cū Gallorum rege Franciſco inijſſet: huius filio Heinrico nepte Catharina deſpōſata, magno totius reipub. commodo, non ſine ueneni dati ſuſpicione extinguitur. Quæ maior perfidia, hac Clementis inueniretur? qui quoties eum Carolus in fœderis ſocietatem recepit, toties fœdiſſimè ex ſocio hoſtis euaſit? Extat de hac eius perfidia, Epiſtola ad Carolum Cæſarem carmine ſcripta, à Germano Eleutheroſtomo: quam, quia tunc temporis eſt edita, & quia huic propoſito conuenit, aſcribere libuit.

DE PERFIDIA ROMANI Pontificis Epistola, ad Cárolum Cæsarem: authore Germano Eleuthe- rostomo.

Nunquid adhuc dubitas terrarum maxime Cæsar,
Pontificem sanctum scilicet esse uirum?
Cui sint soluendi pariter, commissa ligandi
Iura, & conclusi ianua firma Poli:
Cuiq; sit humanæ concredita summa salutis,
Cœlorum claues cui Deus ipse dedit?
Nosti? an dißimulas tantæ periuria linguæ?
Mirum est, si scelus hoc dißimulare potes.
Sed quæ tanta piæ poterit patientia mentis,
Hoc adeò infandum dißimulare nephas?
Clemens, quem fecit superûm inclementia Puppam,
Cum Gallo iunxit fœdera facta duce.
Cum Gallis iunxit Clemens socia arma superbis,
Perfidus Imperij proditor ille tui.
Quæ nunquam Cæsar uoluisti credere nobis,
Cogeris hæc tandem credere uera uidens.
Pontifici ne quid Romano fidere Cæsar
Sustineas: mendax, diximus, esse solet.
Perfidior Pœnis Latius solet esse sacerdos,
Et leuibus Gallis uanior esse solet;
Vt quem nulla datæ constringant fœdera dextræ,
Quiq; colat nulla relligione fidem.
Auribus ista tuis sæpe inculcauimus: at te
Tum persuadebant talia uerba parum,

Vtpote cui nondum mens improba nota dolosæ
Vulpis, erat fraudis plena, referta mali.
Obstabat sancti species, & hypocrisis effrons,
Quo minus hunc poteras Carole nosse lupum.
Sumptuarij obstabant tituli, simulataq; uerba,
Quo minus hanc poteras cernere perfidiam:
Perfidiam, qualem iurato Cæsar ab hoste
Nunquam sperasses posse uenire tibi.
Qualem Pontificis fidum simulantis amicum
Obiecit Latij uana reperta fides.
Obstabant alij, quorum tibi perfida lingua
Clementem falso pinxerat esse probum.
Sed quæ nunc animo superest sententia Cæsar,
Postquàm decepto sunt data uerba tibi?
Dumq; patent liquidò fraudis commenta malignæ,
Dum patet instructi pessima techna doli:
Et cum periuri pateant stratagemata Pœni,
Et mala uersutæ retia perfidiæ.
An iterum Latiæ reparato fœdere Puppæ,
Decresti certam Cæsar habere fidem?
Improba blandiloquæ cuius mendacia linguæ
Iam tibi tam miris imposuêre modis.
Sit satis ô Cæsar falsum semel esse dolose,
Et semel amissam sit satis esse fidem.
An iterum in laqueum à Clemente inducier optas,
Vt prius? & tonsa ludibrium esse comæ?
Perfidus imperio si te potuisset auito
Exuere, & regnis te spoliare tuis,

Atq;

Atq; hæc ad Gallum quiſſet transferre ſuperbum,
Captiuus Cæſar iam traherere miſer.
Hoſtibus impoſtor ſceptris te Cæſar ademptis
Feciſſet prædam perfidus ille tuis.
Carole iam ſpolijs Gallus geſtiret opimis,
Si res, ut Clemens ſtruxerat, acta foret.
Hinc ſtuduit ſemper fidum mentitus amicum,
Vt falſo ſanctam fingeret ore fidem.
Quo melius Gallo te incautum proderet hoſti.
Tunc ubi prodendi copia nata foret.
Indicio eſt huius, quòd nulla iniuria Cæſar
Iuſſerit hunc partis linquere caſtra tuæ.
At ſola improbitas animi, ſtudiumq; nocendi
Gallica Clementem compulit arma ſequi.
Aut dicat Clemens: Si uult Sanctiſsimus eſſe,
Nec uult perfidiæ dicier eſſe reus,
Quæ nam cauſſa fuit? quæ tanta iniuria? qua ſit
Linquere compulſus Cæſaris arma boni?
Hæc niſi iam fuerit cauſsis adducta probatis,
Conſtat te profugum SANCTE *fuiſſe leuem.*
Heus ubi palpo ſenex, ſoboles præclara Gnatonis,
Quin tua nunc aperis ora diſerta colax?
Fac ut pernicioſa tuæ aſſentatio linguæ
Pontificem tantis uendicet à uitijs.
Egregium audebas medicum affirmare futurum:
Dic mihi, non'ne tui te pudet, atq; piget?
Eſt'ne, quod dicis, Clemens Sanctiſsimus? unde has
Sanctus habet labes perditus ergo nigras?
Proditor, impoſtor, periurus, perfidus, aut hunc

Est Romæ sanctum forsitan esse uirum?
Hoc aluit monstrum Clemens Sanctißimus: hoc te
Opprimere incautum spes sua, Cæsar, erat.
Sed bene consuluit sceleris grauis ultor iniqui,
Omnipotens rebus pronior ipse tuis.
Quandoquidem Gallus campo comprensus aperto,
Incidit in casses præda petita tuos.
Parta est de magno insignis uictoria Gallo,
Et sunt uictrici fixa tropæa manu.
Est inquam elati deiecta superbia Galli,
Contrahe nunc cristas Galle superbe tuas.
Nunc superest, ut in hanc foueam quā fecerat hostis,
Non læsus Clemens perfidus ipse ruat.
An tantum patière nephas hunc Cæsar inultum
Ferre? nec audaci præmia digna dabis?
Ne facias, Cæsar: meruit grauiora superbis
Gallis. illi hostes, hic sed amicus erat.
Iuris erat belli, quòd Gallus sumpserit arma:
Perfidiæ, Clemens quod capit arma, fuit.
Perfidiæ pœnam iustum est hunc pendere dignam,
Cæsaris ut discant sceptra timere mali.
Propterea est gladij tibi tradita summa potestas
Cæsar, & à magno regia sceptra Deo:
Vt tua compescat grauiter reuerentia prauos,
Submotisq; malis ut tueare bonos.
Parcere subiectis, & debellare superbos,
Hoc magni est proprium Cæsaris officium.
Hoc impunè ferens, quid non audebit? apertis
Rebitur insidijs cuncta licere sibi.

Quò non euadet concessa licentia tandem,
Si non innocuè crimina tanta feret?
Effera quid rabies tentare uerebitur, hoc te
Si tulit impune dissimulante scelus.
Carole, ne facias ut tanta potentia sceptri,
Ludibrio Romæ sit uiolanda tui.
Pone modum sceleris, uesano obsiste furori,
Pontificis rabiem comprime quæso grauem.
Tandem intentatæ capiat fac præmia fraudis,
Atq; luat meriti tormina supplicij.
Et factum grauiter tibi fucum ulciscere tandem:
Non facis hoc maius iam pietatis opus.
Sic plebem Christi, quæ sæuo oppressa tyranno est,
Eripies, Cæsar te simul ultus eris.
Hic te non moueat ratio pietatis habendæ,
Ipsa iubet pietas perdere sacrilegos.
Hic nihil est sanum, nihil est sanctum atq; uerendũ:
Cui sit parcendum, cernis adesse nihil.
Hic mera colluuies fraudisq;, & lerna malorum,
Sunt etiam hic uitijs æquora plena malis.
Ille colit Romam, quo toti illuditur orbi,
Omnis qui semel est impietatis homo.
Impius Ausonia dominatur ab urbe sacerdos,
Qui semel est omnis perditionis apex.
Vt qui sceptrigeros excusso fœdere reges
Committit, belli classica dira canens.
Cuius Pontificum sunt multa exempla priorum,
Quæ bene uix magnis sunt memoranda libris.
Constat enim furiarum instar discordibus armis

Hos

Hos turbasse pijs sæpe prophana sacris.
Nec tibi sit soli hæc iniuria Carole, nunquam
Seruat promissam perfida Roma fidem:
Sed quæ quisq; tulit scelera, hæc tibi uindice dextrà,
Carole sunt pœna corripienda graui.
Obstrue Romanam populantem cuncta charybdim,
Reges, & populos, oppida, regna, duces.
Obstrue tartareum, quod Roma est, magne barathrũ
Pone modum immensæ Cæsar auariciæ.
Quid non exuxit? quid non spoliauit auaræ
Vrbis fraus, astus, machina, techna, dolus?
Dic, ubi per totum restat miser angulus orbem,
Qui potuit fauces Roma cauere tuas?
Iam certè tellus raptis Germana medullis,
Penè etiam pelle est dispoliata sua.
Vtpote Romulidûm quæ longo passa rapinam
Tempore, nutriuit guttura uasta Papæ.
Vendiderat precio quæ sunt terraq; mariq;,
Vendiderat manes, uendiderat superos.
Christum uænalem, cœlum uænale ferebat;
Peccandi precio libera iura dabat.
Quippe sibi in superos, terras & tartara, summum
Ius tribuens, uoluit subdita cuncta sibi.
Quin etiam Christo medios ostenderat ungues,
Dum quæ decrerat, irrita quæq; facit.
Credere per diras commenta humana iubemur;
Diuinis non est legibus ullus honor.
Namq; Deum sese sceleratus homuncio cunctis
Ostentans, Christo par cupit esse Deo.

Deposcitq;

Depoſcitq́; toli uice numinis impius ille,
Cum Chriſto ſimili uult quoq; laude uehi.
Regibus imponit tam belua fœda coronas,
Accipiuntq́; ſui baſia mille pedes.
Dum prodire libet, portatur beſtia, Chriſtus
Confecit longum ſæpe uiator iter.
Scilicet in Chriſto pater eſt Sanctiſsimus ille,
Qui quæ ſunt belli curat, adornat, obit?
Qui ſpargit lites, & pugnis cuncta cruentis
Temperat, & Reges ſeditione iuuat.
Fare age, dic heus dic inclementiſsime Clemens,
Fecerat hæc Chriſtus? fecerat iſta Petrus?
Nam illius uice, uis huius ſucceſſor haberi,
Belua & in ſancto ſpurca ſedere loco.
Te ſucceſſorem'ne audebis dicere Petri
Eſſe? & te Chriſti dicis habere uicem?
Abſterſiſti omnem meretrice à fronte pudorem,
O canis, ingenuæ nil tibi frontis ineſt.
Tu uis Petrinæ cenſeri nauta carinæ?
Quanquam perficias munera nulla Petri.
Succeſſi Iudæ potius, qui uendere Chriſtum
Sueuerat, & loculos geſſerat ære graues.
Quandoquidem Chriſtū dum uendere ſæpius audes,
Congeſti cunctas totius orbis opes.
Hoc melior Scariotha foro ſemel uſus iniquo,
Non dubitat precium pendere morte malum.
O utinam Iudæ exemplum quoq; Puppa ſequutus,
Suſpenſus raptas reddere uellet opes.
Cum ſis omnigeni iuris peruerſor & æqui,

Et facilè

Et facile es cuncti fons & origo mali.
Et qui nobiscum fictis agit omnia uerbis,
Quærens ex nostris commoda certa malis.
Qui fit, ut Petri hoc titulo succeßor haberi,
Atq; locum Christi solus habere cupis?
Quantum respondet claræ nox atra diei,
Tam tua respondet perdita uita Petro.
Mobile quantum ima cœlum tellure remotum est;
Tam procul à Christo Psychotyranne manes.
Quod si pastoris decreras munere fungi,
Eße nec horrendis par feritate lupis:
Ducere debebas ad pascua sueta misellas,
Et uerbo Christi pascere semper oues.
Non deuastare, & raptos ab ouilibus agnos
Perdere, sed trepido mitis adeße gregi.
Comiter errantes monitis superare benignis,
Qualia sunt literis plurima docta sacris.
Debebas furem, à septis arcere latrones:
Nunc præ te nullus creditur eße latro.
Omnibus innocuus, debebas nemine læso,
Vt Christus, cunctis utilis eße parens:
Inter discordes placidæ componere pacis
Fœdus, & iratos conciliare duces:
Nullius insanum flammis augere furorem,
Nec magis ardentes extimulare faces.
Nunc tibi non studio est motos sedare tumultus,
Sed laceras rupta fœdera pace ferox.
Te quoq; flammiuomos oleo nutrire caminos,
Et iuuat insanis addere calcar equis.

In summa;

In summa, humanis es fax ipsissima rebus:
Vnde nocens terris pestis, & unde lues.
Officij fuerat, neutri te iungere parti,
Rem tamen arbitrio composuisse tuo.
At fuit hoc studium cunctis commune Papistis,
Romanos solida ludere fraude duces.
Et tu (sis quanquā dubio patre) sanguinis huius,
Non potes à patribus degenerare tuis.
I nunc, dic blandè dilecte, ô Carole fili,
Si tuus est natus, spurius alter erit.
Tu nam connubij condemnas iura beati,
Vnde ergo nati spurce cynæde tibi?
Ne nos quæso tuos dicas spurcissime natos,
Corpere es haud noster, sed neq; mente parens.
Est pater in summo, quē nos ueneramur, Olympo,
Ille suos iugi sedulitate fouet:
Hinc tibi Apostolicam serua priuigne salutem,
Quam nobis Latia mittis ab urbe frequens.
Quin etiam affectus simulata mente paternos,
Posthac seruato sæue tyranne domi.
Iam satis elusa est plumbatis Teutona bullis
Terra, subolfecit ludificata dolos.
Quæ prius immodico fuerat Germania lucro
Ebria: nunc damno est sobria, Roma, tuo.
Hoc tu deploras inclementissime Clemens,
Hoc te angit, mordet, uellicat, urit, agit.
Hinc ulciscendi meliorem cernere caussam
Non poteras, quàm si Celtica castra iuues.
Quanquam ficticijs nunc perfide fingere scriptis
Adproperas aliud stans, aliudq; sedens.

Sed tua te modicum mendacia ficta iuuabunt,
Si dux officij uult memor esse sui.
At memor esse uelis, precibus te poscimus omnes
Carole, fac pœnam te duce Puppa luat.
Si te nulla mouet tantarum iniuria fraudum,
At saltem populi commiserere tui.
Cogitur hic Latio miserè seruire tyranno;
Legibus oppressa est libera turba feris.
Fert Christi indignum adflicta Ecclesia regnum,
Fert etiam durum debilitata iugum.
Mitius immitem sensit Iudæa Pharonem,
Dum tulit immensi pondera seruitij.
Huic deglubendos quàm longo tempore Cæsar,
Tandem permittes Carole magne tuos?
Qui tibi non dubitat uerbis obtrudere palpum,
Ille ruit Cæsar in tua iura ferox.
Ecce tuos populos damnosa legibus amens
Oppressit regni proditor ille tui.
Te simul Imperio uoluit nudare: ferenda
Ista putas? non sunt ista ferenda tibi.
Qui struit insidias, & fidum fingit amicum,
Est equidem hic hostis terq; quaterq; nocens.
Peßimus est igitur Clemens etiam hostis habendus,
Quod pariter nobis hostis amicus erat.
Ne te mellitò lethalia mulsa loquelæ
Posthac decipiant, Carole magne, caue.
Si non Romanam cupis hic perdiscere fraudem,
Hanc Cæsar nunquam discere uelle cupis.
Vos quoq; Germanæ proceres exurgite terræ,
Hactenus illusit bestia spurca quibus:

Quorum præstigijs oculos uitiauit apertos,
Et uos quo libuit Puppula nare trahit.
Quin Antichristum tandem cognoscitis hostem,
Cuius uos seruos non tædet esse Duces.
Vestra opera stabilem bipedum nequißimus orbem
Poßidet, & uestra ualde superbit ope.
Crudelis per uos, per uos est mente feroci,
Et uobis fretus cuncta nephanda facit.
At quam decepti proceres errore locastis
Huic operam, posthac oro tenete manus.
An cupitis scelerum Latiali fraude peractûm,
O proceres fieri uos quoq; particepts?
Vos quoq; iudicij sententia dura futuri
Ad Phlegethontæas, credite, mittet aquas.
Illic perpetuò cruciandos flamma cremabit,
Quæ semper uiuas est habitura faces:
Quod Pseudochristi collapsum & debile regnum,
Gnauiter exhibita fortificatis ope.
At tu magne Ducum Cæsar cessantibus illis,
Fac tua non cessent arma quieta simul:
Quin etiam hanc laudẽ meritis adiunge triumphis,
Vt te uesanus uindice Puppa cadat.
Mollis sacrificus cum semiuiro comitatu,
Fac tua præsenti sentiat arma malo.
Et tu pressa diu pugnax Germania, tandem
Excute Romanum libera terra iugum.

Porrò Clementi mortuo Alexander Farnesius, qui se Paulum tertium dici uoluit, suffectus est, senio ferè confectus: qui cum dissidia in religione mota indies augeri, la-

Hæc omnia latè exposita extant apud Sleidanum à lib. 17. usq; ad lib. 23.

tiusque serpere cerneret, antecessore suo astutior, amicitiæ Cæsariæ studium singulare præ se tulit, quo Carolum aliosque reges aliquando ad arma in Lutheranos capienda, sanguinis Germanici sitientissimus, concitaret: interea callidè omnibus fidem faciens, futurum uti mox Concilium sacrosanctum toties à Germanis petitum indiceretur. Indixitque tandem, primùm ad Mantuam, inde Veronam, postremò multos post annos Tridentum, non sanandæ reipublicæ causa, aut instaurandæ religionis gratia: sed ut Germanorum animis Concilij exitu suspensis, ipse, quæ occultè consilia agitarat, ad effectum deduceret: & ueritate cõculcata, Germaniam sub iugum tyrannidis suæ, quod luce Euãgelij illuscente excusserat, captiuitate Babylonica redigeret. Itaque dum anno post millesimum quingentesimum quadragesimosexto Concilium Tridenti celebrat, ac omnia amica Germanis simulat, cum Carolo confœderatione facta, eum ad expeditionẽ contra Germaniæ principes & ciuitates Imperiales Euangelicæ professionis suscipiendam impulit: cuius exitus, licet initio lætissimus Cæsari affulgere uideretur, captis Electore Saxoniæ Iohanne Friderico, Lantgrauioque Hassiæ, Vuirtenbergico omnibus facultatibus exuto, mulctatisque ingenti pecunia plerisque ciuitatibus quæ contra se arma tulissent: tamen dum impensius Pontifici faués, principes captiuos arctiore custodia cõtinet,

tinet, & religionem ad placitū Pontificis refingit: ea Mauricio Electore Saxoniæ ac Alberto Brandēburgico, cum alijs in ipsum de nouo insurgentibus, rerum conuersio est facta, ut dimissis principibus captis, ac religionis libertate Germanis cōcessa, amicitiæ Papalis fructus spe multo minores senserit: malueritq; se, post impensa Papæ seruitia, Germanorum Principum amicitiam, Pontificiæ cōfœderationi ꝑposuisse. Etsi enim in ipsum minores Pauli, tardioresque, quàm aliorum Pontificum, machinationes fuerint: quòd is aduersus Dei sanctos, horrida bella, cruentasque pugnas, sibi mouendas duxerit: tamē filio Petro Aloysio, Parmæ atque Placentiæ duce, ob tyrannidem per coniurationem trucidato: ac Placentia Ferdinando Gonzagæ præfecto Mediolanensi, ducique Cæsareo tradito: Pontifex, qui cædem filij Cæsare authore factam suspicaretur, ac de restitutione Placentiæ hunc frustra sollicitaret, à Carolo alienatus, de transitu ad Gallię regis Heinrici partes consilia suscepit: transijssetque haud dubiè, si longior sibi uita contigisset: maximè cum Heinricus principibus, quos dixi, captis, ac Placentia præter spem omnium occupata, Cæsaris potentiam suspectam habens, fœdere cum Heluetijs renouato, se aliorum quoque amicitia muniret. Verùm dum miser uindictam agitat, dolore atq; mœrore magis quàm senio confectus extinguitur, die decimo Nouembris, Anni 49.

Mambrinus Roseus lib. 4. appendicis ad historiā Neapolitanā Pandulphi Collenutij hæc latè explicat.

 In eius

Sleidanus libro 21 In eius locum poſt longam Cardinalium in conclaui diſceptationem, Anno Domini 1550, Pontifex renunciatus Iulius tertius, cũ antè Gallicarum partiũ fuiſſet, pontificatum adeptus, nihil in Carolum attentauit: Veneri ac uentri ita deditus, ſpurciſsimus ſenex, ut ueterno interijſſe dicatur. *Sleidanus libro 26.*

Verùm alter ab eo Paulus IIII, peſsimus hypocrita (Marcello ſecundo paucorũ dierum Papæ, conſenſu Cardinaliũ, Gallorum regi Heinrico gratificari ſtudentium ſuffectus) cum Cardinalis adhuc, maleuolentia in Cæſarẽ ſuffuſus, Paulo Tertio ſuaſor fuiſſet, regni Neapolitani, tanquam ſedi pontificiæ aperti, occupandi: tunc maiorem nocendi occaſionem adeptus, occultatum in Cęſarem odium euomere, eiuſque partibus addictos incredibili rabie perſequi cœpit. Vix etenim coccineæ iſtius beſtiæ ſede conſcenſa, Alexandrum Farneſium cardinalem Sanflorianum, Camillum Columnium, ac Iulianum Cæſarinum, cum fratre archiepiſcopo, ob ſuſpicionem initæ cum Cæſarianis cõtra ſe conſpirationis, in carceres conijcit: Cæſaris nuncios atque miniſtros hinc inde per Italiam diſcurrentes, quotquot poteſt intercipit, interque hos Taſſum ueredariorum Cæſariorum magiſtrum, & Garziam Laſſum, nõ obſcuri nominis apud Hiſpanos ducem. Bona Marci Antonij Columnij, quem abſentem ut infra triduum ſe ſiſteret, citarat, non comparentis publicat. Et Aſcanij Columnij facul- *Mambrinus Roſeus li. 4. appendicis ad hiſtor. Neopolit. Hieronymus Roſellus de bello Romano.*

facultates per Latium, Ioanni Comiti Montoriano, cũ titulo ducatus Palliani attribuit. Proſcriptos è regno Neapolitano in odium Cęſaris receptos, officijs ac munijs publicis præficit, Pallianũ ex conſilio Petri Strozzæ, pro recipiendo Gallico pręſidio ad infeſtandam Neapolim munit. Poſtremò inducias quinquénales, inter Carolũ Cæſarẽ & Heinricum Gallorum regem, in Belgico pactas, per propinquũ Caraffam cardinalẽ in Gallias miſſum, ſceleratè turbat. Et ne quid malevolentię pontificiæ in Carolũ deſit, Philippo filio, in quem pater Imperio à ſe abdicato adminiſtrationẽ omniũ regnorũ contulerat, Siciliæ Neapoliſq; regna, beneficiario titulo eccleſiæ Romanæ obnoxia, cõferre renuit. Vnde tã horrida, tamq; funeſta bella exorta fuêre, ut potentiſsimorum regum uirib. inter ſe hoſtiliter commiſsis, Italia Galliaq; bello pontificio implicita, ſanguine ſuorũ maduerit. Namq; nõ ſolũ Roma obſidione & fame, ab Albano duce Cęſareo preſſa, direptionis qualẽ antea ſub Clemente pertuliſſet, periculo uicina fuit, ita ut tandem conditiones pacis à duce Hiſpano remiſsiore quàm par fuiſſet latas, facillimè acceptaret: ſed & Galli, duce Guiſiaco, ad res Italicas ac Neapolitanas in gratiam pontificis turbandas miſſo, dum Auguſtam Veromanduorũ contra Philippi Hiſpaniarum regis exercitum è Belgico in Veromanduos erumpentem, nouis auxilijs communire conantur, grauiſsi- *Guilhelmus Zenocarus de uita Caroli V.*

 mas

mis militię pœnas ſubiêre: exercitu ipſorum ab equitatu Germanico profligato, Connestablio cum multis Galliæ proceribus, Rheniq́ue Comite capto, Auguſta quoque Veromanduorũ à rege Philippo expugnata. Nec diu pôſt, cum capto Caleto, per Grauelingẽſes anguſtias redeunt, ab Amurate Gaueriorum principe, Egmondæq́ue comite, minore clade affecti: Termæo atque Villæbono, duobus præclariſsimis tribunis, cum toto exercitu partim cæſis, partim captis. Quis pontificem, horum malorum authorẽ, Chriſti uicarium agnoſceret? & quis ipſum Sauli, quàm Pauli, nomine digniorem eſſe non fateretur?

FERDINANDVS CAESAR.

INterea uerò Carolo ad ſolitudinem uitæ in fano Iuſti degendam in Hiſpanias profecto: atque Imperio ad Ferdinãdum fratrẽ, multo antè regem Romanorum electum ac coronatum, publica Electorum ac principũ Francofurti congregatorum approbatione translato: cum hic, pro ſua erga ſedem Romanam obſeruantia, Saulum pontificem de adminiſtratione Imperij ſuſcepta, per Guzmannum, ſupremum Maieſtatis ſuæ camerarium, certiorem reddere ſtatuiſſet, cum ſignificatione uoluntatis de diademate Imperiali primo quoque tempore, cum ſeſe occaſio daret, petendo, recipiendoque: tam improba maleuolentia elataq; proteruia Cæſa-

rez

reæ obſeruantiæ reſpondit, ut ſe non uel Petri cum cæteris Apoſtolis, magiſtratum tanquam ordinationem diuinam debito honore cultuque proſecuti, ſucceſſorem, uel hominem ad mutua beneuolentiæ ac humanitatis officia propenſum: ſed ipſiſsimum Antichriſtum, quem ſacræ Scripturæ authoritas ſupra omne id quod diuinum eſt ſe elaturum affirmat, eſſe, diciique debere, oſtenderet. Effera namque beſtia, quæ Ferdinandum Imperatorem minimè agnoſcere uellet, prætendens, à Carolo nemini niſi ſedi pontificiæ imperium cedi potuiſſe: nec Ferdinando, citra conſenſum eius, adminiſtrationem Imperij ſuſcipere licuiſſe: legatum Cæſareum uenientem minimè ad colloquium admittere uoluit: ſed explorata cauſa aduentus ipſius, Cardinalibus, Iuriſque peritis quæſtiones, non ex oraculis doctrinę cœleſtis, uel promptuario Legum petitas: ſed ex imis tartareis ſedibus, ab omnis maliciæ, ſuperbiæ, mendacijque autore Lucifero prolatas, diſcutiendas propoſuit: quæ, ut poſtea, per Romaniſtas diſſeminatæ ſparſæque fuêre, huiuſmodi extiterunt.

An non Guzmannus, qui miſſum ſe aſſeret à Domino ſuo Ferdinando, ad Sanctiſsimum Dominum pápam, legitimè docere deberet, quid circa Imperij ceſsionem, fratri Ferdinando factam, Carolus V fecerit: & econtrà, quid frater ipſe admiſerit & acceptauerit. I.

 An ijs

II. An ijs ſufficienter edoctis, illa omnia facta fuerint ritè & legitimè, maximè nō interueniente conſenſu ſanctiſsimi Domini papæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

III. An remotis ijs difficultatib. nihil de præſenti, perſonæ sereniſsimi Domini Ferdinandi reſiſteret, quo minus Imperialis dignitatis capax ſit: cuiuſmodi ſit mala educatio filij ſui regis Bohemiæ, qui ad manifeſtā hæreſin inclinet: permiſſo, quòd in ditionibus ſibi ſubiectis paſsim hæreſes impunè uigeāt, Catholici opprimantur, Eccleſiæ uiduentur, & monaſteria deſpolientur, profitentes Auguſtanam confeſsionem promiſcuè cum Catholicis conuerſentur & habitent. Conceſsiſſe Ferdinandum colloquium Vuormacienſe ſine conſenſu & licentia S. ſedis Apoſtolicæ, de rebus religionis inter Chriſtianos & hæreticos. Iuramento ſe adſtrinxiſſe in conuentu Francofurdenſi, ſeruaturum omnia quę in Comitijs pręteritis ſtatuta fuiſſent, inter quę plura hæretica & damnata reperirentur. Imperatoris nomen propria authoritate aſſumpſiſſe. Decretum cōtra communicantes ſub utraq; ſpecie publicatū, ſuſpendiſſe, hoc pręſertim tēpore quo maximè executioni mandari debuiſſet. Violaſſe iuramentum, quo in electione prima, in regem Romanorum, ad Eccleſiæ & fidei Catholicę defenſionem, hæreſium ac ſchiſmatum extirpationem, nec non hæreticorum auerſationem, ſeſe adſtrinxerit. Alia quoque eius generis quamplurima,

plurima, contra iuramentum & sacros canones ab ipso commissa.

Quid itidem è persona nonnullorũ Principum electorũ dicendũ sit, qui notoriè ecclesia Romana relicta, huic cessiõi cõsenserint: & quomodo tandẽ cum Christianæ reipub. pace & tranquillitate, hisce omnibus consuli ac prospici possit. Et hæc Cardinalibus tunc discutienda proposita fuêre. Licet autem nunc ordo narrationis exigeret, ut quid ad ea Cardinales responderint, subijcerem: & neutiquam mei muneris atque officij esse uideã, in propositas quęstiones inquirere: tñ uęsana Romanistarũ superbia oẽs leges superãs, ac rerũ propositarũ indignitas ab ordine ꝓposito me remouẽt, & ab instituta narratione pręter historię legẽ nõnihil digredi cõpellũt. Id quod dũ facio, ueniã mihi ab ęquo Lectore dari peto. Nam quis, quęso, hisce quæstionib. ꝑpensis, autorẽ à quo ꝓpositæ fuêre cõsiderãs, etiã lege historiæ neglecta, uesanã dominandi libidinẽ, cũ horibili impietate ac impudẽtia cõiunctã, in pontificib. Romanis nõ execretur? qui nõ contenti seruitute, qua Christi Ecclesiã multis annis tyrãnicè pressere: reges ac principes, in tanta ueritatis luce, sub tyrannidis ac captiuitatis Babylonicę iugum, rursus quoq; redigere conantur. IIII.

Vult hæc bestia sese doceri, quid circa Imperij cessionem Ferdinando factam Carolus fecerit, uel Ferdinandus acceptarit. Quo iure id postulat? An non Apostolorum,

eorumq;

eorumque successorum potestas, hisce limitibus ac metis arctata atque circumdata est, ut ipsi ministerium Euangelij docentes, non solùm Imperijs relictis, reges gentium dominari permittant, sed & ipsi sese eorum potestati ac iurisdictioni obedienter subijciant? Quis itaque abominabile non iudicet, quòd papa Christi mandato spreto, ipsum Imperatorē sibi subijcere, & de eius electione ac authoritate iudicandi potestatem usurpare nitatur?

Consensum suum in cessione & acceptatione Imperij interuenire debuisse asserit. At quæ lex diuina uel humana id præcipit? An non pontificū ambitione crescente, cum hi authoritate sua electum Imperatorem approbari contenderēt, iam multis abhinc annis luculenter & copiosè doctissimi quique demonstrauêre, Electum concordi principum suffragio ad approbationem Pontificis petendam, uel recipiendam, minimè astringi. Dum itaque hic Saulus contrarium exigit, an potius Germanos uel meretricis magnæ amore adhuc insanire, uel iurium suorū oblitos esse existimat?

Vide Leopoldū de Babenberg, de iurib. regni, &c. cap. 8. Dantem & [a]lios, qui eo[rū te]mpore scripsere.

Porrò Ferdinandi confirmationi, malam filij Maximiliani tunc regis Bohemiæ, nunc Imperatoris laudatissimi, educationem obijcit: in quo non insignem, immò diabolicam Pontificis maliciam cernere licet. Quæ enim bonæ ac laudabilis educationis pars est, quæ omnibus eius membris diligentissimè

mè diſcuſsis, in principe Maximiliano deſideretur? Siquidem ueræ atque incorruptæ religionis Chriſtianæ cognitione à teneris annis, magno totius Eccleſiæ commodo im butus, ad iuſticiæ omniumque uirtutum amorem aſſuefactus, literis bonis ac artibus honeſtis præ cæteris Europæ regibus atque principibus liberaliſsimè eruditus, à uitijs te terrimis gubernatorum, libidine, rapacitate atque ingluuie auerſus: denique uariarum linguarum peregrinarum cognitione, cum incredibili manſuetudine, humanitate, continentia, temperantia & frugalitate ita inſtructus eſt, ut quemadmodum in opalo gemma, multarum gemmarum dotes eminere dicuntur, cunctæque hæ pariter incredibili mixtura lucere: ita in Maximiliano multiuaria ingenij atque uirtutum ornamenta effulgere, & quæcũq; apud alios placere poſſunt, in illo inueniri conſpiciuntur. ut nemo tam à iudicio auerſus, uel à uirtute alienus ſit, quem pulcherrimus uirtutum chorus in hoc Principe, in admirationem eius non conuertat ac rapiat.

Verùm quid beſtiam iſtam ſepticipitem urat, minimè obſcurum eſt. Potuêre ſuperioris ætatis pontifices, Imperatorum, quos odio haberent, filios, amore meretricis Babylonicæ dementatos, in parentes nefariè ac parricidialiter armare: ut exempla Turbani II. Paſchalis, atque Gregorij Noni, ſuperius commemorata in Heinrico Quarto, & Friderico II,

rico II,

rico II, demõstrant. Hic Saulus ergo quartus, cũ Maximilianũ melioris, spectatiorisq; indolis, pietatis & sanctimoniæ esse deprehẽdit, q̃ ut optimũ ad mala agenda impelli posse existimet, malè educatũ esse uituperat. O Draconis uerissimam sobolem, filiamq; diaboli: quæ, bona, mala dicere non erubescit. Nam quod ad ostendendam malam Maximiliani educationẽ allegat, permitti ab eo, ut cõfessionẽ Augustaná profitentes, liberè cũ his quos Catholicos nominát, conuersentur: qs ab astutissimo Theatino hoc q̃ri nõ uidet, ut Euágelicis ab aliorũ cõsortio exclusis, noua genimina impietatis suæ, in ædes muliercularum, ad captiuádas earũ cõsciẽtias, tenerá que ætatẽ in captiuitatẽ Babylonicá seducẽdam, liberè irrepere, soliq; quasi hostib. ꝓfligatis in ditione Cæsarea dominari queant? Quis etenim à põtifice Saulo, Catholicis Euangelicorũ conuersatione, metu corruptionis, interdici credat? An nõ ista meretrix Babylonica, nullá suorum contagionem uerita, ipsos cum pestilentissimis scortis, annua etiá pensione ab hisce accepta, liberè atq; securè non tantũ cõuersari, sed & fœdiora perpetrare concedit? An non Turcos atq; Iudæos in sua ditione, maximè Anconæ, cum suis negociari, cõtrahere, cõuersari, comessariq; ꝑmittit? Qua igitur fronte criminari audet, liberá conuersationẽ his qui Euangelio nomen dedẽre, cum alterius religionis sectatoribus cõcedi? Perditam hanc meretricem à facie sua in abyſ-

in abyſſum repellat Dominus, quę Chriſti religionem piè ac ſyncerè amplectētes, deteriores Turcis atq; Iudæis habere non erubuit.

Ac ut hoc cum ſingulari impudentię ac iniquitatis nota: ſic q, Catholicos opprimi, monaſteriaq; in regno ſpoliari prętēdit, cum inſigni uereq; papali mendacio coniunctū eſt. Vbi namq; locorum, & quo tempore hoc factum fuiſſe probaret? At quid uelit, facile eſt conijcere. Inſpectio namq; & cura, ne à Papę gurgitib. opes Eccleſiæ uorentur, & per ſummam luxuriam nequiter diſsipentur, Romaniſtis iampridem Catholicorum oppreſsio, ac monaſteriorum ſpoliatio dicta eſt. Quę uerò hæc peruerſa calūnia eſt? Annon Spiritus ſancti elogio rex ſanctiſsimus Ioſias prædicatur, quòd cum oblatiōes à ſacerdotib. ingurgitari uideret, ſcribam ſuum exigendis rationibus præfecerit? Eius ergo exemplo, ſi principes quoque Germaniæ ad uindicandum ſacrilegium manus admoueant, quid piaculi committere dicentur? O' iniquiſsime Saule, qui cum Aſcanio Columnio, nihil tale merenti, facultates ſuas paternas eripere, easq; tuo cognato Comiti Montoriano aſsignare non reformidares: aliorum iuſtas ac pias inſpectiones, ne Eccleſiaſtici bonis Eccleſiæ malè utantur, improbè condemnas.

Culpat deinde colloquium Vvormacienſe, à Ferdinando citra cōſenſum Romanę eccleſiæ inter hæreticos & Chriſtianos permiſſum. At quare ea fidei magiſtra, libera de

religione colloquia non instituit? & cur à colloquijs de religionis dissidijs, uitijsq; Ecclesiæ tollendis, uiros pios, ac ueram Euangelij doctrinam amplectentes, tyrannicè excludit? An itaque Ferdinandus in tanta Romanæ sedis, non negligentia, sed fraudulenta ac impia idolomaniæ, pessimorumq; abusuum tolerantia, conuentu de dissidijs religionis componendis permisso, rem uel à pietatis uel officij rationibus alienam fecisse putabitur? An non ueteres Christiani Imperatores ac reges, inconsultis & inuitis episcopis Romanis concilia celebrasse leguntur? Quis primum Synodum Nicenã, quis Ephesinã, quis Constantinopolitanã, quis Chalcedonensem coegit? & ne in enumerãdis singulis prolixior sim, quis totis quingentis annis synodos uniuersales, quæ multæ habitæ fuerunt, inter id tempus cõgregauit, præter unum Cæsarem?

Quid uerò in hoc peccauit Ferdinandus, quòd se ad obseruationem eorũ quæ in præteritis comitijs decreta fuissent, iuramento obstrinxerit? An non bonum Imperatorem ac Regẽ publicis regni statutis teneri, quàm uoluntate atque libidine pontificum ferri, satius est? Et an nondum hic delyrus atque uesanus pontifex, ea quæ æquè à Romanæ Ecclesiæ cultoribus, atque à Lutheranis (ut eos uocat) decreta fuêre, condemnat, suæ religionis quoq; ordines uel hæreseos uel defectionis imprudenter insimulat? Agnosce itaq;

itaq; meretricis Babylonicæ cerebrum, quæ in laqueũ tortuosum delapsa, hic sua pudenda turpissimè denudat, atque pudendorum quàm cerebri se plus habere in hac causa ostendit.

Imperatoris nomen, citra Pontificis consensum à Ferdinando assumptum, quoq; indignatur. Cum uerò iam olim à legibus Imperij sancitum & cõsuetudine receptum sit, electum ab electoribus concorditer, uel maiori parte eorũdem, ex sola electione uerum Romanorũ Imperatorem esse censendum, nec papæ aut alicuius alterius approbatione uel consensu indigere: quid noui quæso hic à Ferdinando commissum? uel quæ pontifici indignandi debacchandique causa? nisi uel ambitio, uel dementia diabolica?

Vide de hoc cõstitutionem Ludouici IIII apud Albericum de Rosate. L. Benè à Zenone C. de quadriẽ. præscrip.

Damnat, decretum contra communicantes sub utraque specie, suspensum. Quæ uerò hic in magistro ueritatis, atque Sacrarum literarũ interprete, scientia apparet? An non Christus communione Cœnę Dominicæ instituta, eã sub utraq; specie obseruari iussit? An nõ hanc ut Christi testamentum Paulus apostolus mutari uetuit, hoc argumẽto: Cũ hominis testamentum rescindere nõ liceat, nec Christi rescindere licere? An non Ecclesia primitiua Christi institutioni insistens, eandem sub utraque retinuit, usque quò uix ducentis abhinc annis, Christi ordinatione per Pontifices scelerate mutata, Ecclesiæ altera species adępta est? An ne Paulus quo-

que III, & ipse pontifex, edita bulla sua Germaniæ episcopis, potestatem communicandi populo sub utraque specie concessit; eaq; Imperator non minus quàm quiuis illorum gaudere potuit.

Ferdinandus itaq; suspenso mandato contra communicantes sub utraque specie, rem ne institutioni Christi, atque mandato eius, bullæque Pontificiæ dissonam, ac Christiano Imperatore indignam fecit. An nõ; dum Saulus contrarium exigit, se non Christi uicarium, sed uerissimum Antichristum: non cultorem primitiuæ Ecclesiæ, sed cõtemptorem: & antecessoris non sectatorem, sed hostem manifestum esse demonstrat.

Periurij denique notam Imperatori (quo iurisiurandi, fidei datæ, atq; promissi nullus tenacior, uel cultor religiosior extitit) perfidiæ author papa, aspergere conatur. At quæ de causa alia, quàm quòd ad nutum & uoluntatem sæuę istius meretricis, ebriæ de sanguine Sanctissimorum martyrum, sanguinẽ innocentium, quos hæreticos impiè asserit, effundere, atque Christi doctrinam amplectentes, triremibus, aquis, laqueo, securi, igne, ferroque persequi noluerit: ea semper consilia secutus, quibus certamina in Ecclesia nata, moderatione magis quàm ui & armis componerentur. Et iurarit Ferdirandus, quòd Pontifex prætendit, se omnem hæresim atque hæreticos exterminaturum: idque non præstiterit: ob id ne in periurij notam inci-

dissé dici poterit? An non, cum hi qui à pontifice hæreseos insimulátur, eius minimè cóuicti & condemnati fuerint, quod canones exigunt, iustius à cæde eorũ iustissimus Imperator abstinuit, quàm iuramento adimpleto sanguinem innocentem effudit: ipsis pontificum decretis statuentibus, iuramentum iniquitatis uinculum minimè esse, sed tres comites (ueritatem, iudicium atque iustitiam) habere debere: ac si quid fortè nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum in peiorem uergat exitum, illud liberè salubriori consilio mutandum, ac magis instante necessitate peierandum, quàm pro uitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum? Præterea, an ingens scandali atq; periculi imminentis necessitas, quæ alijs ex sententia præstantissimorũ Iurisperitorum in simili facti specie prodesse uisa est, nil Imperatori ad excusationẽ prodesset, quòd ad uoluntatem pontificis id quod promiserat, necessitate compulsus, non seruarit?

c. nos in quẽquam. 2. q. 1. c. cum contumacia de hæret. nu. 6.

22. q. 2. c. animaduertendum 22. q. 3. c. si aliquid.

Mant. Tomo secũndo consilior. consil. 241. ferè per totum.

In electorum quoque uota inquirit. At quid illi iuris in ea tributum? A' pontifice, ne, an à procerib. Germaniæ, ea ipsis collata fuêre? Ac sint electorum quidam hæresi aspersi, ob id ne uota eorum infirmabuntur? Sanè si gesta ab hæreticis irrita sunt; quæ decreta Romani episcopi ualida firmaq; erunt. Ipse namq; non solum hæreticus est, sed hæresiarcha, adeoque omnium hæreseon & impietatum impurissima lerna atque latrina.

Ad extremum, omnia ita examinari postulat, ut quieti & tranquillitati publicæ consulatur. At quæ furia unquam, ex Styge Tartarea, paci ac tranquillitati infestior, quàm uolucris illa inuisa atque immunda Romana exorta est? Hæc namque cum inter principes Christianos, discordias atque bella serere & fouere omni studio, pollicitationibus, largitionibus, proditionibus, uarijsq; dolis contédat, in causa est, cùm ut Christiani principes inter se dissidentes, aduersus Turcam per Ecclesias Christi in Europa ferro, ac miserrimo Mahometici dogmatis iugo debacchantem, nunquam conuenire possint: tum ut ipsi inter se bellis ciuilibus atque domesticis conflictentur: ipsa interim tyrannidem suam, tanquam diuinum quoddam numen conseruante, hac cum specie, ut rerum imperiti existiment, aduersus ipsam inferorũ portas non posse præualere? Sed quò oratio delabitur? Reuocetur ad quæstiones, à pontifice propositas, unde digressa est.

Cardinales quæstionibus hisce propositis, etsi ob nouitatem facti eas tanti ponderis esse faterentur, ut nõ solum personarum, de quibus ageretur, sed & temporum perturbatissimorum ratione habita, maturiore sapientum consilio examinãdas esse censerent, maximè cum & potentia infidelium imperio uicinorum extimescenda esset: tamen uel cupiditate pontificiæ authoritatis conseruandæ, uel metu beluæ istius sine discrimine in quélibet

libet debacchâtis adducti, ea respôdêre, quæ ipsos libidini pontificiæ magis quàm ueritati seruire testarentur. Nimirum necesse esse publicis documentis probari, quomodo Imperium per cesśioné Caroli V. aut alia ratione uacarit; & dispiciendum, quomodo Ferdinandus se successisse prætéderet: oratore interim ad obedientiá præstandam, uel ad actú aliquem publicum tractandum, neutiquam admisso. Omnia quæ Francofurti circa Ferdinandi electioné acta & gesta essent, nullius ualoris, momenti, uel ponderis esse: cum authoritas sedis Apostolicæ, cui primitùs claues cœlestis & terreni imperij datæ sint, defecerit: ijs personis interuenientibus, quæ hæretica prauitate laborâtes, omné gratiam & facultatem, olim ipsis circa electionem Imperatoris concessam, amiserint. Quæ in tertio capite Ferdinando opponerentur, maximi ponderis esse. opus illi itaq; esse pœnitentia: qua acta, in illum paterna clementia procedi posse. Quocirca ab ipso Procuratoré ad renunciandum omnibus actis & gestis Francofurti constitui: eaque renunciatione facta, ac stante Imperij uacatione, nouú mádatum ad confirmationem petendá confici posse: cum constet uigore electionis, ac Clementis VII confirmationis, Ferdinandú in Imperio succedere debere. Cum uerò impedimentú aliqua sua culpa contractum ei obstet, examini subijciendum, ut absolutione impetrata, ad obedientiam exhibendam & consuetum iu-

ramentum fidelitatis admissus, sedis Apostolicæ confirmatione potiatur: cuius illud proprium ac peculiare sit, extensa brachia tenere, ut quemcunq; pœnitentia ductum, & uiua fide ad eam confugientem, amãter & obuijs (quod aiunt) ulnis complectatur. Hic uerò ex uobis (ô Romanistę) quis denuò nõ scire desideraret, an quisquam uestrûm se Imperatore Ferdinando sanctiorem uel iustiorem dicere ausit? Quodnam ipse delictum patrarit, dignum pœnitentia tanta? Qualis pœnitentia, quam postulas, esse debuerit? Quid deniq; ei de uestro animo sperandum fuerit? Væ uobis, qui uerbis religiosi sanctique uidemini, & in cordibus uestris ne micam quidem pietatis uel sanctitatis habetis? Væ uobis, qui pœnitentibus obuias ulnas offertis, & uenietes ungulis ursinis crudeliter protritos deglubitis. Væ uobis hypocritæ, qui alijs pœnitẽtiam iniungitis, & ipsi eam nõ agitis? Quando etenim horribili uestra ethnica idolomania relicta, ueram Christi, Apostolorumq; doctrinam amplectemini? Quando piorum atq; innocẽtium, quos falsò hęreticos dicitis, sanguine satiabimini? Quando Sodomitica spurcitie abiecta, dignam ordine sacerdotali uitam instituetis? Quando tandem immensis Christiani orbis expilationibus expleti, inexhaustæ rapacitati uestræ modum finemq; statuetis? Quando à fraudibus excudendis, dissensionibus alendis, bellisq; cõflandis, & orbe terrarum

-tur

rbando desistetis? Quando infinitorum a-
rum scelerum, quæ pellis Madian, uel to-
Ilias non contineret, pœnitentia uos ca-
et? O generatio praua, quæ alijs regnum
elorum claudis, & ipsa non intras, nec in-
abis illud.

Interea uerò dum hæc in collegio Cardi-
alium, uexamine magis quàm examine di-
genti discutiuntur, Guzmánus legatus Cæ
reus cognitis his quæ papæ machinatione
actarentur, se indies à pontifice audiri po-
ulat. Ac tandem post trium mēsium spaciū,
criasq; ac graues expostulationes, Impera-
oris iussu seueriore accepto, ut aut admissus
nandata iniuncta exequeretur: aut nulla in-
erposita mora, Roma discederet: rem eò de-
lucit, ut in præsentia septem Cardinaliū au-
litus, hanc responsionem referret: quando-
quidem postulata ipsius, maturam ac diligen
gentem Cardinalium Iurisq; peritorum de-
iberationem requirerent sibi, prout à Domi
no iussus esset, recedere licere: interea San-
ctissimum rem totam ad accuratiorem de-
liberationem reuocaturum. Quæ per
Deum immortalem hæc deliberatio alia, ni-
si deliberata ac frustratoria elusio fuit?
Nam re antè satis deliberata, Sauli istius ar-
te, confirmatio Imperatoris ita protelata
est, ut dum splendidissimis Cæsaris titu-
lis officere conaretur, ipse uitalia lumina
linquens, cum memoriæ suæ condemnatio-
ne, tartara obscura, iamdiu ijs dignissimus,

ſubierit: Imperatorem Ferdinando aliquot pòſt annis quoque ex hoc terreſtri regno ad cœleſte euocato, ut confirmationem, quam Saulus cõtrouerſam reddere ſtatuiſſet, à Pio IIII eius ſucceſſore oblatam, animo excelſo uereque regio reſpuerit: legitima principum Germaniæ electione, exemplo Rodulphi Habſpurgici progenitoris, auique Maximiliani, contentus.

MAXIMILIANVS II.

NVnc denique poſt longa bonorum deſideria Imperij gubernatione Maximiliano, omni uirtutum decore præſtantiſsimo principi delata, etſi Pius IIII dum uixit, ita ſe erga eum geſſerit, ut conſueta pontificum in Imperatores improbitate apertè uitata, labem perfidię atq; maliciæ ab anteceſſoribus cõtractam, eluiſſe uideri poſſit: tamen cum Paulus IIII iam antè maleuolentiæ in Imp. conceptæ, documentum inſigne ediderit, nec uitia (ex Senecę ſentẽtia) unquam bona fide manſueſcant, ſed repreſſa, aliquantiſper tamen erumpant: lupusq; pilum quidem, non animum, iuxta prouerbium, mutare dicatur: minimè dubitandum erit, quin Pio iam extincto, alij poſt eum peſtilentiæ cathedram conſcenſuri, animo ad inueteratam pontificum maliciam conuerſo, Maieſtatem Imperialem omni arte doloque ſint impetituri. Nunquam etenim ſepticeps iſta beſtia, quæ ſe falſo Eccleſiæ titulo

Ferrarienſis in ſcrmare-

tulo uenditat, quietura putetur, donec uitates, arces atq; castella posſidet: & cõ ientitia donatio, ei à Constantino facta, per iquem probum & potenté Imperatorem on sit reuocata, cum non concordet psal- erium cum cithara: nec datũ sit à Christo, ec à beato Petro, quòd posſidere debeat alia: Sed quod est Cæsaris, reddatur Cęsari: k quod est Dei, Deo. Faxit itaque Deus, it Imperatores ac Principes fraudibus atq; niurijs, quas sustinuêre hi qui se seruos ec- clesiæ isti fecêre, ad animum reuocatis atq; perpensis, necessarias ac pias cogitationes de reprimenda tyrannide ipsius suscipiant, ac tandem Apocalypticum mandatum exequantur, Deo rem gratam, Rei- publicæ atque Ecclesiæ saluta- rem hoc ipso facturi:

sponſ. rei conuenti, in uerbo præscriptionis §. Nonus.

AMEN.

I 5 TE-

TESTIMONIA EX VARIIS AVTORIBVS COLlecta, Romam Babylonem esse, eiusq; Episcopũ iure Antichristum dici.

QVia superiùs Romam aliquoties Babylonem, eiusque episcopum Antichristum nominaui, ne quis id me citra autoritatem fecisse existimet, testimonia aliquot ueterum scriptorum, qui itidem fecerunt, subiungere libuit: ut ex ijs elucescat, & ab ipsis Romam pro Babylone, eiusq; præsidem pro Antichristo habitum fuisse.

1 Initio itaq;, urbem Romam Babylonem esse, ipse angelus Dei affirmat, exponens Apocalyp. 17 Ioanni euangelistę uisionem bestiæ, habentis septem capita, & gestantis turpissimam adulteram seu meretricem, atque dicens: Septem capita esse septem montes, in quibus mulier, quæ tenet Imperium in reges, sedet: uidelicet rerum pulcherrima Roma,

Septem quæ una sibi muro circumdedit arces,

seu montes: Palatinum, Capitolium, Auentinum, Celium, Esquilinum, Viminalem & Quirinalem.

2 Post Ioannis euangelistæ testimonium meritò secundus locus tribuitur Areziæ, uel Aretiæ, excellentissimæ in omni uirtutum genere fœminæ, quæ sanctissimi patriarchæ Noachi

Noachi uxor fuit, Deum ualde timens, sapientissima & religiosissima, ac prophetiæ spiritu mirabiliter illustrata. Hæc omnium Sibyllarum antiquissima, Chaldæa uel prophetissa à priscis autoribus, à quibusdam etiam Sambetha siue cœlestis dicta, 24 libris (quos uaticinos edidit) omnium gentium ac populorum momenti pręcipui res descripsit: Dominiq; Christi negocia principalia, eiusq; æmulum nefarium & Pseudochristū suis depinxit coloribus. Nam eum uocat mendaciorum prophetam, peritissimum artium magicarum, ueneficiorum amatorem, magnificè gloriantem tyrannum, regem teterrimum, Gog uel immanē hostem populi Dei atq; impostorem: & ecclesiam eius, regnum nefarium ac iactabundum (quòd iustum populum persequeretur) appellat, pellicem impudicam, Babylonem: & (ne quis aliam existimet quàm Romam) impuram ciuitatem Latinæ terræ, ueneficiorum operatricem, ac puerorum (proh nefas) mixtionem nefariam admittentem. Alio item loco uaticinans, Romam expressè Babylonem hisce uerbis nominat:

Veniet (inquit) cœlo stella magna in mare uastum,
Et inflā mabit mare profundum. ipsamq; Babylonē,
Italiæ terram, cuius gratia multa perierunt
Ebræorum sancti, fideles, & templum uerum.

Et de ultimo certamine militantis ecclesiæ sub finem mundi, sic cecinit: Nouissimæ ætatis uiri malefici erunt, praui & stolidi,

quando

quando in terra erunt prædicantes menda-ces, seductores loco prophetarũ. Et Belias ueniet (sic Antichristum uocat, notans eum autorem uniuersi mali esse) & signa multa edet hominibus. Tunc uerò sanctorum uirorum deiectio erit, & profligatio electorũ atque fidelium.

3 Hanc Angeli & Sibyllæ interpretationem, Vetustas quoque ferè omnis secuta est. Siquidem Irenæus episcopus Lugdunensis, qui uicinus temporibus Apostolorum, Polycarpum Iohannis euangelistæ discipulum uidit, lib. 5. aduersus hæreses Valentini & similium, explicans numerum nominis bestiæ 666 annorum, inter cetera Latinum seu Romanum fore Antichristum, indicat ex nomine Λατεῖνος, cuius literæ numerum 666 præcisè continent, ac de nomine ita scribit: Hunc numerum nominis ostendit, ut caueamus illum uenientem, scientes quis est. Et ualde uerisimile esse dicit, nomen eius esse Λατεῖνος. Nouissimum enim regnum hoc habet uocabulum: Latini enim sunt, qui nunc regnant. Porrò literarum numerus hic est;

Λ	30
α	1
τ	300
ε	5
ι	10
ν	50
ο	70
ς	200

Summa

Summa *666*. cui etiam congruit Ebrææ dictionis numerus, qua significant suis literis Romanum.

4 Irenæo meritò succedit Q. Septimius Florens Tertulliannus, quo ex ueteribus, qui rem Christianam aduersus Ethnicos tutandam susceperunt (teste Lactantio) omni genere literarum nullus peritior fuit. Is uerò inter alia libro 3. aduersus Marcionem, sic de Roma scribit: Nec enim hoc nouum est Creatori, figuratè uti translatione nominũ, ex translatione criminum. Nam & ἄρχοντας Sodomorum, appellat ἄρχοντας Iudæorum: & populum ipsum, populum Gomorhæ uocat. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud ipsum, superstitionis & maledictionis eulogio. Sic & Babylon etiam apud Ioannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde magno regno superbæ, & sanctorũ Dei debellatricis. Hactenus Tertullianus. Ideo uerò Roma Babylon figuratè dicitur, quia inter utramq; insignis est collatio. Babylon prima fuit monarchia, Romana est ultima. Babylon grauiter afflixit Dei populum: ita grauiter exercet Roma ecclesiam Dei. Babylon graui captiuitate attriuit Israhelem: ita Roma uexat plusquã diuturna captiuitate Ecclesiam. Babylon uicit populum Dei, inflammataq; urbe Hierosolymorum, & exciso templo, captiuum abduxit Israhelem: ita & Roma uastata urbe Hierosolymorum, & templo exciso, triumphauit

phauit de Israhele. Babylon idolatriam, superstitionem & omnem abominationem plantauit, prouexit, defendit, & obtrusit omnibus: tandem uerò cum minimè putasset, liberato derepentè DEI populo, ipsa funditùs interijt: ita & Roma genitrix est & nutrix, & uegetatrix omnium in Ecclesia postremi seculi abominationum, in quibus peribit tandem, liberatis omnibus uerè in Christum credentibus.

Hieronymus 5 Quàm uerò ut cæteros Orthodoxos dotibus ingenij ac eloquentiæ, sic quoque eosdem iudicij de Babylonica Roma, intrepida libertate Hieronymus Stridoniensis superat, dum ad Marcellum scribit, ut Bethlehem commigretur? Et hic puto (inquit) locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpius fulminata ostendit, quòd Domino displiceret. Lege Apocalypsim Iohannis: & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuêre: Exite, inquit Dominus, de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis: fugite de medio Babylonis, & saluate unusquisque animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmonum, & custodia spiritus immundi. Est quidem ibi sancta ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & martyrum, est Christi

uerà

uera confessio, est ab Apostolo prædicata fides: & gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens uocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, uideri & uidere, salutari & salutare, laugare & detrahere, uel audire uel proloqui, à proposito monachorum & quiete aliena sunt. Quòd si hæc Hieronymus circiter annum à Christi natiuitate 360, quo tempore omnia adhuc Romæ castiora & incorruptiora erant, scripsit: quid eum hoc tempore scripturum fuisse existimas, quo omnis impietatis, omniumque uitiorum sentina illic inundauit? Similes loci complures apud eundem inueniuntur: ut Tomo tertio Epistolarum, ubi Algasiæ undecim quæstiones edisserit, maximè quo sensu accipienda sint; quæ Paulus scribit 2 Thessalonicen. 2. Nisi discessio uenerit primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Itidem in Præfatione Dydimi, de spiritu sancto, ad Paulinianum. Item in fine secundi libri contra Iouinianum. Sed unum adhuc ex Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum subiungam, ubi de Marco discipulo & interprete Petri scribit: Et Papias (inquit) Hierapolitanus episcopus meminit huius Marci, & Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat uos quæ in Babylone cum electa, & Marcus filius meus.

Augustinus 6 Nec aliud Augustini iudicium de Roma fuisse apparet, ex lib. 18. de Ciuitate Dei; ubi scribit: Condita est Roma uelut altera Babylon, & uelut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum.

7 Gregorius Magnus, qui anno Domini 604 confessor obijt, omnium pontificum Romanorum doctrina & uita præstantissimus, quem Antichristum fore putauerit; scriptis suis abundè testatus est, cum in ipso papatus initi limine aduersus papistici regni primatum pugnans; libro 6. capite 194. ad Mauritium conquerens scribit: Nunquid non, cum se Antichristus ueniens Deum dixerit, friuolum ualde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si uerò pondus iniquitatis, uniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico: Quia quisquis se Vniuersalem sacerdotem uocat, uel uocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris pręponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur. Et libro 4. Epistolarum, capite 82. scribens ad Ioannem Ieiunatorem, patriarcham Constantinopolitanum, qui œcumenicus & uniuersalis episcopus haberi uoluit, comparat eum Lucifero, qui Esaiæ 14. dicit: In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem

nem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes uniuersalis ecclesiæ epscopi, nisi astra cœli sunt? quorum uita simul inter peccata erroresq; hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum uocabulo elationis præponere, quid aliud dicis, nisi In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum? Quos dum uestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinē nubium? Quæ cuncta ergo cum flens respicio, &c. Et ad eundem Constantinopolitanū præsulem, epistola 38. parte quinta Registri, hæc rursus: Secundum quod ueritas prædixit, pestilentia & gladius per mundum sæuit: gentes in gentes insurgunt, terræ concutitur orbis cum habitatoribus suis: terræ dehiscentes soluuntur: omnia quæ prædicta sunt, fiūt. Rex superbiæ prope est, & (quod dici nefas est) sacerdotū ei præparatur exercitus: quia ceruici militāt elationis, qui positi fuerant ut ducatum præberent humilitatis. Dum ergo Bonifacius tertius ciuis Romanus contra tam graues & uerè Apostolicas antecessoris sui cohortationes à Phoca crudelissimo Cæsaricida impetrat, ut Roma sit caput omnium ecclesiarum, & episcopus Romanus superior Constantinopolitano habeatur, & œcumenicus uocetur, an non ex sententia antecessoris Gregorij, uiri uerè Magni, Antichristi nomen meretur, uel eius præcursor dicendus est, cum omnibus successoribus suis idem nomen diabolico fastu nō tantum usurpantibus,

 sed &

ſed & horribili tyrannide, ac piorum perſecutione defendentibus, ut Satan à facie Domini egreſſus uideatur ad percutiendum Iobum ulcere peſsimo? Etſi enim titulum Serui ſeruorum, quem Gregorius ab omni ambitione ac dominandi libidine alieniſsimus introduxit, Vniuerſalis Epiſcopi nomine penitus abrogato, retineant: id tamen faciunt more Chanaan, atque filiorum eius, Gen. 9. qui mundi imperium ad ſe rapuerunt, ac tyrannicè fideles fratres oppreſſerunt, tanquam totius terrarum orbis domini.

Brigitta.

8 Inter Papiſtarum aduocatas ſanctiſsimas, nulla à ſcriptoribus eorum ſuperſtitioſis magis celebrata eſt quàm Brigitta, ob mirabilia multa quæ cum aqua luſtrali feciſſe fertur. Ea librum ſuarum reuelationum unum compoſuit, ac edidit (ut Geraldus Cambrenſis ait) angelo dictante, Brigitta orante, & ſcriptore notante: tantæ apud Papiſtas autoritatis, ut in ſcholis Oxonienſibus magni doctores magiſtraliter eum expoſuerint. in eo quæ continentur, ſi Papiſtis probentur, quomodo negabunt Papam uerisſimum Antichriſtum eſſe? Etſi enim aliàs in uerbis ipſius tanta obſcuritas ſit, ut ad ea enucleanda Delio natatore opus uideatur: tamen ubi de ſede Romana conqueritur, ita perſpicuis ac claris uerbis utitur, ut etiam à puero intelligi queant. Sic enim libro 1. Reuelationum, capite 41. de Romano epiſcopo ſcribit: Nunc ergo conqueror ſuper te caput Eccleſiæ meæ, qui ſedes in ſede mea: quam Pe-

tro &

tro & successoribus eius tradidi, ad sedendum in ea triplici dignitate & autoritate. Primò, ut potestatem haberent ligandi animas, & soluendi à peccato. Secundò, ut aperirent cœlum pœnitentibus. Tertiò, ut clauderent cœlũ maledictis & condẽnatis. Sed tu, qui deberes soluere animas, & ad me presentare: tu uerè es animarũ interfector. Ego enim institui Petrum pastorem ouium mearum: tu autem es dispersor & lacerator earum. Tu autem peior es Lucifero. Ipse enim habebat ad me inuidiam, & nullum concupiuit occidere nisi me, ut pro me dominaretur: tu autem tanto deterior es, quòd non solum occidis me, remouendo me à te per mala opera tua: sed & animas occidis, per malum exemplum tuum. Ego redemi animas sanguine meo, & commisi eas tibi tanquam amico fideli: tu autem tradis eas iterato inimico, à quo redemi eas. Tu es iniustior Pilato, qui nullum iudicabat ad mortem nisi me: tu autem non solum iudicas me quasi nullius dominatorem, & nullius boni dignum, imò & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis. Tu es immitior Iuda, qui me solum uendidit: tu autem non solum uendis me, sed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo & uano nomine. Tu es abominabilior Iudæis, ipsi crucifixerunt corpus meum solum: tu autem crucifigis & punis animas electorum meorum, quibus malitia tua & transgressio amarior est omni gladio. Et ideo quia tu similis es Lucifero, iniustior Pilato, im-

 mitior

mitior Iuda, abominabilior Iudæis, ideo meritò conqueror ſuper te. Obijt autem Brigitta anno 518.

9 Oecumenius in fine epiſtolæ prioris Petri, & ipſe per Babylonem, Romam intelligit. Babylonem autem, inquiens, hic Romam uocat, ob excellentiam imperij, & claritatem: id quod olim Roma multo tempore obtinuit.

10 Porrò ut Orthodoxi patres, ſic quoque alij qui eos ſubſecuti fuêre Eccleſiaſtici ſcriptores ac pij uiri, Romam pro Babylone acceperunt. Nam epiſcopi Belgici circa annum Domini 860, cum Nicolao primo papa contentionem quandam de quodam matrimonio habentes, epiſtolam ad ipſum ſatis acrem ſcripſère, in qua inter alia Romam Babyloniam uocant, his uerbis: Spiritus (inquiunt) ſanctus autor eſt omnium Eccleſiarum, quà longiſsimè & latiſsimè terrarum orbis porrigitur. Ciuitas Dei noſtri, cuius municipes ſumus, ad uniuerſos cœli cardines pertinet: maiorq́ eſt urbe quæ Babylonia à ſacris uatibus appellatur, ut quæ diuinitatem uſurpet, cœlo ſe æquet, ſe æternam fore iactitet, perindè ac ſi eſſet Deus, immortalisq́ ſapientia: nec unquam erraſſe, neque errare poſſe mendaciter gloriatur. Extat epiſtola apud Auentinum lib. 4. Annalium Boiorū, fol. 428.

11 Legimus quoque Arnulphum Aurelianenſem epiſcopum, ante annos amplius quingentos & quinquaginta, in concilio Remenſi liberè & acriter aduerſus Romani epiſcopi grauem dominatum publicè hæc uerba pronunciaſſe:

Quid

Quid hunc in sublimi solio residentem, quid hunc (inquam) esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & sese ostentans quasi Deus sit. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur: in templo Dei tanquam idolum est. Tantum ille: qui uidetur hisce uerbis suis allusisse ad loca sanctæ Scripturæ, Apocalyps. 19. 2. Thessalon. 2.

12 Extat epistola Leodiensis ecclesiæ contra Paschalem II. Pontificem, qui eam Ecclesiam & prouinciam Roberto comiti Flandrensi, igne ferroque uastandam concesserat, quòd Heinrico IIII obediret. In ea epistola uocant Romam Babylonem, dicuntque eam à Petro sic prophetico spiritu uocatam esse, quòd Romanis turbinibus & procellis Ecclesia esset perturbanda. Scripta est circa annum Christi 1100: & inuenitur in tertio tomo Conciliorum, quæ Coloniæ sunt edita.

13 Eodem quoque ferè tempore plerique alij tum priuatim tum publicè pro concione Gregorio maledixêre, ac Hildebrando malè precati fuêre, ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi uociferantes, Antichristum esse prædicantes: Pietatis sub specie (inquibant) debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi cogitat: In Babylonia, in templo Dei sedet, super omne id quod colitur, extollitur quasi Deus sit, se errare non posse gloriatur. Hæc & alia Auentinus lib. 5. fol. 573 Annalium Boiorum.

14 Petrus Blesensis, qui (teste Tritemio) sub Friderico Imperatore primo claruit, scripsit multa, in quibus grauissimè uituperat uitā moresq; spiritualium. In quadam uerò epistola, ad quendam Officialem(ut uocant) episcopi, monet eū, ut quamprimum ex illa Babylone exeat, his uerbis : Quia te affectuosissimè diligo in uisceribus Iesu Christi, proposui te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestiuè exeas, ut ministerium damnatissimæ uillicationis omittas. Clerum alioqui sæpe nominat Syriam, uitulos Bethel, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, iudices qui condunt leges iniquas : Cantantur (inquit) eorum turpitudines in tentorijs Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.

15 Valdenses quoque, inter alios suæ doctrinæ articulos, quos circiter annū Domini 1160 hinc inde docuêre, & hunc asseruerunt : Romanam ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi: & Papam esse omnium errorum fontem, & uerum Antichristum.

16 Fridericus etiam secundus Imperator, cum præter meritum à Gregorio Nono exagitaretur, cùm alia aduersus ipsum, tum uerò & hoc scripsit, captum ipsum Imperij consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atq; commiscere: cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum uniuersa ferantur. Iampridem eos qui Babyloniæ, hoc est, Romæ templo Dei incubent, diuinitatem affectare, & astutè id dissimulare.

Auentinus

Auentinus lib.7. Annal. Boiorum fol.679. Et paulo pòst:Paulus armarium philoſophiæ diuinæ præcipit, Subiecti inuicem in timore Christi eſtote. Hoc intereſſe inter Chriſtianorũ & prophanorum principes, cœleſtis doctor & præceptor noſter, ſummusq; atq; immortalis pontifex docet, quòd hi dominantur ſubditis, illi ſeruiunt. Formam ſerui ſuprema maieſtas ſuſcepit, ut diſcipulis ſuis ſeruiret, eorũq; pedes lauaret. Flamines illi Babyloniæ ſoli regnare cupiunt, ferre parem non poſſunt: non deſiſtent, donec omnia pedibus ſuis cõculcauerint, atq; in tẽplo Dei ſedeãt, extollãturq; ſupra omne id quod colitur: fames opum, ſitis honorũ inexplebilis eſt.
17 Adeò porrò multi in Germania, Italia, Francia & Anglia, Friderici huius tempore, crediderunt Romam Babylonem & meretricem illam magnam eſſe, ut impoſtores quidam Apocalypſin Iohannis abolere conati fuerint: maximè quidã Cyrillus Carmelita Græcus, qui tã Moyſis quàm Iohannis exemplo, nouam Apocalypſin è cœlis circa annũ à Christi natiuitate 1192, Dei ipſius digito in argenteis tabulis gręcè ſcriptam, ſuper futuro Eccleſię ſtatu ſe accepiſſe gloriatus eſt. De quo Balæus lib.5. de actis Romanorum pontificum, ſub uita Gregorij Noni.
18 Salisburgenſis archiepiſcopus Eberhartus, imperãte hoc Friderico, in cõcilio frequẽti principum & epiſcoporum, papam Romanum pronunciauit ipſiſsimum Antichriſtũ eſſe, à Daniele & alijs uatibus prædictum. Theodorus Bibliander in Chronologia ſua, Tabula decima.
19 Abbas Ioachim Calaber, homo eruditionis

& etiam sanctitatis uitæ nomine celebris, quæ de Romana ecclesia senserit, in suis scriptis satis ostendit. Nam super Hieremiam sic scribit: Est & alia ficus, quæ maledictione præuaricationis iam aruit, Latina ecclesia, siue nauicula Sancti Petri: cuius folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata, ad excusandas excusationes in peccatis, quibus in honestatem uitæ suæ tam Adam summi pontificis, quàm Eua ecclesiæ subiectorum operiant, & in ligno Ecclesiasticæ gloriæ sese miserabiliter abscondant. Sed quia patrimonium Iesu, quod ipsi Pontifices à principibus Christianis quasi boni & mali scientiæ lignum sumunt: boni, quò ad sustentationem uitæ: mali, quò ad dissipationem & libidinem uitæ & abusum: cupientes gigantes fieri supra terram, Reipubl. famosiq; uiri per totam latitudinem imperij Christiani, non contenti stipendijs, &c. Et aliquanto pòst: Nam secundum sententiam sanctę Brigittæ, potens est Deus & Francos suscitare aduersus Ecclesiam. Cum enim ecclesia Romana deficiet quo ad obedientiam, & Pontifices ex Alemannis thesaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis secularis promouent, uolante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Christianus; tum finis, clamor & ululatus uniuersę carnis, ueniet ad Dominum astrorum, &c. Idem in Commentario super Hieremiam, tempus æstimat esse periculosum futurum ab anno Domini 1200, usque ad ultimos dies: in quibus apparebit (inquit) Lex libertatis. Euangelium

regni

regni Christi tunc prædicabitur, & ecclesia purgabitur, ut à palea & zizanijs triticum. Verùm historia, quam ex Rogerio Houedeno de eo refert Foxus Anglus, in Commentarijs rerum in ecclesia gestarum, præcipuè notanda esse uidetur: Richardus (inquit) Angliæ rex, in expeditione Hierosolymitana, accepta fama Ioachimi Calabriēsis abbatis de Curacon, qui spiritu prophetico uentura prædicebat, quo tempore Siciliæ ageret, eum ad se accersit, auditurus quid de Antichristo inter cætera denunciare posset. Hic ergo explicans mysterium septem regum in Apocalypsi, quorum quinq; ceciderint, &c. Reges septem, inquit, septem sunt persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus. De Antichristo sic aiebat, quòd is iam in urbe Roma prognatus esset, & in sede Apostolica sublimabitur, de quo Apostolus: Extollitur & aduersatur super omne quod dicitur Deus. Hæc Houedenus. Annus uerò huius abbatis erat, 1290.

Anno Domini 1345, quidam Minorita nomine Hayabalus, propterea quòd solitus est publicè concionari, & affirmare se diuinitùs iussum concionari, ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam & Cardinales esse meros Antichristos: Auinione à Clemēte, coram quo id cònstanter & intrepidè affirmaret, miserum in modum uexatus est: ut refert Heinricus de Erphordia, chronographus, in opere historiarum de Factis memorabilibus.

21 Volquini cuiusdam homelia super Euange-

lium de interſeminata zizania, ante tempora Lutheri extat Baſileæ anno 1555 impreſſa, in qua autor: proh dolor & proh dolor hodie meretrix (inquit) antiqua, quę habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, fornicatione & immundicia, qua mirabiliter inebriat ſacerdotes & clericos? De qua in Apocalypſi: Vidi mulierem ebriam de ſanguine uirorum, & de ſanguine martyrum Chriſti. Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de ſanguine ſuorum ſcortorum ſiue ſcortatorum. Hæc eſt illa ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem miniſtrorum Dei, & martyrum Dei, qui martyres Chriſti eſſe debuerant, & fiunt martyres diaboli, in honorem eius & obſequium carnem & ſanguinem conſumentes. Cum uidiſſem, inquit, homines, miratus ſum. Quis non miretur & horreat & obſtupeſcat ſacerdotem Domini, miniſtrum Dei, calice epotato ſitibundum, & potare fęces de calice Babylonis?

Dantes. 22 Dantes Florentinus, quod & ipſe Papam meretricem Babylonicam eſſe ſenſerit, non obſcurè oſtendit in cõcione 32 Purgatorij: dum eius miniſtris, id eſt Epiſcopis, tribuit bicornia capita, quatuor uerò quibuſdam, quibuſdam unum cornu, qui & ſunt Patriarchæ: ipſi uerò meretrici, inſtar cuiuſdam arcis. Floruit ſub Ludouico Bauaro, ſub quo etiam inter cætera compoſuit librum de Monarchia: in quo probat, Imperium nullam dependentiam habere à Papa, ſed à ſolo Deo; ut refert Nauderus generat. 45.

Eiuſdem

23 Eiusdem Ludouici Secretarius fuit quidam Vlrichus de Augusta, qui in regijs literis summum pontificem uocauit bestiam ortam à mari, eoq́ꝫ discordiæ causam inter Iohannem 22 Papam & Imperatorem præbuisse fertur: ut Paralipomena Vspergensis testantur. *Secretarius Ludouici Imperatoris.*

24 At, qui hosce paucos post annos subsecutus est, Franciscus Petrarcha, omnium artium instaurator eruditissimus, Romam multo acerbius est insectatus. Appellat enim Epistola uigesima, Papæ curiam Babylonem, & meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omnium idololatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt principes & reges terræ: asylum hæresium & errorum, de qua in Apocalypsi Spiritus sanctus prophetarit. In Italicis etiam rhythmis scribit inter alia de Roma: *Franciscus Petrarcha.*

Schola di errori, & tempio de hæresia:

id est, Schola errorum & templum hæreseos. Sic & sæpe aliàs in eodem poemate eam uocat impiam Babyloniam: item, matrem errorum: item, nidũ proditionum, in quo totius terrarũ orbis uenenum fouetur, crapulis & ebrietatib. obstrictum, meretricẽ execrabilem, in qua luxuria undequaq́ꝫ uagatur & uiget, hæresiũ errorumq́ꝫ asylum, carcerem ubi bonum extinguitur, & quoduis malũ scelestumq́ꝫ alitur: Christo eiusq́ꝫ Apostolis rebelle, ut Venerẽ Bacchumq́ꝫ deos colat. Item dicit, eam crescere ex alienis calamitatibus. Ait quoque, eam se extollere contra suos fundatores: id est, Imperatores, qui ipsi multa antea largiti sunt. Sed eius uer-

ba ex alia quadam epiſtola aſcribamus: Roma non iam ciuitas, ſed laruarum & lemurum domus eſt: & (ut breuiter dicam) ſcelerum ac dedecorum omnium ſentina, atq; ille uiuentium infernus, tanto antè Dauidico ore notatus, quàm funditatus aut cognitus. Quid euenturũ cẽſes, ubi extincta prorſus & ſepulta uirtus eſt? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, liuor, luxus, auaricia, cum artibus ſuis regnant? ubi peſſimus quiſq; prouehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, iuſtus pauper opprimitur? ubi ſimplicitas amentiæ, malicia ſapientiæ nomen habet? ubi Deus ſpernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridentur boni? Noui expertus, quòd nulla ibi ſit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil ſancti, nihil iuſti, nihil æqui, nihil penſi, nihil deniq; uel humani: amor, pudor, decor, candor, inde exulant. De ueritate equidem ſileo. Nam quis uſquam uero locus, ubi mendacijs omnia plena ſunt? aer, terra, domus, turres, uici, atria, plateæ, porticus, ueſtibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuerſoria ædium, penetralia templorum, iudicũ ſubſella, Pontificum ſedes? ad poſtremum, ora hominum, nutus, geſtus, uoces, frontes, animi? Quid ait? An mentior? an uerò de mendacijs uerum loquor? In illa nefaria ſcelerum ſcena, omnia ſunt uirtute uacua, plena criminibus, plena fallacijs, plena fucis, plena blanditijs, plena peſsimis artibus, ambitionis, auariciæ, ſuperbiæ, liuoris. Corrupti enim ſunt, & abominabiles facti in ſtudijs ſuis. Non eſt qui faciat

bonum,

bonum,non eſt uſq; ad unum. Viſa loquor, nō audita,fato meo peſsimo in eas terras puer euectus,&c. Ecce iam oculis uides, iam manib. palpas, qualis eſt Babylonilla nouiſsima, feruēs, æſtuans,obſcœna,terribilis. Nilum & Euphratem Roma uincit, imò tartarea flumina uincit: Cocytum uincit,& Acherontem. Quicquid uſpiam perfidiæ ac doli,quicquid inclemētiæ & ſuperbiæ, quicquid impudicitiæ effrenatęq; libidinis,quicquid deniq; impietatis & morum peſsimorū ſparſim habet, aut habuit mūdus,id totum cumulatim occupat,aceruatimq; tenet. hactenus Petrarcha.

25 Anno 1528, Cōmentaria quędam in Apocalypſin à Luthero,ſine autoris nomine ſunt edita: quæ ſibi aliunde ex finibus Liuonicis & Polonicis,ut teſtatur,tranſmiſſa fuêre. Compertū autem eſt poſtea, & Iohannis Vuicleui eſſe,per Iohannem Puruçum Anglum ex prælectionibus magiſtri collecta. In eo opere idē Ioannes apertiſsimis uerbis eccleſiam Romanam,Babylonicam meretricem, ea Papam Antichriſtum probat,eo quòd neglecto Dei uerbo, ſuas traditiunculas ac nugas doceat,Euangeliū pioſq; doctores opprimat. Item, quia quæſtus gratia indulgentias excogitauerit, potentiā & ſplēdorē regni ſub falſo donationis Conſtantini nomine ad ſe traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, moreſq; Papæ & prælatorū: præcipuè uerò,quòd ex mādatis Chriſti conſilia faciant. Hortatur etiā omnes,ut fugiant ex illa Babylone. Idē Puruæus, Romā in Dei ſpiritu diaboli proſtibulum eſſe dicebat:& eccleſiam eius magnam,

Vuicleuus.

Puruæus

gnam, affirmauit esse ex fœda superstitionum colluuie, meretricem illam magnã in Apocalypsi descriptam, quę sedens super aquas multas, incredibili tyrãnide & hypocrisi Christiana rẽgna omnia seduxit: Apocalypsis 17. Balæus de scriptoribus Anglicæ, Centuria septima.

Anno Domini 1408, durante schismate inter Gregoriũ XII & Benedictum Nonũ, Manfredus Vercellensis, ordinis Prædicatorũ theologus, præsentẽ sentiebat adesse Antichristũ. Ac contra eundem Manfredum statim prædicabat Bernardinus Senensis, Franciscani ordinis monachus. Matthias Parisiensis, sed patria Bohẽmus, parũ antea, scripsit de Antichristo librum ualdè prolixũ, in quo Papæ ac sui cleri turpitudines insectatur. Locustas in Apocalypsi descriptas, dicit esse hypocritas in ecclesia regnãtes. Iacobus Misnensis etiã composuit de aduentu ipsius Antichristi librum, in quo mentionẽ facit cuiusdam docti uiri nomine Miltizy Bohemi, quẽ famosum ac uenerabilem prædicatorẽ appellat: qui anno Christi 1365 docuit, Antichristũ adesse, ac nullã in Papa, Cardinalibus, Episcopis, prælatis, sacerdotibus atq; alijs religiosis ueritatẽ inueniri: ac propterea à Ioanne Pragẽsi archiepiscopo fuisse incarceratum. Hæc Balæus centuria septima de scriptoribus Britanniæ, in appendice, de Thoma Kolby.

27 Petrus Iohannes, Minorita cùm alia multa contra Papam docuit, tum etiam, quòd Papa sit Antichristus, & Synagoga Romana sit magna Babylon ante annos 260. Vnde cum uiuũ nequiuisset exurere Papa, longè post mortẽ ossa

eius effossa exussit. Balæus in Laurentio Anglico, in catalogo Britannicorum scriptorum.
28 Michael Cesennas generalis Minoritarũ, floruit unà cũ alijs qui tyrãnidẽ põtificiam tẽpore Ludouici Bauari oppugnârũt, & accusauit Romanã ecclesiam tanquã Babyloniam meretricem piorũ sanguine ebriã: dicens duas esse Ecclesias, alterã impiorũ florentem, alterã afflictã piorum. Atq; ob eã causam à Papa sua dignitate priuatus est. Veruntamẽ nihilominus in sententia permãsit. Catalogus testium ueritatis.
29 Vuolffgangus Aitinger, clericus Augustanus, qui prophetias Methodij cõmentarijs illustrauit, contendit Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum. Ea uerò, teste Petro, Roma est.

Hisce alia quoq; similia testimonia quãplurima adduci possent: sed his ipsis cõtẽti, omniũ qui unquã fuerunt frater culorum doctissimi, ac uitæ seueritate morumq; sanctitate clarissimi uatis Bapt. Mantuani carmina aliquot subijciemus, in quibus Babylonicæ illius meretricis impuritates atq; tyrannidẽ, sicut & alij pij ante sua tempora, ad liquidum detestatus est.

IN ROMAM, EX PRIMO libro Syluarum.

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quò uesana ruis? studioq; armaris inani,
Iam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta domat.

Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas:
Nec feritas requiem ferre superba potest.
Tu similis colubro, quoties grauis ira uenenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, ut spumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineo quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea uincula mandit
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella uocas, in pignora patres,
Et scelus omne audes, & paris omne nefas.
Fas & iura negas, homines & numina fallis:
Nec Iouis imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem conuicia deseret ætas,
Tantum ac tale tuæ est improbitatis onus.
Romanis pater est Mauors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores ingeniumq; docent.
Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Romæ
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

IDEM LIBRO TERTIO
Calamitatum.

Interea nostras odijs flagrantibus urbes
Exercent furiæ, per rura, per oppida sæuit
Martis opus: Petriq; domus polluta fluenti
Marcessit luxu. nulla hic arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat uulgata referre,
Sic urbes populiq; ferunt: ea fama per omnem
Iam uetus Europam, mores extirpat honestos:
Sanctus ager scurris, uenerabilis ara cinædis
Seruit, honorandæ diuûm Ganymedibus ædes.

Quid miramur opes, recidiuaq; surgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama uendit
Mollis Arabs, Tyrij uestes & muricis imbrem:
Indus ebur, croceum Cilices & Tmolus odorem:
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuißima Seres
Vellera, Cretenses mollißima uina, Tanager
Pernices mercatur equos: uenalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ:
Ignes, thura, preces, cœlum est uenale, Deusq;.
Hi quoq;, qui nomen de relligione superbum
Vsurpant, quanquam sanctis à patribus ortos
Se iactent, ouium molli sub uellere fraudes
Mente Lycaonias seruant, & crimine sordent.
Quod speciem uirtutis habens, scelus omne colorat:
Inuisi superis, fœdaq; libidine olentes
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,
Polluti circum quoties altaria uultus
Conueniunt, celebrantq; choros & carmine mixto
Sancta Deum uanis penetralia uocibus implent:
Irritant, irasq; mouent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus est: nil adiutoribus istis
Auxilij sperate, nouis date templa ministris.
Sacrilegum genus ex adytis, templisq; deorum
Pellite, nec longos scelera hæc uertantur in usus.
Tempora Martigenæ quid inania perditis? Ite,
Ite lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluuiem scelerum, &c.

ORATIO REVERENDIS. EPISCO- pi Ioannis Staphilæi Siburicensis, habita ad Rotæ auditores anno Christi M. D. XXVIII, die XV Maij, post direptionem urbis Romæ: qua ostenditur excidij urbis causa, & Romam esse ipsissimã Babylonem, de qua Prophetæ & Apostoli uaticinati sunt: impressa ante annos 38. cum testimonijs Practici Ferrariensis, commonstrantibus Cæsaris maiestatem esse supra Papam & omnem clerum.

MOs erat priscis illis Romanis, reuerendiss. Patres, uosque cæteri uiri præstantiss. parta de hostibus uictoria, necnon in natalicijs Cæsarum, uel aliàs pro cõmodo Reip. reb. sic exigentibus, paucis admodum diebus, clauso foro, indicere iusticiũ, quò Senatus populusq; Romanus proptius rei sacræ uacaret: & dimissis aliquãtisper tribunalibus, ác strepitu iudiciorum, ocio uel negocio liberius pro arbitrio frueretur. At nobis miseris, & huic infelicissimæ Vrbi, anno superiori lõgè aliter euenit. Nos etenim nõ sponte & pro arbitrio nostro, sed Deus ipse acerrimus scelerum uindex, & flagitiorum nostrorum, pro gratulatione commodorum Reipub. Christianæ, & huius sanctæ sedis, sed pro grauissima calamitate & afflictione eiusdem, nõ pro natalitio Clementis VII. Pont. max. sed pro captiuitate, & durissima (ut ita dicam) seueritate, illius deni-

que non paucis diebus,ſed integro anno, & ultrà: Deus inquam,per manus ſceleſtimorum hominũ, uel (ut uerius dicã) ſæuiſsimarum ferarum,iuſticiũ indixit, tribunalia noſtra ſubuertit, locum hunc ſacrariũ iuſticiæ, cum omnibus ad diuinum cultum pro more ibidem exiſtẽtibus expilauit,prophauauitq́; libros noſtros,diuinas ac humanas leges cõtinentes:quibus pro adminiſtranda iuſticia toti orbi ſedulò utebantur.Quoſdam ex illis dilacerauit, quoſdam igni conſumpſit, reliquos aut ijs quorum fuerunt uenales expoſuit,aut ad indignos inhoneſtosq́ue uſus ludibrio habuit. Denique poſt inuaſionem direptionemq́ue ædium noſtrarum,nos ipſos, cum omnibus domeſticis & familiaribus noſtris,in arctiſsimas nephandiſsimorum ſatellitum cuſtodias coniecit, propoſitis paſsim uarijs tormentis, ſæpe etiam adhibitis, etſi nõ corporibus noſtris forſitan, familiarium tamen noſtrorum nihilominus, quò precioſiorem ſupellectilem, tot uigilijs & laboribus partam,in ſecretiora fortè loca depoſitã, indicarent. Illos interim, & nos per diuerſa urbis hoſpitia diligentiſsimè obſeruãtes,pane doloris & aqua anguſtiæ miſerrimè ſuſtentãtes,ita ut nobis omnibus uita eſſet ſupplicium,& mors ſolatium.

Excidium et calamitas urbis Romæ.

Quapropter directis nunc in cœlum oculis,lamẽtabiliter poſſumus deflere cum Propheta: Recordare Domine quid acciderit nobis; intuere & reſpice opprobrium noſtrum:

Quásue ob causas tot, & tam grauissima in-
ommoda nobis euenêre?

Nempe, quia omnis caro corruperat uiam
iam, eramus omnes ciues & inhabitatores,
on Romæ urbis sanctæ, sed Babylonis ur-
is peccatricis. de qua impletum est tempo-
ibus nostris uerbum Domini in Esaia: Quo
nodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena
idicio & sanctitate? Iusticia prius habita-
at in ea, nunc nunc sacrilegi & homicidæ:
rius gēs sancta, populus acquisitionis, nūc
opulus Gomorræ, semen nequam, filij sce-
rati, sacerdotes infideles, socij furum, dili-
entes munera, sequentes retributiones. de
uibus idem Dominus conqueritur per pro
etam Esaiam; Filios enutriui & exaltaui, i-
i autem me spreuerūt: dereliquerunt uias
eas, blasphemauerunt sanctum Israel: alie-
ati sunt retrorsum. Propterea per curiam
os ultra addentes præuaricationem, proti-
usque uolens ostendere quibus percussio-
ibus affligendi simus, subiungit: Terra ue-
ra deserta, ciuitates uestræ succensæ igni,
egionem uestram coram uobis alieni de-
orant,

Causa direptæ urbis Romæ.

Sed ne quisquam arbitretur, uaticinium
oc Prophetæ iamdudum fuisse impletum
n euersione Babylonis & Hierusalem, sub
Vespasiano & Tito Imperatoribus Roma-
is: cum uerba prophetiæ uideantur respice
re tempus illud præsens Prophetæ, non fu
urum: animaduertendum censeo, iuxta Ec-

Romam esse Babylonem.

& etiam ſanctitatis uitæ nomine celebris, quæ de Romana eccleſia ſenſerit, in ſuis ſcriptis ſatis oſtendit. Nam ſuper Hieremiam ſic ſcribit: Eſt & alia ficus, quæ maledictione præuaricationis iam aruit, Latina eccleſia, ſiue nauicula Sancti Petri: cuius folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata, ad excuſandas excuſationes in peccatis, quibus in honeſtatem uitæ ſuæ tam Adam ſummi pontificis, quàm Eua eccleſiæ ſubiectorum operiant, & in ligno Eccleſiaſticæ gloriæ ſeſe miſerabiliter abſcondant. Sed quia patrimonium Ieſu, quod ipſi Pontifices à principibus Chriſtianis quaſi boni & mali ſcientiæ lignum ſumunt: boni, quò ad ſuſtentationem uitæ: mali, quò ad diſſipationem & libidinem uitæ & abuſum: cupientes gigantes fieri ſupra terram, Reipubl. famoſiq́ꝫ uiri per totam latitudinem imperij Chriſtiani, non contenti ſtipendijs, &c. Et aliquanto pòſt: Nam ſecundum ſententiam ſanctę Brigittæ, potens eſt Deus & Francos ſuſcitare aduerſus Eccleſiam. Cum enim eccleſia Romana deficiet quo ad obedientiam, & Pontifices ex Alemannis theſaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis ſecularis promouent, uolante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Chriſtianus; tum finis, clamor & ululatus uniuerſæ carnis, ueniet ad Dominum aſtrorum, &c. Idem in Commentario ſuper Hieremiam, tempus æſtimat eſſe periculoſum futurum ab anno Domini 1200, uſque ad ultimos dies: in quibus apparebit (inquit) Lex libertatis. Euangelium

regni

regni Christi tunc prædicabitur,& ecclesia purgabitur, ut à palea & zizanijs triticum. Verùm historia, quam ex Rogerio Houedeno de eo refert Foxus Anglus, in Commentarijs rerum in ecclesia gestarum, præcipuè notanda esse uidetur: Richardus (inquit) Angliæ rex, in expeditione Hierosolymitana, accepta fama Ioachimi Calabriēsis abbatis de Curacon, qui spiritu prophetico uentura prædicebat, quo tempore Siciliæ ageret, eum ad se accersit, auditurus quid de Antichristo inter cætera denunciare posset. Hic ergo explicans mysterium septem regum in Apocalypsi, quorum quinq; ceciderint, &c. Reges septem, inquit, septem sunt persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus. De Antichristo sic aiebat, quòd is iam in urbe Roma prognatus esset, & in sede Apostolica sublimabitur, de quo Apostolus: Extollitur & aduersatur super omne quod dicitur Deus. Hæc Houedenus. Annus uerò huius abbatis erat, 1290.

Anno Domini 1345, quidam Minorita nomine Hayabalus, propterea quòd solitus est publicè concionari, & affirmare se diuinitùs iussum concionari, ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam & Cardinales esse meros Antichristos: Auinione à Clemēte, coram quo id cònstanter & intrepidè affirmaret, miserum in modum uexatus est: ut refert Heinricus de Erphordia, chronographus, in opere historiarum de Factis memorabilibus.

21 Volquini cuiusdam homelia super Euange-

lium de interſeminata zizania, ante tempora Lutheri extat Baſileę anno 1555 impreſſa, in qua autor: proh dolor & proh dolor hodie meretrix (inquit) antiqua, quę habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, fornicatione & immundicia, qua mirabiliter inebriat ſacerdotes & clericos? De qua in Apocalypſi: Vidi mulierem ebriam de ſanguine uirorum, & de ſanguine martyrum Chriſti. Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de ſanguine ſuorum ſcortorum ſiue ſcortatorum. Hæc eſt illa ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem miniſtrorum Dei, & martyrum Dei, qui martyres Chriſti eſſe debuerant, & fiunt martyres diaboli, in honorem eius & obſequium carnem & ſanguinem conſumentes. Cum uidiſſem, inquit, homines, miratus ſum. Quis non miretur & horreat & obſtupeſcat ſacerdotem Domini, miniſtrum Dei, calice epotato ſitibundum, & potare feces de calice Babylonis?

Dantes. 22 Dantes Florentinus, quòd & ipſe Papam meretricem Babylonicam eſſe ſenſerit, non obſcurè oſtendit in cõcione 32 Purgatorij: dum eius miniſtris, id eſt Epiſcopis, tribuit bicornia capita, quatuor uerò quibuſdam, quibuſdam unum cornu, qui & ſunt Patriarchæ: ipſi uerò meretrici, inſtar cuiuſdam arcis. Floruit ſub Ludouico Bauaro, ſub quo etiam inter cætera compoſuit librum de Monarchia: in quo probat, Imperium nullam dependentiam habere à Papa, ſed à ſolo Deo: ut refert Nauclerus generat. 45.

Eiuſdem

23 Eiusdem Ludouici Secretarius fuit quidam Vlrichus de Augusta, qui in regijs literis summum pontificem uocauit bestiam ortam à mari, eoq; discordię causam inter Iohannem 22 Papam & Imperatorem præbuisse fertur: ut Paralipomena Vspergensis testantur. *Secretarius Ludouici Imperatoris.*

24 At, qui hosce paucos post annos subsecutus est, Franciscus Petrarcha, omnium artium instaurator eruditissimus, Romam multo acerbius est insectatus. Appellat enim Epistola uigesima, Papæ curiam Babylonem, & meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omnium idololatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt principes & reges terræ: asylum hæresium & errorum, de qua in Apocalypsi Spiritus sanctus prophetarit. In Italicis etiam rhythmis scribit inter alia de Roma: *Franciscus Petrarcha.*

Schola di errori, & tempio de hæresia:

id est, Schola errorum & templum hæreseos. Sic & sæpè aliàs in eodem poemate eam uocat impiam Babyloniam: item, matrem errorum: item, nidū proditionum, in quo totius terrarū orbis uenenum fouetur, crapulis & ebrietatib. obstrictum, meretricē execrabilem, in qua luxuria undequaq; uagatur & uiget, hæresiū errorumq; asylum, carcerem ubi bonum extinguitur, & quoduis malū scelestumq; alitur: Christo eiusq; Apostolis rebelle, ut Venerē Bacchumq; deos colat. Item dicit, eam crescere ex alienis calamitatibus. Ait quoque, eam se extollere contra suos fundatores: id est, Imperatores, qui ipsi multa antea largiti sunt. Sed eius uer-

ba

ba ex alia quadam epiſtola aſcribamus: Roma non iam ciuitas, ſed laruarum & lemurum domus eſt: & (ut breuiter dicam) ſcelerum ac dedecorum omnium ſentina, atq; ille uiuentium infernus, tanto antè Dauidico ore notatus, quàm funditatus aut cognitus. Quid euenturũ cẽſes, ubi extincta prorſus & ſepulta uirtus eſt? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, liuor, luxus, auaricia, cum artibus ſuis regnant? ubi peſſimus quiſq; prouehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, iuſtus pauper opprimitur? ubi ſimplicitas amentiæ, malicia ſapientiæ nomen habet? ubi Deus ſpernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridentur boni? Noui expertus, quòd nulla ibi ſit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil ſancti, nihil iuſti, nihil æqui, nihil penſi, nihil deniq; uel humani: amor, pudor, decor, candor, inde exulant. De ueritate equidem ſileo. Nam quis uſquam uero locus, ubi mendacijs omnia plena ſunt? aer, terra, domus, turres, uici, atria, plateæ, porticus, ueſtibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuerſoria ædium, penetralia templorum, iudicũ ſubſella, Pontificum ſedes? ad poſtremum, ora hominum, nutus, geſtus, uoces, frontes, animi? Quid ait? An mentior? an uerò de mendacijs uerum loquor? In illa nefaria ſcelerum ſcena, omnia ſunt uirtute uacua, plena criminibus, plena fallacijs, plena fucis, plena blanditijs, plena peſſimis artibus, ambitionis, auariciæ, ſuperbiæ, liuoris. Corrupti enim ſunt, & abominabiles facti in ſtudijs ſuis. Non eſt qui faciat bonum,

bonum,non eſt uſq; ad unum. Viſa loquor, nō audita,fato meo peſsimo in eas terras puer euectus,&c. Ecce iam oculis uides, iam manib. palpas, qualis eſt Babylonilla nouiſsima, feruēs, æſtuans,obſcœna,terribilis. Nilum & Euphratem Roma uincit, imò tartarea flumina uincit: Cocytum uincit,& Acherontem. Quicquid uſpiam perfidiæ ac doli,quicquid inclemētiæ & ſuperbiæ, quicquid impudicitiæ effrenatęq; libidinis,quicquid deniq; impietatis & morum peſsimorū ſparſim habet, aut habuit mūdus, id totum cumulatim occupat,aceruatimq; tenet. hactenus Petrarcha.

25 Anno 1528, Cōmentaria quędam in Apocalypſin à Luthero,ſine autoris nomine ſunt edita: quæ ſibi aliunde ex finibus Liuonicis & Polonicis,ut teſtatur,tranſmiſſa fuêre. Compertū autem eſt poſtea, & Iohannis Vuicleui eſſe,per Iohannem Puruçum Anglum ex prælectionibus magiſtri collecta. In eo opere idē Ioannes apertiſsimis uerbis eccleſiam Romanam, Babylonicam meretricem, ea Papam Antichriſtum probat,eo quòd neglecto Dei uerbo, ſuas traditiunculas ac nugas doceat,Euangeliū pioſq; doctores opprimat. Item, quia quæſtus gratia indulgentias excogitauerit, potentiā & ſplēdorē regni ſub falſo donationis Conſtantini nomine ad ſe traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, moreſq; Papæ & prælatorū: præcipuè uerò, quòd ex mādatis Chriſti conſilia faciant. Hortatur etiā omnes,ut fugiant ex illa Babylone. Idē Puruæus, Romā in Dei ſpiritu diaboli proſtibulum eſſe dicebat: & eccleſiam eius magnam,

Vuicleuus.

Puruæus

gnam, affirmauit eſſe ex fœda ſuperſtitionum colluuie, meretricem illam magnã in Apocalypſi deſcriptam, quę ſedens ſuper aquas multas, incredibili tyrãnide & hypocriſi Chriſtiana règna omnia ſeduxit: Apocalypſis 17. Balæus de ſcriptoribus Anglicæ, Centuria ſeptima.

Anno Domini 1408, durante ſchiſmate inter Gregoriũ XII & Benedictum Nonũ, Manfredus Vercellenſis, ordinis Prædicatorũ theologus, præſentẽ ſentiebat adeſſe Antichriſtũ. Ac contra eundem Manfredum ſtatim prædicabat Bernardinus Senenſis, Franciſcani ordinis monachus. Matthias Pariſienſis, ſed patria Bohemus, parũ antea, ſcripſit de Antichriſto librum ualdè prolixũ, in quo Papæ ac ſui cleri turpitudines inſectatur. Locuſtas in Apocalypſi deſcriptas, dicit eſſe hypocritas in eccleſia regnãtes. Iacobus Miſnenſis etiã compoſuit de aduentu ipſius Antichriſti librum, in quo mentionẽ facit cuiuſdam docti uiri nomine Miltizy Bohemi, quẽ famoſum ac uenerabilem prædicatorẽ appellat: qui anno Chriſti 1365 docuit, Antichriſtũ adeſſe, ac nullã in Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, prælatis, ſacerdotibus atq; alijs religioſis ueritatẽ inueniri: ac propterea à Ioanne Pragẽſi archiepiſcopo fuiſſe incarceratum. Hæc Balæus centuria ſeptima de ſcriptoribus Britanniæ, in appendice, de Thoma Kolby.

27 Petrus Iohannes, Minorita cùm alia multa contra Papam docuit, tum etiàm, quòd Papa ſit Antichriſtus, & Synagoga Romana ſit magna Babylon ante annos 260. Vnde cum uiuũ nequiuiſſet exurere Papa, longè poſt mortẽ oſſa

eius

eius effossa exussit. Balæus in Laurentio Anglico, in catalogo Britannicorum scriptorum.

28 Michael Cesennas generalis Minoritarũ, floruit unà cũ alijs qui tyrãnidẽ põtificiam tẽpore Ludouici Bauari oppugnârũt, & accusauit Romanã ecclesiam tanquã Babyloniam meretricem piorũ sanguine ebriã: dicens duas esse Ecclesias, alterã impiorũ florentem, alterã afflictã piorum. Atq; ob eã causam à Papa sua dignitate priuatus est. Veruntamẽ nihilominus in sententia permãsit. Catalogus testium ueritatis.

29 Vuolffgangus Aitinger, clericus Augustanus, qui prophetias Methodij cõmentarijs illustrauit, contendit Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum. Ea uerò, teste Petro, Roma est.

Hisce alia quoq; similia testimonia quãplurima adduci possent: sed his ipsis cõtẽti, omniũ qui unquã fuerunt frater culorum doctissimi, ac uitæ seueritate morumq; sanctitate clarissimi uatis Bapt. Mantuani carmina aliquot subijciemus, in quibus Babylonicæ illius meretricis impuritates atq; tyrannidẽ, sicut & alij pij ante sua tempora, ad liquidum detestatus est.

IN ROMAM, EX PRIMO libro Syluarum.

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quò uesana ruis? studioq; armaris inani,
Iam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta domat.

Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas:
Nec feritas requiem ferre superba potest.
Tu similis colubro, quoties grauis ira uenenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, ut spumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineo quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea uincula mandit
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella uocas, in pignora patres,
Et scelus omne audes, & paris omne nefas.
Fas & iura negas, homines & numina fallis:
Nec Iouis imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem conuicia deseret ætas,
Tantum ac tale tuæ est improbitatis onus.
Romanis pater est Mauors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores ingeniumq; docent.
Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Romæ
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

IDEM LIBRO TERTIO
Calamitatum.

Interea nostras odijs flagrantibus urbes
Exercent furiæ, per rura, per oppida sæuit
Martis opus: Petriq; domus polluta fluenti
Marcessit luxu. nulla hic arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat uulgata referre,
Sic urbes populiq; ferunt: ea fama per omnem
Iam uetus Europam, mores extirpat honestos:
Sanctus ager scurris, uenerabilis ara cinædis
Seruit, honorandæ diuûm Ganymedibus ædes.

Quid miramur opes, recidiuaq; surgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama uendit
Mollis Arabs, Tyrij uestes & muricis imbrem:
Indus ebur, croceum Cilices & Tmolus odorem:
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuißima Seres
Vellera, Cretenses mollißima uina, Tanager
Pernices mercatur equos: uenalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ:
Ignes, thura, preces, cœlum est uenale, Deusq;.
Hi quoq;, qui nomen de relligione superbum
Vsurpant, quanquam sanctis à patribus ortos
Se iactent, ouium molli sub uellere fraudes
Mente Lycaonias seruant, & crimine sordent.
Quod speciem uirtutis habens, scelus omne colorat:
Inuisi superis, fœdaq; libidine olentes
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,
Polluti circum quoties altaria uultus
Conueniunt, celebrantq; choros & carmine mixto
Sancta Deum uanis penetralia uocibus implent:
Irritant, irasq; mouent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus est: nil adiutoribus istis
Auxilij sperate, nouis date templa ministris.
Sacrilegum genus ex adytis, templisq; deorum
Pellite, nec longos scelera hæc uertantur in usus.
Tempora Martigenæ quid inania perditis? Ite,
Ite lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluuiem scelerum, &c.

n Ora-

ORATIO REVERENDIS. EPISCOPI Ioannis Staphilæi Siburicensis, habita ad Rotæ auditores anno Christi M. D. XXVIII, die XV Maij, post direptionem urbis Romæ: qua ostenditur excidij urbis causa, & Romam esse ipsissimã Babylonem, de qua Prophetæ & Apostoli uaticinati sunt: impressa ante annos 38. cum testimonijs Practici Ferrariensis, commonstrantibus Cæsaris maiestatem esse supra Papam & omnem clerum.

MOs erat priscis illis Romanis, reuerendiss. Patres, uosque cæteri uiri præstantiss. parta de hostibus uictoria, necnon in natalicijs Cæsarum, uel aliàs pro cõmodo Reip. reb. sic exigentibus, paucis admodum diebus, clauso foro, indicere iusticiũ, quò Senatus populusq; Romanus propius rei sacræ uacaret: & dimissis aliquã tisper tribunalibus, ác strepitu iudiciorum, ocio uel negocio liberius pro arbitrio fruere tur. At nobis miseris, & huic infelicissimæ Vrbi, anno superiori lõgè aliter euenit. Nos etenim nõ sponte & pro arbitrio nostro, sed Deus ipse acerrimus scelerum uindex, & flagitiorum nostrorum, pro gratulatione commodorum Reipub. Christianæ, & huius sanctæ sedis, sed pro grauissima calamitate & afflictione eiusdem, nõ pro natalitio Clementis VII. Pont. max. sed pro captiuitate, & durissima (ut ita dicam) seueritate, illius denique

que non paucis diebus, sed integro anno, & ultrà: Deus inquam, per manus scelestimorum hominũ, uel (ut uerius dicã) sæuissimarum ferarum, iusticiũ indixit, tribunalia nostra subuertit, locum hunc sacrariũ iusticiæ, cum omnibus ad diuinum cultum pro more ibidem existẽtibus expilauit, prophauauitq; libros nostros, diuinas ac humanas leges cõtinentes: quibus pro administranda iusticia toti orbi sedulò utebantur. Quosdam ex illis dilacerauit, quosdam igni consumpsit, reliquos aut ijs quorum fuerunt uenales exposuit, aut ad indignos inhonestosque usus ludibrio habuit. Denique post inuasionem direptionemque ædium nostrarum, nos ipsos, cum omnibus domesticis & familiaribus nostris, in arctissimas nephandissimorum satellitum custodias coniecit, propositis passim uarijs tormentis, sæpe etiam adhibitis, etsi nõ corporibus nostris forsitan, familiarium tamen nostrorum nihilominus, quò preciosiorem supellectilem, tot uigilijs & laboribus partam, in secretiora fortè loca depositã, indicarent. Illos interim, & nos per diuersa urbis hospitia diligentissimè obseruãtes, pane doloris & aqua angustiæ miserrimè sustentãtes, ita ut nobis omnibus uita esset supplicium, & mors solatium.

Excidium et calamitas urbis Romæ.

Quapropter directis nunc in cœlum oculis, lamẽtabiliter possumus deflere cum Propheta: Recordare Domine quid acciderit nobis; intuere & respice opprobrium no-

ſtrum. Hæreditas noſtra uerſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos, pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ uiduæ ceruicibus noſtris iugiter minabantur, lapſis non dabatur requies.

Adde his malis ſæuiſsimam peſtilentiam, quæ longè lateque debacchata eſt, totam ferè hanc miſerrimam urbem inuadens.

Iunge inſuper extremam famem, ac neceſſariorum omnium ad uictum humanum ſummam penuriam. Tandemq; eò uentum eſt, ut qui paulo antè cunctis omnino rebus copioſsimè affluebamus, repêtè neceſſarijs omnibus fuerimus deſtituti.

Poſtremò, urbe ueteres coloni propulſi, uix urbes, uiciniq́ue montes receperunt fugam noſtram. At mala hæc nobis cum cæteris omnibus Romæ nunc exiſtentibus communia fuêre.

Nos, nos, qui huiuſce ſumus profeſsionis, noſtra inſuper propria damna ſenſimus, qui domeſticam huius urbis iacturam fecimus: nos inquam, reuerēdi Patres, integerrimos grauiſsimosq́ue collegas noſtros eodem anno amiſimus. Vos honorandi aduocati, totidem collegas ueſtros ſupra quartū, quem ſuperiori anno tota hæc Curia deplorauit: uiros nempe doctiſsimos, conſummatiſsimosq́ue eo ipſo tempore perdidiſtis. Vobis quoque cauſarum patroni, uobis inſuper tabelliones & notarij, profeſsionis ueſtræ dāna non defuerunt. Sed unde hæc quæſo?

Quâsue ob causas tot, & tam grauissima incommoda nobis euenêre?

Nempe, quia omnis caro corruperat uiam suam, eramus omnes ciues & inhabitatores, non Romæ urbis sanctæ, sed Babylonis urbis peccatricis. de qua impletum est temporibus nostris uerbum Domini in Esaia: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicio & sanctitate? Iusticia prius habitabat in ea, nunc nunc sacrilegi & homicidæ: prius gēs sancta, populus acquisitionis, nūc populus Gomorræ, semen nequam, filij scelerati, sacerdotes infideles, socij furum, diligentes munera, sequentes retributiones. de quibus idem Dominus conqueritur per prophetam Esaiam: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem me spreuerūt: dereliquerunt uias meas, blasphemauerunt sanctum Israel: alienati sunt retrorsum. Propterea per curiam uos ultra addentes præuaricationem, protinusque uolens ostendere quibus percussionibus affligendi simus, subiungit: Terra uestra deserta, ciuitates uestræ succensæ igni, regionem uestram coram uobis alieni deuorant, *Causa direptæ urbis Romæ.*

Sed ne quisquam arbitretur, uaticinium hoc Prophetæ iamdudum fuisse impletum in euersione Babylonis & Hierusalem, sub Vespasiano & Tito Imperatoribus Romanis: cum uerba prophetiæ uideantur respicere tempus illud præsens Prophetæ, non futurum: animaduertendum censeo, iuxta Ec- *Romam esse Babylonem.*

clesiasticam ueritatem futura fuisse præsen-
tia Prophetis, quasi iam futura præsentia
cernerent oculis mentis,ut passim ex Sacris
paginis facilè deprehendimus. Sed ne longè
exempla petamus, hoc ipsum in hoc eodem
proposito nobis idem Propheta innuit, de-
clarans seipsum uerbis de futuro,subiungēs:
Derelinquetur filia Sion, & desolabitur si-
cut in uastitate hostili. Hanc filiá Sion Ioan
nes apostolus in Apocalypsi interpretatur
non Hierusalem, sed Romanam prorsus ur-
bem: quod ex illius descriptione, si introspi-
cimus,in aperto est: dum exponens Ioánes,
seu uerius unus de septem Angelis Ioanni ui
sionem,quam uidit super damnatione mu-
lieris meretricis, sub nomine Babylonis in-
telligit hanc urbem:Mulier,inquit,quam ui-
disti, est ciuitas magna, quæ habet regnum
quod de regno spirituali uult intelligi) su-
per reges terræ. Dicit illam sedere super se-
ptem montes, quod propriè Romæ conue-
nit,quæ ab antiquis ob hoc potissimum di-
cta est Septicollis. Ponit sedem quoque il
lius super aquas multas, quæ significant po-
pulos,gētes,ac uarias linguas:ex quibus ma
gis,quàm ulla alia, in orbe præsertim Chri-
stiano collecta est hæc urbs, ut uidemus. Et
propterea dicitur cōmunis patria omnium
undecunque uenientium. Dicit præterea
plenā esse nominibus blasphemijs, matrem
immundiciæ, fornicationum & abominatio
num terræ. Hæc quippe uerba demonstra-
tio-

ctione huius urbis magis ſpecificam non e-xigunt:cum hæc flagitia(& ſi ubique ferè re gnent) hic tamen ſedem & imperium ha-beant.

His tot & tantis flagitijs, prævaricationi-busque illius enumeratis, ſubiungit ſeueriſ-ſimam Dei ſententiam,quæ contra nos hoc tempore funeſtiſsimam executionem ſorti-ta eſt. Formula autē ſententiæ hæc eſt:Quo-niam peruenerūt peccata illius uſque ad cœ lum, & recordatus eſt Dominus iniquita-tum : ideo in una die uenient plagæ eius: mors,luctus, & fames deſolatam facient il-lam, & nudam, & ipſam igne cōcremabunt.

Quòd ſi quiſpiam pertinacius defendere uelit,Apoſtolum loqui ſpecifice de Babylo-ne : huic ego reſpondeo, quòd potius quàm Apoſtolus in prima Epiſtola (teſte diuò Hie rònymo de Viris illuſtrib.) ſub nomine Ba-bylonis figuraliter Romam ſignificat, dum inquit: Salutat uos Eccleſia in Babylone col lecta. Poſtremò,ſi his locupletiſsimis teſti-bus non credimus,ſcilicet per Babylonē ur-bem hanc ſignificari, effectibus ſaltem hoc tempore lamentabiliter ſubſecutis credere oportet. Ex quibus manifeſtiſsimè conſtat, quòd plura & lòngè peiora, ut inquit beatus Gregorius,in his noſtris tribulationibus ui-dimus, quàm in noſtris codicibus inueni-nimus. Nam ſanctuario quoque ſuo, mini-ſtriſque ſacrorum hoc tempore non peper-cit Deus. Ducti ſunt indecenter per uicos

urbis cardinales, capti epiſcopi, presbyteri interfecti, ſacræ Virgines ſtupratę ad altaria. In Apoſtolicoque palatio ſtabulati equi martyrum effoſſæ reliquiæ, aperta, immò fracta mortuorum ſepulchra: & denique quod animus luctu abhorret dicere, ſacratiſsimũ Saluatoris corpus, uaſculis pro more aureis, argenteisúe reuerenter conditum, cùm ob prędam uaſorum, tum propter contemptum (proh dolor, proh nephandum ſcelus, omnibus ſeculis deteſtãdum) terræ colliſum, pedibusúe plus quàm ſacrilegis calcatum. Heu nos miſeros, uiſio Apoſtoli in Apocalypſi, pœnas minatur huic urbi, ut diximus, admodum graues. At certè his noſtris quas paſsi ſumus, longè mitiores. Magna eſt profectò ira, quando in ſua caſtra, in ſua tentoria, in ſuos denique milites ſæuit Imperator. Mitius olim egit noſter Imperator, dum ſeruato templo, & illæſis ſacerdotibus templi, ſat habuit, eijcere ex caſtris ſuis: hoc eſt, è tẽplo ementes & uendentes, aſſerens domum ſuam non negociationi, ſed orationi fore deſtinatam. At hoc lacrymoſo noſtro tempore, templa, orationes & ſacrificia noſtra deſpexit, & aſpernatus eſt. Cur quæſo tam ſeuerè & abſque ulla pietate & miſericordia? Profectò audiamus ipſum Dominum per Prophetam tãtæ ſeueritatis ſuæ reddentem cauſam: Quoniam inquit, manus ueſtræ ſanguine plenæ ſunt: Quo mihi multitudo uictimarum ueſtrarum? Plenus ſum, ne offeratis

ultrà ſacrificũ fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi. Peccatis.n.& ſceleribus ueſtris me ad iracundiam prouocaſtis. Ideo incipiens à ſanctuario meo, diuina & humana, ſurſum & deorſum miſcebo omnia, ita ut ubique ſit luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis ima go. Sed iam ad nos ipſos reuertamur, qui, ſi uerum amamus, ingenuè fateamur neceſſe eſt, his tot & tantis noſtris, & aliorum communibus, ſceleribus non defuiſſe, propria noſtra factionis ſcelera & peccata.

Nos enim, qui miniſtri ſumus iuſticiæ, iuſticiam fortè, ut par eſt, non miniſtrauimus. Quid ſi in ſiniſtrum nos ignorantia traxit? ſi fauor inflexit? ſi acceptio muneris, uel perſonæ corruperit? Vos ſpectabiles aduocati, qui adſtatis (ut de mortuis & abſentibus taceam) reſponſa & conſilia ueſtra plus iuſto forſitan diuendidiſtis, ponentes tenebras lucem, quærentes mendaciũ, dicentes bonũ malum, & malũ bonum. Vos quoq; patroni cauſſarum, uos inſuper tabelliones cum miniſtris, & cooperatoribus ueſtris, patrocinia ueſtra, operas (ne dicam quid deterius) ueſtras minus fortè diligenter clientulis & par tibus exhibuiſtis. Quas ob res, quum omnes grauiter deliquerimus, emendemus deinceps in melius quę ignorantes, aut ex animo peccauimus, conuertamur pariter ad Dominum, & miſerebitur noſtri: quia pius & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper maliciam. Ipſe enim hortatur per prophetam, dicens:

Iuſticia curiæ Romanæ.

Quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppressis, iudicate pupillos, subuenite oppressis. Postremò diligite iusticiam, uos qui iudicatis terram. His mundissimis holocaustis, si iratū nobis Dominum placuerimus, absq; dubio & hic (prout ipse pollicetur) bona terræ comedemus, & in futuro pro bene gestis sempiterna pręmia consequemur. Quod nobis omnibus pręstare dignetur idem Dominus, qui est benedictus in secula, Amen.

Petrus de Ferrarijs in forma libelli, in actione Reali, in gloss. Iure dominij nu. 53.

HAbes amplum ecclesiarum priuilegium, quod habuit & habet consumere statum laicorum. Sunt etiá alia multa Ecclesiarum priuilegia, à stultis Imperatoribus eis collata: ut patet in tit. de sacrosanct. eccles. & in tit. ext. de immu. eccle. per quæ destructus est status Imperij. inter quę est secundum aliquos, ut ecclesia non teneatur ad expensas murorum ciuitatis: tantum teneatur ad refectionē pontium & uiarum. quod est falsum. Imò etiam tenetur ad expensas murorum, maximè si muri fiant potius ad necessitatem, quàm ad ornatum. ut probatur per textum l. ad portus. C. de operibus publicis.

Id in forma respon. rei conuen. §. præscriptionis.

Nec unquam quiescet Italia, donec ipsa eccle-

ecclesia posideat ciuitates, uel castra,& donatio eidem facta per Constantinum fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus reuocata: cum non bene conueniat psalterium cum cithara: nec datum sit à Christo, nec à beato Petro, quòd posidere debeant talia: sed quod est Cęsaris reddatur Cæsari,& quod est Dei Deo.

Idem in eadem forma resp. rei conuenti.§.tanquam publicè, nu.10.

Et sic nota, quot modis isti clerici illaqueant Laicos,& suam iurisdictionem ampliant. Sed heu miseri Imperatores,& principes seculares, q hoc & alia sustinetis, & uos seruos ecclesiæ facitis,& mundum per eos infinitis modis usurpari uidetis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ & scientiæ non intenditis, ideo attendite & memoriæ commendate,&c.

In forma sententiæ diffinitiuæ.§. sed ad quemcunq; iudicem competentem.

Ad Papā, quocunq; omisso medio, appellare licet. Quod ideo prouiderunt, ut quæstiones in Curiam traherent, & eorum auariciam satiarent: quod tamen nunquam facient. Quia clericorum animus & appetitus est enixus præ cæteris in pecunijs cumulandis contra honestatem cōmunem, & fidem Deo promissam: non attendentes, nec studentes bonis moribus, nec Scripturis tam diuinis

diuinis quàm moralibus, & potiſsimè illi documento Senecę, ſic dicentis: Multis paraſſe diuitias, non finis fuit miſeriarũ, ſed mutatio Non eſt .n. in rebus uitiũ, ſed in ipſo animo. Et alibi idem inquit: Quemadmodum nihil differt, utrũ ægrum corpus, ligneo aut in aureo lecto colloces, quocunq; illud tranſtuleris, malum ſuum ſecum transfert: ſic nihil differt, utrum æger animus in diuitijs uel in paupertate ponatur, malũ ſuũ illũ ſequitur.

In forma lib. quo agitur ad red. ra. tute. §. Ad executores.

Executores ultimarum uoluntatum prohibẽtur eſſe fratres minores, de quo immenſè triſtantur & condolent; quia manus & pedes uellent tam ipſi, quàm cæteri mendicantes clerici, ponere & immiſcere in bonis laicorum, & eos rodere uſq; ad oſſa, prout quotidie faciunt. ut eſt lex, in Clem. exiui. de uer. ſig. Quia in tali officio uertitur utplurimùm tactus & contrectatio pecunię. quod eſt contrarium regulæ beati Franciſci.

In forma libelli, quo agitur ex ſubſtit. §. Ex ſuo corpore, &c.

Scire debes, tu ignare laice, quòd imperiũ aliquando habuit utrumq; gladium, temporalem ſcilicet, & ſpiritualem; adeoq;, quòd tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per uniuerſum orbem, & amplius eligebant Papam. ut habetur in c.

Adria-

Adrianus. xiij. dist. cum. & no. per Inno. in c. ij. ext. de maio. & obed. Vnde eo tempore quo studebant Imperatores ampliare fidem Christianã, quæ tunc modica erat, & in paruo statu, oportuit conferre multa priuilegia ecclesijs, & ijs qui se ad fidem Catholicam conuertebant: ut patet per tit. C. de sacrosan. eccles. & in tit. de episc. & cler. & in Aut. de sanc. episc. & in tit. de eccle. tit cum multis titulis: inter quæ priuilegia fuit istud: Quia bona ingredientium monasteria, applicarentur ipsis Monasterijs. propter quod priuilegiũ multiplicata & fundata sunt monasteria infinita, per uniuersum orbem, olim causa deuotionis: licet hodie causa rapinæ & auariciæ in tantum, quòd destruxerunt hodie mundum, & annihilauerunt statum imperij, & omnium laicorum: possunt ergo dici meritò, alia loca facta uel fienda retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes: Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

APOLOGVS PROPHETICVS IOANNIS DE RVPESCISSA;

quem dum Auinione in carcere esset, circa annum Domini M. CCC. L. Cardinalibus recitauit: conuersus ex secundo libro Froßardi, nobilißimi historici Gallici.

PEr id tempus (inquit Froßardus) Auinione fuit quidam frater Franciscanus, prȩditus ingenio & eruditione summa, uocatus Ioannes à Rupescissa, quem Papa Innocentius VI tenebat uinctum in castello Baignosi, propter res miras, quas euenturas ille dicebat, præsertim super prȩlatos & prȩsidentes in Ecclesia, scilicet ob immensum luxum & ambitionem, quibus dediti erant: atq; itidem super regnum Franciȩ, & potentiores Christianitatis principes, quoniam plebem tenuem tam miserabiliter opprimerent. Probaturum se uerò aiebat Iohannes, omnia sua dicta per Apocalypsin & ueteres libros sanctorum prophetarum, qui ipsi per gratiam sancti Spiritus essent retecti, sic ut diceret multa creditu difficilia. Conspiciebantur sanè quȩdam euenientia eo ipso tempore, quæ pronunciauerat: neque dicebat quicquam uti propheta, sed per Scripturas ueteres & sancti Spiritus gratiam, qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas ueteres prophetias, ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus quibus debebant impleri: & confecit plures libros,

libros,magna doctrina benè fundatos. Horundem in uno quodam,composito Salutis MCCCXLVI, res complexus erat tam mirabiles,ut eas ægrè quisquã esset crediturus: sed earũ complurium euentus iam est uisus. Et quando interrogabatur de bello Anglorũ in Francos,dicebat iam antem uisa nihil quidem esse, præ illis quæ superessent uidenda. Neq; enim fore pacem, neq; finem bellandi ullum, donec regnum Franciæ per omnes undequaq; regiones esset uastatum & exhaustũ: idq; omne est uisum postea ita accidere. Nam nobile regnum Franciæ fuit afflictum, & omni calamitate prostratum,in primis eo tẽpore quod Franciscanus ille denunciarat, scilicet añо salutis 56. 57. 58. supra MCCC.

Porrò uerò de eodẽ,sub finem uoluminis secundi hæc subiungit,dicens:Scribenti autẽ mihi de hoc statu rerũ, quem meo seculo conspiciebã in orbe, & in ecclesia quæ hunc ad modum uacillabat, & de Principibus secularibus qui ita durabant & dissimulabant, redit in memoriam,quomodo in mea iuuentute Papa Innocentius Auinione regnans, in carcere, asseruabat Franciscanum quendam hominem benè eruditum, nomine fratrem Ioannem à Rupe scissa. Iste frater (uti papa aiebat, & ipse referri audiui) pluribus in locis,priuatim tamen,non publicè,propo suerat ac proponebat cõplures antoritates & notabiles collectiones,& præcipuè de aduersis casibus qui ipsius tempore,atq; etiam

post

pôst euenerunt in regno Franciæ. De capti-
uitate Ioannis regis Francię loquebatur ual-
de planè, & exponebat quædam rationi con
sentanea: scilicet quòd ecclesia adhuc multũ
haberet sufferre, propter enormem luxum,
quem uidebat inter eos qui baculũ regimi-
nis tenebant. Atq; eo ipso tempore, quo eum
uidi carcere contineri, recitabatur mihi ali-
quando in palatio Papæ apud Auinionem,
quoddam exemplum, quod ipse recensuerat
cardinali Hostiensi, qui dicebat ab Arthesia:
& cardinali Auxerrensi, qui eum accesserunt
uisum, & de ijs quę differeret castigatũ. Itaq;
dũ suas uicissim affert defensiones, id quoq;
addidit simile, q́ subijciam. Referebat Ioan-
nes Rupescissanus hoc modo: Cũ aliquando
uolucris in lucẽ prognata esset absq; plumis,
re ad alias aues delata, uenerũt illam uisum:
& quia cõspiciebãt esse bene formosam, ac
gratiosam in primis, contulêre super ea con-
silia, quid gratificarentur, quũ sanè absq; plu-
mis neq; uolare, neq; uiuere cõmodè posset.
Voluêre aũt ob insignem formę elegantiam,
omnino ut uiueret: neque fuit ibi auis ulla,
quę de plumis suis aliquid ei non largiretur.
Quo aũt fiebat formosior, eo plus donabant
plumarum: ita ut tandẽ uolucris illa prorsus
esset pulchrè pennata, ac uolare inciperet.
Atque etiamnum dum illam uolantem intu-
entur aues pennas suas elargitæ, magna uo-
luptate adficiebantur oẽs. Volucris aũt illa
cum uideret se adeò opulenter pennatam,
&

& pariter ab omnibus, honorari auibus, cœpit superbire,neq; amplius habere rationem ullam earum à quibus euecta fuerat:imò illas rostro pungebat, uellicabat, & passim infestabat. Tum uerò aues in consilium congressæ, deliberabant de uolucri illa, quam pennis induerant atq; auxerant, mutuoq; se interrogabant quid factu esset optimum? nam de suo tantum se uolucri illi elargitas, ut iam plus satis aucta,& in superbiam elata,ipsas facilè contemneret omnes. Ibi pauò respondit: Nimium quidem meis plumis exornata est, itaq; easdem repetam.Subijcit falco: Sanè & meas ego repetam.Ac breuiter, eunt istam in sententiam aues reliquæ omnes, incipientes mox unaquæque reuellere,ac sibi uendicare quod plumarum dònauerat. At uolucris ista fastuosa ita secum agi uidens,ilico demisit grandes spiritus: & palàm agnouit, omne id quod tenebat bonum, honòrem & plumarum cultum insignem,non ab se ipsa profectum, sed per alios sibi donatū aues: quæ èditam prius nudam & implumem uti uestierant, ac pennis exornarant, ita & dona sua repetere poterant. Quare supplex ueniam rogauit,pollicens admissa omnia se correcturam sedulò, neq; commissuram ut posthac unquam per superbiā aut luxum plumas perderet. Iterū ergo generosæ aues quæ prius plumas deuouerant, cum uiderent illam ita dèmissam ac supplicem, commotæ miseratione,omnes quas abstulerant pennas eidem restituunt, his tamē adiectis uerbis: Lubentes quidē te inter nos uolitantem aspiciemus,tantisper dum in animi

humilitate officio tuo fungi uelis: id quod egregium in primis habet decorem. uerùm hoc planè ita habet, si posthac te in superbiam extuleris, mox plumis omnibus te exuemus, eumq́ redigemus ad statum, in quo primùm inuenimus. Hunc prorsus ad modum (dicebat frater Iohannes) domini Cardinales, uobis eueniet. NAM IMPERATOR ROMANORVM ET ALEMANNIAE, REGES'QVE CHRISTIANI, AC POTENTIORES TERRARVM PRINCIPES, VOBIS DONARVNT BONA, FVNDOS ET DIVITIAS, VT SERVIRETIS DEO: ET VOS EA PROFVNDITIS PER SVPERBIAM, NEQVITIAM ET LVXVM. Quare non legitis uitam S. Syluestri papæ Romani, & uobiscum (uti par est) expēditis, quomodo & qua lege Constantinus Imperator donauerit bona ecclesiæ? Profectò non prodeambulabat per mundum S. Syluester, stipatus ducentis aut trecentis equitibus: sed humiliter se Romæ continebat, & sobriam cum ecclesiasticis solùm suis uitam degebat. Quum igitur Imperator Constantinus ecclesiæ donaret munera præclara multa, & ditiones amplas: certè non aliud habuit consilium, quàm ut iuuaret religionem nostram, & ecclesiam proueheret, atque hæc ipsa bona & ditiones administrarētur in humilitate & iusticia, neutiquam per superbiā & luxū. Sed hodie fit pl nissimè contrariū, eoq́ nomine Deus irascitur. Et irascetur quidē aliquando magis etiam, contra eos qui tempore futuro

ro ſubſequentur: ita quod nobiles qui liberaliter donarant terras, cēſus & ditiones quas poſſidēt Eccleſiaſtici, largiri iam, frigidiores effecti, deſinant, & fortè etiam prius donata auferant: neq; hîc longè abeſt euentus. Ita quidem Iohannes Rupeſciſſanus, quem Cardinales Auinione uinctùm tenebant, explicabat uerba ſua ijs qui intelligere uolebant: atq; eo ſanè modo, ut Cardinales ſæpè demirarentur. Optabant uerò ipſum è medio tollere, ſi ullam necis iuſtā cauſam inuenire potuiſſent: ſed erat planè nulla. Itaq; uitam conceſsêre, quàm diu ſe potuit tolerare: neque audebant è carcere dimittere, quòd argumenta proponeret tam profunda, & Scripturas exquireret adeò ſublimes, ut mundum fortè in errorē aliquem abducturus fuiſſet. At certè interim uiſa ſunt euenire multa, ut quidā aſſerunt, qui accuratius quàm ego ipſius uerba obſeruarunt, quæ prædixerat, & in carcere conſcripſerat. Volebat autem cōfirmare quę dicebat omnia, per Apocalypſin: & comprobationes ueræ, quibus ſe armabat, ſæpius ipſum ſeruarunt, quo minus exureretur. Non deerant quoq; quidam Cardinales, qui miſericordia affecti, non erant in ipſum tam ſeueri, quàm eſſe poterant. Hæc omnia Froſſardus, ſub finem uoluminis ſecundi Chronicorum.

RHYTHMI E' VETVSTO quodam codice descripti, Romanum quendam aduocatũ cognomento le Franco taxantes, adeoq; totam sacrosanctam curiam Romanam, depingentes.

Propter Sion non tacebo
Sed ruinas Romæ flebo:
Quoadusq; Iusticia
Nobis rursus oriatur,
Et ut lampas accendatur
Iustus in ecclesia,
Sedet uilis, & in luto,
Princeps facta sub tributo:
Quod solebam dicere,
Romam esse derelictam,
Desolatam, & afflictam
Expertus sum opere.
Vidi uidi caput mundi
Instar maris & profundi,
Vorax guttur Siculi.
Ibi mundi διθάλασσος
Ibi sorbet aurum Crassus,
Et argentum seculi.
Ibi latet Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax
Potius quàm nauium.
Ibi pugna galearum,
Et conflictus piratarum
Id est Cardinalium.

Syrtes

Syrtes insunt huic profundo,
Et Sirenes, toti mundo
Minantes naufragium.
Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Informę dæmonium.
Habes iuxta rationem
Διθάλασσον per Franconem,
Quod ne credas friuolum.
Ibi duplex mare feruet,
A quo non est qui reseruet
Sibi ualens obolum.
Ibi uenti colliduntur,
Ibi panni submerguntur
Byssum, ostrum, purpura.
Ibi mundus sepelitur,
Imò totus deglutitur
In Franconis guttura.
Franco nulli miseretur,
Nullum sexum reueretur,
Nulli parcit homini.
Omnes illuc dona ferunt:
Illuc enim ascenderunt
Tribus tribus Domini.
Canes Scyllæ possunt dici
Veritatis inimici,
Aduocati Curiæ:
Qui latrando falsa fingunt,
Mergunt simul, & confringunt

Carinam pecuniæ.
Iste probat se Legistam,
Ille uerò Decretistam,
Inducens Gelasium.
Ad probandam quæstionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium:
Vti reum prosequatur,
Hic Charybdis debacchatur,
Id est Cancellaria.
Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absq; datis
Gratiani gratia.
Plumbum quod hic informatur,
Super aurum dominatur,
Et massam argenteam.
Aequitatis phantasia
Sedet, teste Zacharia,
Super bullam plumbeam.
Qui sunt Syrtes uel Syrenes,
Qui sermone blando lenes
Attrahunt Byzantium.
Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis
Supinant marsupium.
Dulci cantu blandiuntur.
Vt Sirenes, & loquuntur
Primò quædam dulcia.
Frater, bene te cognosco,

Certè

Certè nihil à te posco,
Nam tu es de Francia.
Terra uestra bene cœpit,
Et benignè nos excepit
In portu Concilij.
Nostri estis, nostri, cuius?
Sacrosanctæ sedis huius
Spirituales filij.
Ita dicunt Cardinales,
Ita solent dij carnales
In primis allicere.
Sic instillant fel draconis,
Et in fine lectionis
Cogunt bursam uomere.
Tales regunt Petri nauem,
Tales habent Petri clauem,
Ligandi potentiam.
Hi nos docent, sed indocti:
Hi nos docent, & nox nocti
Indicat scientiam.
Cardinales, ut prædixi,
Nouo iure, Crucifixi
Vendunt patrimonium.
Foris Petrus, intus Nero:
Intus lupi, foris uerò
Sicut agni ouium.
In galea sedet una
Mundi lues importuna,
Camelos deglutiens,

Inuoluta Canopæo,
Cuncta uorat ſicut leo
Rapiens & rugiens,
Hic piratis principatur,
Et Ioannes nuncupatur
Sedens in inſidijs,
Ventre groſſo, lota cute
Grande monſtrum: nec uirtute
Sed rerum emptum uitijs.
Maris huius non eſt dea
Thetis mater Achillæa,
De qua ſæpe legimus:
Imò uerò Carlinorum
Sancta ſoror loculorum,
Quam nos Burſam dicimus.
Nam ſi burſa detumeſcit,
Surgunt uenti, mare creſcit,
Et carina deperit,
Sic à uentis circumlata
Et à ſcopulis uexata
Periculo ſuberit.
Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes ſunt priuati
Tam nummis quàm ueſtibus.
Tunc ſecurus ſit uiator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.
Quod ſi uerum placet ſcribi,
Duo portus tamen ibi,

Duæ tamen insulæ,
Ad quas licet applicari,
Et iacturam reparari
Confractæ nauiculæ.
Petrus enim Papiensis,
Qui electus est Meldensis,
Portus rectè dicitur.
Nam cum mare fluctus tollit,
Ipse solus mare mollit,
Et ad ipsum fugitur.
Est & ibi maior portus
Fœtus agri, florens hortus
Pietatis balsamum.
Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradisi thalamum,
Ille fouet literatos,
Omnes male incuruatos
Si posset erigere.
Verus esset cultor Dei,
Nisi latus Elisei
Giesi corrumperet.
Sed ne rursus in hoc mari
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam:
Quia dum securus eo,
Ne submergar, ori meo
Posui custodiam.

FRIDERICVS I. ADRIA- *no IIII. inter alia.*

CArdinalibus ueſtris clauſæ ſunt eccleſiæ, & non patent ciuitates: quia non uidemus eos prædicatores, ſed prædatores: non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores, &c.

Otho Friſingenſis.

Sicut ad ſpiritualem gladium, ſpirituales quoq; poſſeſsionis, id eſt decimæ, primitiæ, oblationes, & alia huiuſmodi perinent: ſic materiali, omnes terrenæ dignitates, ducatus, ac huiuſmodi ſubiacent. Hoc enim Deus non in una perſona, ſed ſeparatim in duabus in eccleſia eſſe uoluit. Proinde ſicut illi perſonæ, quæ gladiū materialem portat, non licet contingere ea, quę ſpiritualia ſunt: ſic & iſti ea uſurpare quæ huius ſunt non conuenit. Vnde & in Euangelio ſcribitur: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo. Idq; Dominus ſicut prædicat uerbis, ita factis declarauit, quando tributum pro ſe & Petro iuſsit dari. Paulus etiam omnem poteſtatem à Deo eſſe conſiderans, in cauſa poſitus, non Petrum qui tum Ro. cathedræ præfuit, ſed flagitioſiſsimè ex Dei uoluntate ſuper terram Regem conſtitutum Neronem appellauit.

EX VETERI QVODAM POEmate, cuius initium est, Aurea lux oritur.

Mater Ierusalem, quasi filia sit Babylonis,
Sordet, uilescit, deprimiturq; iugo.
Inspice tot rerum contagia, non reproberis
Cum reprobis, fugias, & reprobanda uide.
Hypocrisim, fraudem, mendacia, iurgia, litem,
Desere, de uita, respue, pelle, fuga.
Consortes Iudæ uendunt patrimonia Christi.
Simonis arte perit spiritualis honor.
Defloret flos Ecclesiæ, languet caput omne,
Membra dolent, pastor deuiat, errat ouis.
Væ regno pueri, quia deficit arte regendi,
Perditur in fatuis pontificale decus.

Hildeberti Episcopi Cenomanensis in Romam distichon.

Vrbs fœlix, uel si dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Alterius cuiuspiam.

Roma tibi quondã suberant domini dominorum,
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.

In peregrinationes ad limina Apostolorum, ex quodam uetusto codice.

Roma uale, uidi: satis est uidisse, reuertar,
Cum leno, meretrix, scurra, cynædus ero.

Aliud

Aliud.

O Roma, à Roma quantum mutata uetusta est:
Nunc caput est scelerum, quæ caput orbis erat.

Ex ueteri quodam Miscellaneorum libro.

Roma manus rodit, nil dantem crimine prodit.
Curia Romana, quasi febris quotidiana:
Clerum corrodit, corrosum spernit & odit.

Incerto autore, ex ueteri codice.

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu malè Roma ruis.
Deseruêre tui tanto te tempore Reges,
Cessit & ad Græcos nomen honorq; tuum:
Constantinopolis florens noua Roma uocaris,
Moribus & muris Roma uetusta cadis.
Transijt imperium, mansitq; superbia tecum:
Cultus auariciæ te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis:
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.
In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuiq; tui rura Pelasga colunt.
Truncasti uiuos crudeli funere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Nam nisi te meritum Petri Pauliq; foueret,
Tempore iam longo Roma misella fores.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, Anno Salutis hu-
manæ M. D. LXVI.
Menſe Martio.